SUPPLEMENTUM AD ANALYSIN CONCILIORUM GENERALIUM ET PARTICULARIUM,

A REV. PATRE

CAROLO-LUDOVICO RICHARD

THEOLOGIÆ PROFESSORE,

EX ORDINE ET NOVITIATU GENERALI FRATRUM PRÆDICATORUM, Dictionarii universalis Scientiarum Ecclesiasticarum Auctore, Gallice editum;

ET A REVER. ET EXCELL.

JOANNE ANTONIO DALMASO

VICENTINO,

Sacræ Theologiæ Doctore Collegiato Latine redditum.

TOMUS QUINTUS.







VENETIIS,

Ex Typographia Balleoniana.

MDCCLXXX.

Superiorum Permissu, ac Privilegiis.







MONITUM,

ET

PRÆFATIO.



THURIS, prope dixerim, fumus, licet apprime blandus, omnique nostra grati animi significatione dignus, qui Conciliorum Analysi publice, fingillatimque ab Ephemeridum Auctoribus perhumaniter fuit exhibitus, super Operis vi meritoque haud is quidem nobis perstrinxit oculos, mentemque percusit. In eo vitia & nos ipsi perspeximus, & amicorum nonnulli nobis indigitarunt. Ad remedium scilicet iis afferendum, hoc Supplementum aggressi sumus, quod correctiones & augmentationes complectitur. Ex hoc posteriore genere sunt complures articuli super dogmate, morum doctrina ac disciplina, quos firmavimus, explicuimus, enucleavimus, ad Conciliorum rationem, & prout temporum circumstantiæ, religionisque & societatis necessitas postulabant. Facile sane intellectu est de ea nos operum portentosa congerie loqui velle, quæ in religionem, virtutem, mores, societatem, imperia, potestatesque duas quæ quoad religiosum civilemque ordinem ea moderantur, in dies prope singulos prodeunt. Laboriosum esset ea numerare, atque adeo longe difficilius, seu potius vix ac ne vix quidem formidanda nullius non formæ mala quæ toti humano generi eadem afferunt, recenseri possent.

Heu! Quemadmodum vulcanus mons qui obstacula, quo late serperet, superavit, aerem, terram, mare simul aggreditur, horrorem quoquo versus & mortem afferens, in suo flammarum cursu nihil non trahens, incendens, quin ulli prorsus rei parcat, sive sacra, sive profana sit; ita impius, catenis solutus, atque e profundo elapsus antro, audet, inter furoris qui nullum amplius frenum agnoscit, sacrilegos impetus, audet, inquam, in Deum, Angelum, hominem invehi, altaria demoliri, solia evertere, sceptra infringere & incendere, licentiæ, perduellionis, impietatis, irreligionis lethiferas flammas, & voraces ignes quovis inferre.

Nihilominus, in sua universim grassante depravatione, suaque inter blasphemiarum plena molimina, suis undique liberioribus seditiosis, impiis septus scriptis quæ ab uno ad alium terrarum orbem profundit, ut utrumque, si fieri possit, corrumpat, perturbetque; incredulus, is fidei transfuga, quam cum lacte suxit, vehementer conqueritur ab altaris & solii defensoribus haud satis humaniter secum agi; Et homines invenit, qui echus instar ejus injustas querelas repetunt; qui sceleftorum ejus facinorum se socios produnt; qui ei favent, eum approbant, & quidem inter Christifideles ipsos, qui eum impugnare, reprimere, punire, catenis denique, si opus esset, constringere deberent, ut impedirent, ne seduceret, corrumperet, perderet. Quæ unquam rerum magis ad horrorem facta perturbatio!

Scriptor impius nemini parcit, eosque qui in eum scribunt, seu potius in ejus-gratiam, atque ut a monstrosis erroribus eumdem revocent, id facere vult mollius blandiusque, atque ita demum, ut ejus perversa animi sensa approbare propemodum ac recipere videantur; dicamus aptius; quin ei quicpiam reponatur, & in obsequii atque admirationis, audeo prope dicere, adorationis silentio, auribus ei tamquam oraculo exhibitis, cogitandi, loquendi & scribendi omnem sibi libertatem relictam vult. Trux homo grassatur, vastat, incendit, mactat, undi-

undique bellum excitat, sacra perstringens religionis, fraternitatis, amicitiæ, patriæ vincula quibus homines tam apte ac placide conjunguntur; nec ferre potest, in furem, homicidam, incendiarium clamari. Nihil intentatum relinquit, ut ex universo orbe & Deum expellat, a quo est e nihilo conditus, & Principes a quibus secundum ejus suprema mandata regitur, iis adeo veneratione dignis catenis audaci manu perfractis, quæ terram cum cælis, suisque cum Regibus populos vinciunt; dum molliores super ejus execrandis consiliis querimonias ictus veluti quosdam per rabiem & furorem inflictos putat, quos vere furentis instar, & congestis, torrentis in modum, atrocibus injuriis, execrandisque blasphemiis retundit, ut ad rationum momenta quibus obruitur, responso sint. Id nimirum cernitur in Operum farragine, quæ ex impietatis latrinis prodierunt. Sunt ea prorsus innumera; & quamvis impii auctores non amplius se celare necesse habeant, ob deplorandam auctoritatem quam per vafritiem super imbecilli multitudinis animo sibi jam arrogarunt, & ob tolerantiæ funestum effectum, cujus sibi comparandæ artem callent, non omittunt tamen distortas inire vias, ut suorum principiorum venenum longe tutius disseminent, nullamque ad contagiosa systemata propaganda accommodatam rationem negligunt. „ Irreligiosorum philosophorum calliditas, qui suam aperta fronte doctrinam ostentare non audent, eam celat in libris qui quidvis aliud argumentum pertractare videntur, atque in extraneis dissertationibus, ut ita dicam, immergit. Ita quidem in præsentia procedit impietas; per tortuosas semitas in umbra gradiens, haud mediocres progressus facit. Quia religionem recta non impetit, negligunt proinde homines in eam sibi munimen quærere, ejus principia sensim imbibunt, & cum se nihil habere putant, ad religiosa sensa quod attinet, ipsi sibi exprobrent, impietatis virus jam sinu defe-runt. Vix credi potest, quam multis Operibus recentior se fulciat philosophia, ut religionis fundamenta clanculum ac per cuniculos, & quasi tacite evertat; quilibet liber, quicumque sit, superque quacumque materie versetur, ad ejus consilium facit. Quis unquam sibi in animum induxisset credere designatam fuisse ad religionis excidium historiam civilem politicamque, in qua per unam eamdemque tabulam exhibenda proponuntur omnia alicujus momenti gesta ad Indorum historiam cum ea quæ Europeorum est, copulatam spectantia, ex quo, per commercium, historiæ duæ, Asiæ & Americæ una, Europæ altera invicem necessario referuntur? Attamen, proh dolor! nostrum hoc sæculum inter alia phœnomena hoc quoque nobis ostendit. Mihi sane videtur, ut ultro subscribatur ejus judicio, qui hujus operis analysin edidit, ejus videlicet historicam partem nihil aliud quam speciosum quadratum marginem esse, cui recentioris philosophiæ placita solerter inserta sunt ". Ita legitur in diario summa existimatione digno,

Diarium aliud, quod & ipsum existimatione qua fruitur, dignissimum est, super eodem argumento his verbis utitur: „ Nostrates philosophi, circumforaneorum propolarum ex edito loco garrientium catervæ similes ad nos clamare non desinunt: *humanitas, virtus, beneficentia!* Dant certatim operam, ut in omnes animi morbos remedia & peculiaria pharmaca nobis offerant; ac, siquidem audiantur, eorum vigiliæ, & eorum scripta non alio spectant, quam ut hominum mentem illustrent, & felicitatis tramites iisdem aperiant. Verum undenam fit, ut eorum systemata in executione pugnent secum ipsa, atque ex eorumdem scriptis, quoties alumni, quod didicere, prodere audent, non prodeant nisi mali parentes, ingrati filii, perjuri conjuges, infideles amici, turbulenti cives? Quid de philosophia cogitandum, quam adeo tristia effecta sequuntur? Nonne incredibile prorsus est Galliam, decimo octavo sæculo, in suo ipsius sinu tranquille constitui vidisse hominum sectam, quibus audaciæ satis esset, ut sapientiæ nomine doctrinam condecorarent, quæ omnia relaxat vincula quibus cives mutuo junguntur, quæ omnia officia peculiaribus cujusque rationibus subdit, præposteras omnes cupiditates excitat, purgatque, crimen a conscientiæ stimulis in tuto ponit, eique in perfida securitate soporem affert; doctrinam, uno verbo, quæ veritates impugnans, quæ Christianæ religioni fundamento sunt, haud veretur sacras ipsas bases concurere, super quibus conquiescunt probitas, bona fides, privatæ utilitatis oblivio, subordinatio, jurisjurandi fidelitas, benigna erga miseros pietas, in commercio securitas, familiarum concordia & unio, &c. Ac nonne multo magis omnem fidem superat, hanc philosophorum quos ipsi se dictitant,

„ tant,

„ tant, sectam sibi auctoritatem conciliasse, eorumque vana sophismata, hoc „ illustrato sæculo, civium multitudinem seducere potuisse? "

Nimirum Domini de Vernes, Genevensi in urbe Pastoris Opus indicans Annus Litterarius scitas has animadversiones edit, ad an. 1776. num. 37. Vernesiano huic operi id tituli est: *Confidentia philosophica*; Genevæ, editio altera, part. 2. in 8.°, paginarum 426. Opus hoc, anni litterarii auctorum judicio, philosophiæ in actione positæ tabulam exhibet, & solertis ironiæ adminiculo ostendit, quo depravationum trahere possunt, recentium nostrorum philosophorum Socratis nomine designatorum placita. Est illud ex eorum numero, „ quæ ab iis spectantur tamquam ad credulos cives nostros super nostrorum, „ ut se jactant, philosophorum horrendis corollariis, practicisque consecutionibus illustrandos aptiora; nobili illud, eleganti, facili stilo exaratum est; iisque videtur auctor imprimis raro ad cumulatissimum ironiæ usum ingenio „ præditus. "

Non est ergo, quod quispiam metuat, ne in hyperbolem incidat, vividioribus coloribus adhibendis, cum id agitur, ut celebriores præcipuique recentioris philosophicæ sectæ heroes pingantur. Minime vero; cumque spectatur eorumdem ad sollicitandos, seducendos, corrumpendos perdendosque sibi similes indefessa contentio, nuncupari possunt audacter *inferorum monstra in suas ipsorum victimas irritata*, quoniam dæmonum officio funguntur, qui sine ulla prorsus intermissione in perdendis hominibus occupantur; id nempe nominis iis reapse tribuit, inter alia plura, magisque execranda, magni nominis Præsul, in ea pastorali institutione quam tamen ipsam nostri omnes ephemeridum scriptores, tamquam mansuetudinis, moderationis, charitatis unum & unicum exemplar proposuerunt; dum, revera, vi ac robore referta est, in eademque bene multa rationum momenta longe graviora quam in cæteris religionis apologistis occurrunt. Veri filii patris mendacii, ejusque satis superque fideles imitatores in horrendo perdendorum hominum munere, in quo suas ille omnes delicias ponit, arrogati philosophi nostri non alia suaviore voluptate ducuntur, quam ut suos ipsorum fratres decipiant, utentes impune sacris philosophiæ, sapientiæ, virtutis nominibus, quo facilius eos circumveniant, secumque in majorum depravationum, graviorumque flagitiorum abyssum trahant. Seductores perfidi, blaterones festivi, præstigiatores scurræ, doctores tumidi, apostoli deliri, in furorem acti homines cernuntur cogitare & vendere fabulas, narrantes somnia, docentes dogmata quæ unice spectant ad extinguenda in hominum mentibus omnia religionis & rationis sensa, in iis pravarum omnium cupiditatum excitatis flammis; regnorum fundamenta concutere, civilia bella incendere, numquam non turbas & interneciones in societatem inferre, sanguine & cadaveribus obruto terrarum orbe. Post eorum atrocem doctrinam, humaniores reges ipsi non nisi despotæ, trucesque tyranni sunt; religionis ministri, seductores æque versipelles & feroces; sapientiores, magisque virtute præstantes homines, ii quos sanctiores Ecclesia suspicit & reveretur, eorum imbecillis credulitatis totidem victimæ, totidem sui ipsorum aliorumque carnifices; qui non promeruere divini Numinis iracundiam, quod vita ad omnem moderationem & macerationem composita armis spoliare crediderunt; eorum superstitiosæ imbecillitatis, stupidæque cæcitatis amarus fructus.

Haud ægre perspicitur inter jactatos sæculi philosophos funesta quædam ad congerendos proselytos æmulatio; certant singuli socios suos superare in execranda seducendi perdendique homines arte, quos ab abysso in abyssum trahunt. Nationes omnes confundunt; evertunt, penitusque delent universas religionis & rationis ideas per ea quæ ad horrorem jaciunt, principia; in his quippe nec Deus, nec rex, nec fides, nec lex exsistunt. Corporis habitudo, naturalis propensio, vitæ commoda, voluptas, desideriorum impulsio, præsentium occurrentiumque rerum illecebræ, ineluctabilis cupiditarum vis, naturæ, brutorum instar, instinctus & impetus, hæ demum regulæ sunt, quas homo unice sequi potest, quæque ejus omnem vitæ rationem moderari debent; ita quidem gravioribus sceleribus, omnium generum flagitiis, quantumvis atrocia ponantur, dignitatem & sanctitatem veluti quamdam tribuunt.

Ejusmodi, atque adeo deteriora sunt placita, seu potius deliramenta, in ea longe maxima scriptorum congerie disseminata, quæ avide certatimque arripiuntur, quæque nos quidem nominare non auderemus; ita etiam nobis ipsi temperabimus, ut ne de nomine nuncupemus id scripti, quod nobis hoc loco pecu-

peculiariter confutandum proponimus; satis habebimus dicere hujus execrandi operis editionem alteram 16. Februarii die an. 1776. Senatus decreto ad flammas damnatam fuisse; & celebrem magistratum qui hanc despicientiam quidem efferentem, at justitiæ apprime consonam infamiæ notam provocavit, palam testatum esse, in sua ad judices denuntiatione, ejus pravitati peculiaribus notis designandæ se imparem esse, quippe qui satis vehementes locutiones excogitare non posset, quarum libellum ad vivum exprimeret, qui compendiarium in modum ab inferis excitavit, „ quicquid omnibus retro sæculis in Christi Do„ mini divinitatem, in evangelii moralem doctrinam, in genuinum sacrorum „ librorum canonem, in veritatem, missionem, sanctitatemque characteris mi„ nistrorum Ecclesiæ, &c. dictum fuit. “

Est igitur servire Deo, religioni, Ecclesiæ, patriæ, societati, principibus populisque, opus refellere, Synopsin extrema quadam ratione pestiferam innumerabilium aliorum ejusdem furfuris, quæ sine intermissione alia aliis succedentia conjurationem in Deum, ejusque sanctam religionem, in Ecclesiam, ejusque ministros, in omnes bene moratas ditiones, potestatesque quæ in civili religiosoque ordine eas administrant, propugnatam enuntiant. Hujus generis opera nihil aliud quam graviores rerum publicarum perturbationes, tristioresque catastrophes edere possunt, ut physica & moralis hæc universitas in horrendum denique chaos abeat.

Et sane quid aliud consequi scripta possent, quæ ex diametro prorsus omni religioni, omnique legi adversantur, quæ omne frenum, omne jugum excutiunt, nec alio spectant, quam ut omnia ordinis & subordinationis vincula infringant, omnia virtutum semina in ipso germine extinguant, omnibus vitiis januam aperiant, æternis sublatis repagulis, quæ bonum & malum, honestum & indecens, justum & injustum sejungunt?

Haud ergo timendum est, ne æquo vehementius in ejusmodi fatales fœtus exclametur, dicatur, scribaturque, ut eorum inspiretur horror, & saltem imminuatur eorumdem infesta vis. Est hoc peculiare ministrorum religionis officium, quos ipse status adigit, ut impugnent scriptores incredulos, fidei, veritatis & patriæ transfugas, flagella hæc humani generis, cujus se beneficos institutores insulse ac ridicule dictitant, cum ejus excæcandi perdendique nullam sibi occasionem elabi sinant. Dei sacerdotibus quam ignominiosum ac turpe fuerit, si se minus ipsi sollicitos exhibuerint, ut eum propugnent, quam illius hostes, ut eumdem impetant?

Quam etiam eorum dignitate & gradu indignum, si fervore vique a puris putisque laicis se vinci sinant, quos, adeo ad exemplum, cernimus acriter sibi sumere christianæ religionis, omniumque christianarum virtutum negotia, editis in publicam lucem scriptis quæ religioni a qua inspirantur, singulare decus afferunt!

De pio scilicet auctore loquor, qui nuperrime nobis gallice dedit *Animadversiones christianas super sancto Evangelio Christi Domini, secundum quatuor Evangelistarum concordiam;* Parisiis, apud Antonium Boudet, an. 1777. quique, postquam assiduam evangelii lectionem fidelibus commendavit, *tamquam adjumentum quo nullum tutius, ad pietatem* his miseris relaxationis & *irreligionis sæculis excitandam*, super philosophiæ operibus in hæc verba suam mentem aperit: *Philosophorum libri*, inquit, *sunt veluti quadam deliriorum humanæ mentis immensa collectio; innumera in iis occurrunt pericolosa, temere proposita, secum pugnantia, systemata, atque adeo in iisdem cernitur veritatum & mendaciorum, principiorum, paradoxorum, argutiarum & sophismatum monstrosa congeries; in eis, verbo dicam, nihil amplius perspicimus, quam humanæ mentis angustos limites, qua, notitiis aliquibus ejus aciem perstringentibus, suis e finibus egredi inepte studet, quamque Deus, ita ejus postulante justitia, sæpenumero cæcitate plectit.*

De celebri pariter auctore loquor Operis in spectacula, cujus etiam modo prodiit editio sexta, ex eodem prælo, atque alterum supra laudatum Opus. D. Desprez de Boissy, in Senatu advocatus, excellentis hujus operis auctor, non solum propterea commendandus est, quod in eo collegerit quicquid est aptius ad ostendendum, quantopere theatrum & spectacula quæ ibidem exhibentur, bonis moribus, recto ordini, societatis bono, christianæ religionis professioni principiisque, evangelicis denique legibus adversentur; verum etiam ob sollicitudinem animique contentionem qua religioni obsequium præstat, dum bene multos ad ejusdem propugnationem concinnatos libros indicat, & com-

plura

plura testimonia congerit, quæ apprime faciunt, suos ut lectores a periculis in tuto ponat, quæ ab irreligiosorum librorum lectione sejungi nequeunt. E quibus haud sane ipsi nos cohibere non possumus, quin unum saltem exemplum afferamus; nobis illud doctus & illustris Viennæ Allobrogum Archiepiscopus suppeditabit in pastorali institutione quam dedit, cum Anicii Episcopus esset, an. 1763. super recentiorum incredulorum arrogata philosophia:

Quanam vi, exclamat religiosus præsul, *impietatis quasi torrens nostris hisce temporibus in litterarum rempublicam irruit! Nulla propemodum ejus pars ab hac illuvie tuta fuit; physica, metaphysica, quis crederet? morum, commercii, politiæ, legislationis studium; grammatice, historia, eloquentia, poesis; nihil non pseudo-philosophia in christianam religionem armis instructa subest. Theatra, ea vitiorum gymnasia, quæ toties Ecclesia proscripsit, sed quæ sæpius tamen peculiaris nationis mores instituunt, aut consequuntur, theatra, inquam, incredulitatis placita personuerunt. Fuere nimirum hæc modo acriter inculcata, modo perlucido velo tecta; nonnunquam extra rem, ac veluti sine consilio, omnium generum libris inserta. Privati cœtus, in quibus, echus instar, consueta lectiones resonant, id centies repetunt, quod tanta licentia scribitur. Absorbetur avide in humana societate lethale venenum, quod ibi distribuitur.*

Ejusmodi ergo est jactatæ vulgo philosophiæ insana furensque sollicitudo, sua ut impia & pestifera systemata extendat propagetque; atque ita quidem se habent apud nos hæc prava dogmata. Ea vulgant omnium ora, ea legunt omnium oculi, iis omnes libri referti sunt; horum nullus e philosophorum calamo prodiit, qui non iis plus minusve scateat, quantumlibet parum suapte natura sit ad ejusmodi funestas suscipiendas notas accommodatus.

Quoniam ergo nihil est, quod eorum solertem & indefessam ad proselytos congerendos contentionem exæquet; nec vigiliis, nec curis, nec laboribus parcunt, sui ut pravi consilii compotes fiant; nec aliud propositum habent, quam ut homines seducant corrumpantque; nec per eos stat, quin religio & respublica, solium & altare jampridem ictibus succubuerint, quos iisdem infligere non desinunt in seditiosis æque atque impiis scriptis, quæ quam celerrime ab uno ad alium polum expediunt, ut nihil non in universo terrarum orbe perturbent & diruant, & religiosa ac civilia instituta omnia ad humani generis perniciem sus deque vertant; nonne omnium christifidelium, omnium civium, omnium verbo hominum est criminoso huic, furibundo, inexorabili fœderi pro viribus refragari? Religionis, reipublicæ, societatis, totius simul humanitatis, in quarum omnium & singularium excidium conjuravit, ratio lege veluti quadam jubet, ut unusquisque illud impugnet; neque vero etiat his omnibus conjunctim momentis opes, ut nos quidem id conjurationis persequi statueremus in Opere quod omnia in quibus concilia se tam utiliter occupatunt, argumenta complectitur, & quo nihil eorum prorsus alienum est, quæ ad politicæ religiosæque societatis concordiam & felicitatem conferre possunt; felices nos rati, si tela retundentes, quibus utrique sinum transfigere conantur hostes, in venenata hujus furentis militiæ jacula cor ipsum nostrum, repaguli loco, utrique societati præstare possimus.

NOI RIFORMATORI

Dello Studio di Padova

AVendo veduto per la Fede di Revisione, ed Approvazione del P. F. Gio: Tommaso Mascheroni Inquisitor General del Santo Officio di Venezia nel Libro intitolato: *Supplementum ad Analysin Conciliorum Generalium, & Particularium, &c. Auct. Rever. Pat. Carolo Ludovico Richard ex Ordin. FF. Praedicatorum, Tomus Quintus, MS.* non vi esser cosa alcuna contro la Santa Fede Cattolica, e parimente per Attestato del Segretario Nostro, niente contro Principi, e buoni costumi, concediamo Licenza agl' Eredi Baglioni Stampatori di Venezia che possi essere stampato, osservando gli ordini in materia di Stampe, e presentando le solite Copie alle Pubbliche Librarie di Venezia, e di Padova.

Dat. li 5. Novembre 1779.

(
(Andrea Tron Cav. Proc. Rif.
(Sebastian Foscarini Cav. Rif.

Registrato in Libro a Carte 419. al Num. 1598.

Daviddc Marchesini Segretario.

Addì 25. Novembre 1779.

Registrato in Libro del Mag. Eccellentiss. contro la Bestemmia a Carte 3. tergo.

Andrea Sanfermo Segretario.

SUP-



SUPPLEMENTUM AD ANALYSIN CONCILIORUM.



CONCILIA

PRIMI SÆCULI.



NUNCUPANTUR *Decretales* litteræ seu epistolæ quas scripsere Summi Pontifices in rescriptorum seu responsionum modum ad quæstiones quæ iisdem super doctrinæ aut disciplinæ capitibus proponebantur, ad constitutionum discrimen. quas edebant motu proprio, quæque *Decreta* vocantur. Ergo decretales epistolæ ita appellantur, quia id statuunt finiuntque, quod agendum aut sentiendum est, quoad capita super quibus consultationes & responsa versantur.

Decretales Pontificibus adscriptæ, qui Siricium antecesserunt, apocryphæ seu suppositæ sunt, nec a Pontificibus editæ, quorum nomen præferunt. Eas commentus est ignotus auctor IX. Sæculo, sub cujusdam Isidori nomine, qui *Peccator*, vel *Mercator* cognomento dictus. David Blondellus, e Protestantium Ministrorum grege, dissertationem edidit, cui titulus: *Pseudo-Isidorus & Turrianus vapulantes*; in ea quæ quidem Genevæ in 4.°, ut ajunt, impressa fuit, id sibi Blondellus probandum sumit latinæ canonum collectionis quæ Isidoro tribuitur, auctorem nec Isidorum aliquem, nec ex Hispania quempiam, sed Germaniæ hominem fuisse, qui eam vulgavit post an. 830. nescio cujus Isidori nomini, origine hispanum, fratrem Eulogii, Episcopi Cordubensis, & professione mercatorem, qui, ut se Maurorum persecutioni subduceret, in Germaniam secesserat, & per aliquod tempus Moguntiæ negotio vacaverat. En Blondelli probationes.

1. Probatio. Nullus ante an. 830. Scriptor has decretales laudavit; easque Dionysius Exiguus suæ collectioni non inseruit earum nullas nactus, quæ Summi Pontificis S. Siricii tempus anteverterent.

2. Hæ singulæ Decretales uno eodemque stylo exarata sunt, barbaro scilicet, qui VIII. Sæculo proprius & peculiaris est, & admodum ab eo differt quo Romani, quibus ex tribuuntur, Pontifices usi sunt.

3. Sacræ Scripturæ testimonia in Decretalibus adhibita e S. Hieronymi qui an. 420. supremum diem obiit, Vulgata Versione deprompta sunt.

4. In iis occurrunt adscripta falsa tempora, iis consentanea, quæ in libro Pontificali, ad Sæculum V. spectanta leguntur; testimonia ex auctoribus ducta, qui diu post Isidorum Hispalensem vixerunt, seu concilia post ejus mortem celebrata; occurrunt præterea locutiones a Septentrionalibus populis derivatæ; qui imperium levaserant; quædam etiam quæ Arianismum sapiunt IV. Sæculo inductum; itemque disciplinæ argumenta perinde ac regula quæ primis Ecclesiæ sæculis, primævisque Christifidelibus haud innotuere; cujusmodi sunt varii & multiplices jurisdictionis Archiepiscoporum, Primatum & Patriarcharum gradus, quasi locum habuerint altero Christiani nominis Sæculo; appellationes directæ ad Papam, &c.

Hæc rationum momenta tam gravis ponderis sunt, ut auctores præ cæteris de sancta Sede solliciti decretalium suppositionem inficiari nequaquam potuerint; ejusmodi sunt inter alios Bellarminus, Baronius, Antonius Augustinus & Cardinalis Bona, qui quidem in suo *De Liturgia Tractatu*, lib. 1. cap. 3. ita loquitur: *Dudum enim ab eruditis observatum est illorum epistolas decretales usque ad Siricium supposititias esse*; de pontificiis decretalibus sermonem habet, de quibus hoc loco agitur.

Romanum porro canonicum jus quod genuinis ipsis decretalibus continetur, haud spectatur in Gallia, tamquam vim legis habens, quæ judiciarias formas in regni ecclesiis moderari possit. Cum enim aliquarum ecclesiarum curiæ posterioribus sæculis agendi ratione quæ in decretalibus extat, tamquam officialitatum regula uti voluissent, earum consilium veluti in regia auctoritatem molimen quoddam habitum fuit, & earumdem sententiæ abusivæ declaratæ fuere. Parlamentis in præsentia idem effari est. *Monumenta Cleri*, Tom. VII. pag. 647. & 648. & Tom. X. pag. 64. & 65.

Opponi Blondello potest textus Hincmari, Remensis Archiepiscopi, qui nos docet, *lib. LV. cap.* 34. pseudo-decretalium collectionem a Riculpho, Moguntino Archiepiscopo, an. 814. vita functo ad nos ex Hispania allatam fuisse: *De libro collectarum epistolarum ab Isidoro*, inquit Hincmarus, *quem de Hispania allatum Riculphus Episcopus Moguntinus, in hujusmodi, sicut in capitulis regiis studiosus obtinuit, & istas regiones ex illo replere fecit*. At id testimonii nihil aliud evincit, nisi pseudo-decretalium collectionem ineunte VIII. vel ad finem vergente VII. Sæculo cusam esse potuisse, facta hypothesi eam per Riculphum quem an. 814. obiisse constat, ex Hispania, quod Hincmarus Remensis credidit, allatam fuisse.

C O N C I L I A
QUARTI SÆCULI.

Concilium Latopolitanum in Ægypto, an. 347. vel circiter.

ONFLATUM fuit concilium hoc ex Epiſcopis & monachis, coram quibus S. Pacomius ſiegularium donorum quæ e Deo acceperat, rationem reddidit, *Edit. Venet.* Tom. II.

Concilium Romanum an. 349.

Concilium hoc, Januario menſe, contrà Photinum habitum fuit. In eo Urſacius & Valens, præſente ſummo pontifice Julio hujus nominis Primo, quicquid in S. Athanaſium dixerant, revocarunt, & communionis litteras ad eum ſcripſerunt. P. Manſi, concilium hoc ad an. 348. refert; illud P. Harduinus pariter in duo, quorum unum habitum fuerit an. 349. in quo Valens & Urſacius palinodiam cecinerunt; alterum an. 351. in quo Photini hæreſis & perſona damnatæ fuere. Eum refellit ſuper hoc capite Venetus editor, Tom II. Eſt id quod legitur ad pag. 174. Operis inſcripti: *l'Art de verifier les dates*; ac ſi verum eſt Urſacium & Valentem in Concilio an. 349. a Julio I. Romæ habito ſe retractaſſe, nos quidem falſo diximus id in concilio, coram Romanæ Eccleſiæ legatis, eodem anno Mediolani celebrato actum eſſe. Concilium quod id egit, multiplicari non debet; eoque redigitur omnis quæſtio, Romæne illud, an Mediolani habitum fuerit. Auctores *Artis purgandi adſcriptas temporum notas* illud Romæ collocant, quin ulla, quod dicunt, ratione fulciant; nos idem concilium Mediolani ſtatuimus, pag. 65. Tomi I. *Analyſis Conciliorum*, nixi textu quem mox ſubdimus, ſynodicæ epiſtolæ Patrum Ariminenſis concilii, an. 359. poſt Mediolanenſe decimo celebrati; quæ quidem epiſtola ad Imperatorem Conſtantium mittitur, in eaque Ariminenſes patres ſuam ita mentem aperiunt: *Atque ea de cauſa Urſacius & Valens, jampridem ſocii & adſtipulatores Ariani dogmatis, a noſtra communione, ſententia data, ſegregati fuere; quam ut denuo recuperarent, de peccatis ſuis in quibus ſe conſcios agnoſcebant, pœnitentiam veniamque poſtularunt, ut eorum ſyngrapha teſtantur; & ob id illis venia gratiaque delictorum facta eſt. Hæc autem per id temporis facta ſunt, cum Mediolani ſynodus in conſeſſum ibat, præſentibus ibidem Romanæ Eccleſiæ presbyteris.* Labb. Tom. II. Concil. pag. 797.

Concilium Gallicanum, an. 355.

Plura in Galliis concilia S. Hilarius, Pictavienſis Epiſcopus habenda curavit, ut in Arianos fidem tueretur. In eo quod paulo poſt Mediolanenſe coactum fuit, quin conſtet, in qua demum Galliarum urbe, S. Hilarius cæterique catholici Epiſcopi qui eidem interfuerunt, a Saturnini, Valentis & Urſacii communione ſe ſegregarunt. De hoc concilio S. Hilarius loqui vult in ſuo *contra Conſtantium Libro*, qui unum idemque opus eſſe creditur, atque ejus epiſtola, an. 360. ad Orientis Epiſcopos data, quemadmodum putat aſſeritque P. Hieronymus Duprat, Veronenſis Oratorii presbyter, Tom. I. ſuæ editionis *Operum Sulpitii Severi*, quæ an. 1741. in 4. ut ajunt, Veronæ prodiit. *Manſi*, Suppl. Tom. I. col. 219.

Concilium Melitenenſe, an. 358.

Erat Melitene minoris Armeniæ urbs epiſcopalis, Euphrati proxima. Coactum in ea fuit an. 358. concilium, in quo Euſtathius, Sebaſtes in Armenia Epiſcopus depoſitus fuit. Is idem erat Euſtathius, qui, cum presbyter tantum eſſet, fuit a ſuo patre ipſo, nomine Eulogio, Cæſareæ in Cappadocia Archiepiſcopo depoſitus, quia in ethnici philoſophi modum indutus incedebat, ſuoſque diſcipulos veſtes quaſdam a communi uſu alienas deferre volebat. Evaſit deinde hæreticorum anteſignanus, qui, *Euſtathiani* dicti, matrimonium damnabant, uxores a viris, a parentibus filios, ſervos e dominis ſeparabant, prætexentes iis ſe perfectioris vitæ rationem proponere. (*Edit. Ven.* Tom. I.) Hunc eumdem Euſtathium Synodus eodem anno Neocæſareæ celebrata iterum depoſuit.

Concilium Romanum, an. 358.

Coegit concilium hoc Antipapa Felix, eique cum quadraginta octo Epiſcopis præfuit, qui Urſacium, Valentem, & Imperatorem Conſtantium tamquam hæreticos condemnarunt. *Baluzius, nov. Collect.*

Concilium Tyanenſe in Cappadocia, an. 365. *ſeu* 366.

Macedoniani conjuncti ad hoc concilium ſe contulerunt, Papæ Liberii, aliorumque Occidentis Epiſcoporum allatis communionis epiſtolis. Huic ipſi concilio etiam orientales catholici, ex condicto cum Macedonianis, adfuere. Indixere concilium in urbe Tharſo, ut Nicænam fidem confirmarent. Hujus concilii celebrationem impedierunt Ariani per Imperatoris Valentis auctoritatem, qui Epiſcopos coire vetuit. *Fleurius*, & *Pagius*.

Concilium Romanum, an. 367.

Hujus concilii celebrationi locum præbuit adulterii accuſatio, e Schiſmaticis in Summum Pontificem Sanctum Damaſum primum conficta. Ei adfuere Epiſcopi numero quadraginta, qui calumniam detexerunt, & ſancti Pontificis innocentiam teſtati ſunt. Feruntur etiam ab iis damnati *paterniani*, aliter *venuſtiani* dicti; hæretici ſcilicet IV. Sæculi, qui e dæmone carnem, & quicquid univerſim ſenſibus obnoxium eſt, creatum eſſe garriebant, propugnabantque. Matrimonium damnabant, & omnibus interim ſe carnis voluptatibus ingurgitabant, quin ullius ſe peccati reos crederent, dummodo generationem impedirent. *Paterniani* porro, ſeu *Venuſtiani* nuncupabantur, ab eorum ſigniferis, quorum unus Paternus e Paphlagonia, alter quidam Venuſtius erant. *Edit. Venet.* T. II.

Concilium Alexandrinum, an. 370. *ſeu circiter.*

S. Athanaſius qui huic concilio præfuit, dedit ad S. Damaſum Papam litteras, ut ei propterea gratias ageret, quod Urſacium & Valentem damnaverat. Ita Gallico in Opere quod inſcribitur: *Ars purgandi, ſuumque ad locum redigendi adſcripta tempora*, pag 175.

Concilium Capadocienſe, an. 372.

Imperator Valens, cum Capadociam in duas Provincias partitus eſſet, Tyanenſem urbem ſecundæ metropolin ſtatuit; quæ altercationum inter S. Baſilium, Cæſareenſem Epiſcopum ex una parte, & Tyanenſem Epiſcopum ex alia origo fuit; poſteriore præſule, in S. Baſilii detrimentum, metropolitani titulum & jura ſibi arrogante. Ad hoc finiendum litigium, an. 372. ſub Junii menſis finem, ſeu Julii initium, coactum eſt in Capadocis concilium, quod, Capadociæ multiplicatis Epiſcopis, partes duas conciliavit; quæ res Eccleſiæ perutilis fuit, ut animadvertit S. Gregorius Nazianzenus, *Orat.* 20. *Manſi*, Suppl. Tom. I. col. 233.

Concilium Antiochenum, an. 372. *ſeu* 373.

Concilium hoc habuit S. Meletius una cum Epiſcopis centum quadraginta quinque, qui concilii fidem firmarunt, quod Romæ an. 371. ſeu 372. habitum fuerat, & ſynodicam Papæ Damaſi epiſtolam e Sabini diaconi manibus, qui eam attulerat, receperunt. *Valeſius ad Theod*, lib. V. cap. III. pag. 41.

Con-

Concilium Nicopolitanum, an. 372.

Erat Nicopolis urbs minoris Armeniæ, ad Capadociæ fines, & Sebastenæ metropoli suberat. Conciliorum Collectores (*Edit. Venet.* Tom. II. pag. 1056.) hac in urbe collocant concilium quoddam, cui sanctus Basilius interfuit, an. 372. Hic sanctus Doctor e suis erroribus revocavit Eustathium Sebastenum qui matrimonium omnemque bonorum possessionem damnabat, eumque adegit, ut fidei professioni subscriberet, quæ in S. Basilii epistolis extat. Super hoc concilio P. Mansius aliquas animadversiones edit; non it is quidem inficias esse potuisse concilium an. 372. Nicopoli habitum; et contendit illud esse non potuisse in Eustathii Sebasteni Episcopi negotio, quandoquidem S. Basilius in sua ipse 99 alias 187. epistola testatur se postquam cum Armeniæ Episcopis contulisset, quos sua ipsius opera ad pacem revocatos eit, Satalen venisse, nec e Theodoto, Nicopolitano Episcopo ad concilium accitum fuisse, quod ea in urbe celebravit. Si tunc ergo concilio Sanctus præsul interfuit, id Satale contigit, non Nicopoli; at in eo quidem concilio de Eustathii persona non actum est. *Mansi*, Suppl. Tom. I. col. 231.

Concilium Mediolanense, an. 380. *vel circiter*.

Habuit S. Ambrosius cum suæ provinciæ Episcopis concilium hoc, in quo perspecta est innocentia virginis *Indiciæ* quæ accusata fuerat, quasi se corrumpi passa esset. *Edit. Venet.* Tom. II.

Concilium Romanum, an. 381.

Hoc Romanum concilium ex Constantinopolitano, an. 382. celebreto dignoscitur; in eo enim dicitur concilium post Aquilejense an. 381. Romæ habitum litteras ad Imperatorem dedisse. *Mansi*, Supplem. Tom. I. col. 247.

Concilium Italicum, an. 381.

Præfuit S. Ambrosius concilio huic quod sane nihil prohibet, quominus in Mediolanensi urbe ipsa, cujus is Archiepiscopus erat, habitum fuerit. Hujus concilii patres se circumveniri ac decipi passi sunt technis dolisque Maximi, cognomento Cynici, e Constantinopolitana Sede detrusi, in quam S. Gregorii Nazianzeni tempore irrepserat. Cum scilicet sanctus hic doctor se ejus urbis patriarchali sede abdicasset, in ejusque locum Nectarius suffectus esset, Maximus ad hoc quo de loquimur, concilium se contulit, quod eum Constantinopolis legitimum patriarcham agnovit, & Nectarium tamquam intrusum spectavit. Apollinaristas quoque damnaruer concilii Patres, & epistolas duas ad imperatorem Theodosium Magnum miserunt. *Edit. Venet.* Tom. II.

Concilium Carthaginense, an. 386.

Cum Summus Pontifex S. Siricius ad Africæ Episcopos synodicam dedisset epistolam qua canones continebat, quos ediderat in concilio quod Januario mensa an. 386. celebraverat, ii præsules eodem anno concilium Carthagine habuere, in quo per suos ipsorum canones firmarunt eos quos a Papa S. Siricio acceperant. *Mansi*, Suppl. Tom. I. col. 251.

Concilium Leptense in Africa, an. 386.

Erant in Africa episcopales urbes duæ quæ *Leptes* dictæ; in earum alterutra habitum est Leptense concilium de quo hic sermo est, in quo canones ad Africæ Episcopos a Papa S. Siricio missi enuntiati fuere. Inapte igitur ac temere eorum canonum enuntiatio, in *Canonum Compendio* quod diaconus Ferrendus edidit, Zellensi concilio tribuitur; siquidem Strabo, *Geographiæ* suæ lib. XIII. nos certos facit Zellensem urbem diu ante an. 386. dirutam fuisse. *Mansi*, ibid.

Concilium Hipponense, an. 393. *seu* 394.

Concilium hoc idem est ac quod ad an. 397. relatum occurrit, per typographicum errorem, Tom. I. pag. 77. *Analysis Conciliorum*.

Concilium Hipponense, an. 395.

In hoc concilio S. Augustinus contra regulas, vivente Valerio, Episcopus initiatus fuit. Dignus scilicet is Præsul veritus, ne sibi S. Augustinus abriperetur, ut alterius Ecclesiæ Episcopus crearetur, ab Aurelio, Carthaginensi Episcopo facultatem petiit, ut eum sibi coadjutorem instituendum curaret; eamque eam obtinuisset, usus est visitatione quam Megalius, Calamitanus Episcopus & Numidiæ primas Hippone peregit, suorum ut votorum compos fieret. Incassum S. Augustinus significavit contra Ecclesiæ regulas & consuetudinem esse, ut statueretur in loco Episcopus, in quo alter adhuc in vivis erat; ei quippe responsum est id exemplo non carere; consecratusque fuit a Megalio cæterisque qui eum comitabantur, Episcopis, quamvis Megalius ipse initio quidem ejus consecrationi refragatus esset, accusatione quadam permotus, cujus falsitatem perspexit, petita sibi e concilio venia, quod ei fidem adhibuisset. Id sibi deinde arrogarunt Donatistæ, ut uterentur epistola quam is ipse Megalius eo tempore scripsaret, quo calumniæ fidem babebat, qua Petilianus, Donatista, S. Augustini famam inobscurare volebat; at sanctus vir eos repulit & pudore suffudit per ipsius Megalii palinodiam, qui primo ejus accusator, tum consecretor ejusdem fuit. Tillemontius, *Memoires pour servir à l' histoire ecclesiastique*, Tom. XIII. pag. 215. & seqq.

Concilium Jerosolymitanum, an. 399.

Concilium hoc habitum fuit ab Episcopo Joanne II., eo nempe ipso qui Origenis defensionem suscepit, & cui magnæ, ejus causa, cum S. Epiphanio & S. Hieronymo contentiones fuere. Occurrit Joannis Episcopi Synodica epistola apud S. Hieronymum, *Epist.* 93. editionis Veronensis. Ibidem etiam perspicitur hoc Jerosolymitanum concilium approbasse synodicam Theophyli, Alexandrini Episcopi epistolam, in concilio editam, quod eodem anno Alexandriæ habitum fuerat.

Concilium Seleuciense in Perside, an. 399.

Cajumas, Seleuciæ & Ctesiphontis Episcopus, cum Orientis Episcopos, an. 399. Seleuciam convocasset, sua se sede abdicavit, motu proprio, atque humilitate quæ lacrymas ex omnium concilii patrum oculis traxit. Petiit ergo, qua maxima potuit sollicitudine, ut in ejus locum Isaac Cajumas substitueretur; quod ei præsules non concessere nisi ægre, eaque conditione, ut Isaac nihil ageret, quin eum consuleret. *Allemanius*, Biblioth. Orient. Tom. III. pag. 364. *Mansius*, Supplem. Tom. I. col. 259.

Concilium Romanum, an. 400.

Summus Pontifex S. Anastasius præfuit concilio huic, in quo definitum fuit haud fore, ut clerici vel Episcopi Donatistæ suis in gradibus servarentur, cum ad catholicam Ecclesiam rediissent. *Edit. Venet.* Tom. II.

C O N C I L I A

SÆCULI QUINTI.

Concilium Taurinense, an. 401.


Oncilium hoc nos in nostra *Conciliorum Analysi*, Tom. I. pag. 85. ad 400. annum retulimus, animadvertentes tamen illud ab aliis longius protrahi. Verum hoc loco addamus, oportet, an. 401. habitum fuisse, X. Kal. Octobris, videlicet 22. mensis Septembris die, quem diem notat ipsius concilii præfatio. Hoc autem concilium an. 401. non vero 400. celebratum esse id argumento est, quod S. Martinus Turonensis Episcopus, Novembri mense an. 400. e vivis excessit, & S. Bricius, proximus ujus successor, eam Ecclesiam, dum hoc concilium haberetur, administrabat, quemadmodum ex Dissertatione 3. Tom. I. postremæ editionis *Operum Sulpicii Severi* compertum fit. *Mansius Suppl.* Tom. I. col. 253.

Concilium Constantinopolitanum, an. 403.

Quo ipso tempore Theophilus Alexandrinus, quadraginta quinque Episcoporum agmen ducens, conciliabulum *ad Quercum*, prope Calcedonem suberbium, habebat, in S. Joannem Chrysostomum; Episcopi quadraginta verum concilium in ejus favorem Constantinopoli celebrabant. Eum Imperator Arcadius expulit; at ejus exilium haud unius diei spatio longius fuit. Theophili vafrities conciliabulum aliud, sequenti an. 403. in eadem Constantinopolitana urbe coegit, in quo S. Joannes Chrysostomus iterum depositus fuit, & urbe expulsus, quinto post Pentecosten die, quod festum, eo anno, in quintam junii diem incidebat. *Fabricius*, & auctor *Artis purgandi nascripta tempora*, pag. 177.

Concilium Carthaginense, seu Africanum, an. 403.

Concilium hoc quod Augusti die 25. habitum est, ex omnibus Africæ provinciis conflatum fuit. Ei præfuit Aurelius, Carthaginis Episcopus. Id unum concilii patribus propositi erat, ut Donatistæ catholicis redintegrarentur. Quicquid extat in *Codice Ecclesiæ Africanæ*, a pag. 911. C ad pag. usque 915. C, ad hoc concilium pertinet. *Ars purgandi nascripta tempora*, pag. 177.

Concilium Carthaginense, seu Africanum, an. 404.

Habitum est concilium hoc, Junii die 16. sub Carthaginensi Episcopo Aurelio. In eo editi plures super disciplina canones, & imploratum Imperatoris Honorii in Donatistas subsidium. Quicquid occurrit in *Codice Ecclesiæ Africanæ*, a pag. 915. C ad usque p. 918. E, ad hoc concilium spectat.

Concilium Carthaginense, an. 405.

Augusti die 25. hoc concilium habitum fuit. Quicquid legitur in *Codice Ecclesiæ Africanæ*, e pag. 918. E usque ad pag. 919. B, ad hoc concilium refertur. *Ibid.*

Concilium Italicum, an. 405.

Summus Pontifex Innocentius I. convocavit concilium hoc, Italicum dictum, in urbe Roma fortasse habitum, eique præfuit. Italiæ Episcopi qui ei adfuere, Honorium, Occidentis Imperatorem per litteras obsecrarunt, ut a fratre Arcadio Orientis Imperatore concilii Thessalonicæ cogendi facultatem peteret, in quo S. Joanneis Chrysostomi, iterum in exilium acti causa ad trutinam revocaretur. Honorius reapse ad fratrem scripsit, ejusque epistola ab Episcopis quinque, Romanæque Ecclesiæ Presbyteris duobus & Diaconorum uno ad Arcadium allata fuit. Id nobis tradit Palladius in eo quem texuit, *Dialogo vita S. Joannis Chrysostomi*. *Mansius*, in Suppl. col. 285.

Concilium Seleuciense in Perside, an. 410.

Concilium hoc, Theodosio juniore, Imperatoris Arcadii filio Imperium administrante, habitum fuit. Ei numero quadraginta Episcopi interfuere, quorum præcipui duo erant Isaac Seleuciæ Episcopus, & Maratha ejusdem frater. In eo viginti septem, qui sequuntur, canones ad Ecclesiasticæ disciplinæ in Perside & Mesopotamia redintegrationem editi fuere.

Horum primus preces pro Principibus præcipit.

2. Est fidei professio quæ omnino Nicænæ concinit, cujusque proinde ope se fideles ad eam conformant.

3. Episcopum ab aliis saltem initiatum vult, & quidem postquam peculiariter per accuratum examen de ejus doctrinæ ac morum sanctitate constiterit.

4. Eunuchos voluntarios a clero rejicit.

5. Arcet a ministerio Presbyterum quemque, & cujusvis generis clericos, qui non omnino a feminarum commercio sejunctam vitæ rationem ineunt.

6. Clericos omnes usuræ, vel alterius sordidi lucri reos tamquam ab ecclesiasticis functionibus prorsus alienos spectat.

7. Quicumque ad aliquod veneficium, vel ad hujus generis alia tenebrarum opera contulerint, a fidelium communione per hunc canonem removentur.

8. Crebram Synodorum celebrationem spectat.

9. Episcopos inter & Presbyteros hospitalitatem erga eos præscribit, qui ex eorum gradu cum commendatitiis litteris quæ quidem regulis congruunt, ad eos accesserint.

10. Triclinium pro presbyteris aliisque clericis adesse vult, ab eo distinctum, in quod alii pauperes recipiuntur, ut servetur congrua dignitas.

11. Presbyterorum, Diaconorum, &c. dormitorium ita segregatum esse vult, ut in eo nemo unus prætensa locum habeat.

12. Mandat, ut lectiones & institutiones fiant ad tertiam & quartam diei horam usque, deinde vero sanctum Sacrificium offeratur.

13. Metropolitanos ob oculos habere vult Nicænos canones, itemque Persici concilii acta, ut nihil contra sanctis regulis perficiatur.

14. Vetat, ne quis Episcopus Chorepiscopos uno plures habeat.

16. Archidiaconum vult Episcopi brachium & linguam esse, ut ejus mandata enuntiet, exequaturque, & populos erudiat.

17. Præcipit, ut in Ecclesiis quæ Episcopum obtinent, idem Archidiaconus Presbyteris aliisque ministris munia distribuat, quæ per hebdomadam obire debent.

18. Ecclesiæ ministros subsidia ad vitam necessaria ab Ecclesia accipere vult; œconomumque qui hæc subsidia distribuendi curam habere debet, officii sui claves ex altari recipere, easdemque, cum id muneris desierit, super altari reponere.

19. Presbyterum qui a cœtibus abstinet, nisi forte morbi causa; a ministerio rejectum vult.

20. Presbytero, absente Episcopo, potestatem conferre videtur, et Archidiacono Sacrificium offerendum committat; confert etiam Archidiacono auctoritatem puniendi Diaconos qui a suis functionibus absunt, nisi eos morbus impediat.

21. A ministerio segregationem statuit in subdiaconos, qui ad sua se munia non accuratos præbent.

22. Archidiaconum curare vult, ut cæterorum ministrorum singuli ad suum se officium conferant, nec eos vult sine ejus venia recedere, eique mandat ipsi, suum ut ministerium, prout omnino decet, atque ita ut exemplo sit, exequatur.

23. Diaconos, atque adeo presbyteros ipsos eo juniores, qui, Episcopo absente, celebrant, haud vult a cœtu recedere, quandoquidem qui celebrat, tamquam majori observantia dignus spectari debet, seu major sit ætate, seu non.

24. Sacerdotio initiari clericum vetat, qui nondum triginta annorum ætatem attigerit, eoque charactere dignus per maturum examen judicatus non fuit.

25. Prohi-

25. Prohibet, ne Episcopi presbyteros & diaconos, nisi ante alicujus Ecclesiæ altare, instituant.

26. Vetat, ne ad sacros ordines, ipsumque Subdiaconatum suscipiatur, quicunque psalterium non callet; mandatque, ut, qui, antequam illud scirent, initiati fuere, a ministerio recedant, quoad illud didicerint, & meditati fuerint.

Postremus Episcoporum & Metropolitanorum auctoritatem moderatur, indicatque præterea singulas facti species, in quibus ad Patriarchem, vel ad Summum Pontificem confugiendum est. *Mansi*, Supplem. Tom. I. col. 286.

Concilium Ptolemaidis, an. 411.

Putat Baronius Synesium, Ptolemaidis Episcopum, hoc anno Ptolemaide, Lybiæ Pentapolis Episcopali urbe provinciale concilium habuisse, in quo Andronicum, Pentapolis præfectum communione privaverit, qui tyrannum agebat, sueque mandata Ecclesiæ foribus affigenda curaverat. At Belutius ostendit jactatum hoc provinciale concilium nihil aliud quam purum putumque cleri qui Synesio suberat, cœtum fuisse, quod probat epistola 72. quam Synesius ipse ad Episcopos scripsit, quamque affert Baronius, *num.* 59. Id scitu dignum est hunc Synesium, doctiorum sui temporis præsulum unum fuisse, suique ingenii plura monumenta reliquisse, quorum Petavius græcam latinamque editionem cum celebratissimis adnotationibus dedit. *Pagius*, Critic. Tom. II. pag. 108.

Concilium Illyricum, an. 415.

Huic cogendo concilio causam præbuit Perigenes, Corinthi Presbyter quem Patrarum, Episcopalis urbis provinciæ Thessaliæ, in Illyriæ orientalis diœcesi Episcopum initiaverat Corinthi Episcopus, Alexander nomine, ad quem S. Joannes Chrysostomus, cum exul esset, epistolam misit, quæ inter hujus patris epistolas 164. est. Cum Patrenses incolæ Perigenem sibi Episcopum recipere noluissent, coactum est in Illyria concilium, quod Romam scripsit, ut Perigenis pietatem, rectamque agendi rationem testaretur. Refragantium pervicaciam Romanæ sedes superare non potuit, & negotium hoc longius protractum fuit. Verum Alexandro, Corinthi Episcopo, qui Perigenem initiaverat, dum hæc agerentur, vita functo, Corinthii Perigenem sibi Episcopum poposcerunt, obtinueruntque a Bonifacio, hujus nominis Primo qui Perigenis ad Corinthiensem Ecclesiam translationem approbavit. *Tillementius*, Tom. XII. pag. 399. & 400.

Concilium Tusdrense in Bysacena.

In eo canones editi duo. Primus a communione eos removet, qui desunt concilio, exceptis Episcopis quos provecta ætas, vel adversa valetudo, ne eidem intersint, impediunt. Vetat alter, ne ad concilium recipiantur Episcopi qui legationem per quam ad illud accersebantur, suscipere noluerunt. *Baluzius*, Concil. pag. 366.

Concilium Suffetulense, an. 418. vel circiter.

Urbs Suffetula ad Bysacenam in Africa provinciem, sub Carthaginis metropoli, pertinebat. Suffetulense concilium vetuit, ne laicus ad episcopatum eveheretur, nisi infra annum per cæteros omnes ecclesiastici ministerii gradus migrasset. *Baluzius*, ibid.

Concilium Antiochenum, an. 418.

Coegit concilium hoc Theodotus, Antiochiæ Episcopus, ut Pelagii errores proscriberet. De hoc scilicet concilio id certo constat, utrum vero an. 418., ut P. Mansi contendit, an solum an. 424., quemadmodum auctor *Collectionis Conciliorum* P. Labbei, Venetiis editæ credidit, habitum fuerit, incertum est. Posterior hæc temporis nota melius congruit cum P. Pagii, aliorumque sententia, qui Theodotum asserunt non nisi an 420. vel etiam 421. post Alexandri mortem quæ, eorum judicio, solum an. 420. contigit, Antiochenæ sedi præfectum fuisse. *Oriens Christ.* Tom. II. pag. 679.

Concilium Ctesiphontis in Perside, an. 420.

Jaballaue, Seleuciensis metropolita, suis cum suffraganeis concilium hoc celebravit. In eo recepti canones qui in Romanæ Ecclesiæ conciliis pluribus editi fuerent. *Alemannius*, Biblioth. Orient. Tom. III. pag. 374., *Mansius*, Suppl. Tom. I. col. 307.

Concilium Numidiæ, seu Hipponense, an. 422.

Quidam nomine Antonius huic concilio occasionem præbuit. Eum a teneris, quod ajunt, unguiculis educaverat summus vir Augustinus, a quo Fussalensibus civibus, cum Donatistarum schisma abjurassent, Episcopus datus fuit. Episcopum hunc, cum rapinæ, concussionis, violentiæ & adulterii accusatus esset, concilium omni in suos diœcesanos jurisdictione spoliavit. Id is per technas dolosque assecutus est, ut Numidiæ primatem ad dandas ad Bonifacium Papam in ejus gratiam litteras permoveret, & Romam ipse se contulit, ut Concilii sententiam reformandam curaret. Deceptus, perinde ac Numidiæ primas, Summus Pontifex Bonifacius ad Africam litteras dedit, quarum adminiculo Antonius restitueretur. At cum Papa hic Septembri mense an. 422. supremum diem obiisset, S. Augustinus ejus successorem Cælestinum per epistolam hortatus est, nullam ut fidem Antonii calumniis dolisque adhiberet, & concilii sententiam firmaret; quod perfecit Summus Pontifex, ut propterea credendi locus est, quia S. Augustinus occubuit adhuc Episcopus, testatusque Papæ Cælestino fuerat fore, ut, abdicata Episcopali sede, ipse Episcopus esse desineret, siquidem relinqueretur Fussalensibus incolis nequam Episcopus, quem iis ipse per imprudentiam sine satis gravi probatione dederat. *Tillementius*, Tom. XIII. pag. 836. & seq. *Mansius*, Tom. II. col. 309.

Concilium Ciliciæ, an. 423.

Hoc Ciliciæ, quæ minoris Asiæ provinciæ, concilium habitum est in Pelagianos, & peculiariter in Julianum qui apud Theodoretum, Mopsuestenæ urbis quæ in eadem provincia aderat, Episcopum se receperat, ubi in *S. Augustinum* suos octo *Libros* scripsit. At id non impediit, quominus Theodoretus eum ipsum quem apud se susceperat, una cum cæteris omnibus Pelagianis, in hoc concilio damnaret. *Joan. Garnerius*, parte I. *Operum Marii Mercatoris*, pag. 219., *Baluzius, in nov. Collect.* pag. 371.

Concilium Hipponense, an. 426.

S. Augustinus se ad ætatis an. 72. provectum videns, volensque turbas contentionesque evitare, quæ sæpe sæpius in episcoporum electionibus emergere solent, id consilii cepit, ut sibi successorem daret in Heraclii persona, qui junior quidem adhuc, e suique cleri Presbyteris postremus erat, at scientia virtutibusque se apprime commendandum præbebat. Ergo S. Doctor, accitis Episcopis duobus (Religiano & Martiniano), septemque Presbyteris, Heraclium sibi in Episcopatu successorem enuntiavit, eum tamen purum putumque presbyterum remanere volens, quoad Augustinus ipse occubuisset, ne contra Nicænum concilium faceret, quod Episcopum, vivente altero, initiari vetat, quemadmodum ejusdem concilii statutum violatum fuerat, cum, ejus decessore Valerio adhuc in vivis agente, ad Episcopalem ipse dignitatem evectus est. Hipponensis populus eo libentius S. Augustini votis assensum præbuit, quod Heraclii merita noverat. *S. Augustinus, epist.* 213. *Baluzius*, Concil. pag. 371.

Concilium Trecense in Campania, an. 429.

Cum Angli Episcopi a Gallis præsulibus subsidium petiissent, ut Pelagianos impugnarent, qui in Magnam Britanniam irrepserent, Galliarum Episcopi, ut super hoc negotio concilium caperent, frequens concilium coegerunt. In eo captum, ut mitterentur ad Anglorum subsidium S. Lupus Trecensis, & S. Germanus Antissiodunensis, qui mandatis non sine sollicitudine obsecuti, & feliciore successu perfuncti sunt. P. Garnerius, in postrema, quam edidit, *Appendice ad primam partem* Operum Marii Mercatoris, *Dissert.* 2. contendit concilium quod sanctos eos duos Episcopos ad Anglos misit, Arelate habitum esse an. 427., at Bollandistæ illud Trecis an. 429. celebratum ostendunt. Probationum quas in id afferunt, una est, quod in vitæ S. Lupi veteribus actis legitur, eum, sanctumque Germanum Trecensis fidei professionem Anglis suscipiendam proposuisse: *Omnes enim prorsus ad fidem Trecassinæ confessionis ab errore populos abduxere;* quod omni dubio procul fidei confessionem significat, quæ in Trecensi concilio statuta fuit. *Acta Sanct. Julii*, Tom. VII. pag. 69. & seqq.

Con-

Concilium Romanum, *an.* 433.

Habitum est concilium hoc a Papa Sixto III. ejus ad pontificatum promotionis anniversaria die. Orientalium cum S. Cyrillo conciliationis acceptus in eo per epistolam nuntius, quam sanctus is præsul ipse ad Romanum Pontificem scripsit, ut eam felicem rem eidem significaret. Ad S. Cyrillum Sixtus concilii nomine responsum dedit; ac de hoc quidem concilio nobis id unum constat, *Tillemontius*, Hist. Eccles. Tom. XIV. pag. 261.

Baronius quem Conciliorum Collectores sequuntur, sub ejusdem anni finem aliud in urbe Roma concilium ponit, in quo pro certo habet Summum Pontificem Sixtum III. per quinquaginta quatuor Episcopos a turpi accusatione cum laudissime purgatum fuisse, quam consul Anicius Bassus in eum intentaverat, quasi virginem in Ecclesia violasset. At monumenta quibus nititur historia hæc, nihil sunt aliud quam *fabellarum ineptiarumque congeries*, inquit Tillemontius, *earumque vel una cursim lectio falsitatem cuique persuadet. Baronius, in hujus* historiæ gratiam, *ad puriorem fontem confugi vult*, pergit Tillemontius, *ad librum Pontificalem scilicet qui* Anastasio tribuitur, (*cujus nescitur unde congesta comi multum sæpenumero fucum crebuntur, ut fatetur Baronius ipse*). Anastasio tamen quoad caput hoc auctoritatem *addit Catalogus quidam* (*quem ad VI. Sæculum pertinere contenditur, quia in Felice IV. desinit, sed in quo tamen occurrunt omnis generis fabulæ* . . . .). *Si verum est anno & octo mensibus post Sixti promotionem, quod Anastasius ait, hoc negotium contigisse, satius fuerit illud ad anni* 434. *initium poni; ut longe melius dictu est id nullo unquam tempore evenisse; quoniam in alio huic admodum simili accusatione in Symmachum Papam efficta, in qua sollicite conquisita exempla sunt vel in ipso Eulalii contra Bonifacium schismate, cujus ad eam rem nulla prorsus erat ratio, nemini in mentem venit id afferre quod sub Sixto III. contigerat.* Tillemontius, *ibid.*

Concilium Antiochenum, *an.* 436.

Concilium hoc ex omnibus Orientis provinciis conflatum fuit. Ei præfuit Joannes, Antiochenus Patriarcha; synodicasque epistolas tres scripsere concilii patres in Theodori Mopsuesteni gratiam, cujus defensionem susceperunt; ad Imperatorem Theodosium juniorem primam, ad S. Cyrillum Alexandrinum alteram, & ad Proclum Constantinopolitanum tertiam.

Contendit P. Mansi concilia duo super Theodori Mopsuesteni causa & defensione Antiochiæ celebrata dignosci oportere, unum quidem an. 435. alterum vero an. 440. Ait ergo Joannem Antiochenum coegisse concilium sua in urbe Antiochia, statim atque opus accepit, quod Proclus Constantinopolitanus de Theodoro Mopsuesteno ad eum miserat; atque hoc quidem est an. 435. seu 436. concilium. Cum porro Armeniæ nonnulli Monachi Constantinopolim deinde attulissent e Theodori Mopsuesteni libro excerpta quædam quæ ibidem, adeoque per universum Orientem quem iidem Monachi percurrebant, perturbationis multum crearunt, Joannes Antiochenus coegit concilium alterum a priore distinctum, quod an. 440. concilium est, cui synodicæ tres epistolæ de quibus supra, tribuendæ sunt. Opinionem suam P. Mansi fulcit *compendiaria Nestorianorum & Eutychianorum Historia*, quæ a Liberato, Carthaginensi Diacono elaborata vulgo *Liberati Breviarium* dicitur; sibique etiam ex *Theophanis Chronographia*, seu *chronico* subsidium quærit. *Mansi*, Suppl. Tom. I. col. 319.

Concilium Vesontiense, *an.* 440.

S. Hilarius Arelatensis qui primatis Galliarum titulum sibi sumebat, coegit concilium hoc, in quo Celidonius, seu Quelidonius depositus fuit ob irregularitates duas; unam, quod olim cum vidua conjugium inierat; alteram, quod aliquo judiciario munere functus quosdam ad mortem damnaverat. Baronius, P. Quesnellus, & P. Papebrochius crediderunt Qualidonium hunc Viennensis Agri Episcopum fuisse; Petrus de Marca aliique docti viri non pauci contra asseruerunt eum Vesontionis Episcopum, atque adeo metropolitanum fuisse. Ut ut res habeat, Quelidonius a concilii sententia appellavit ad S. Leonem I. qui in alio concilio Romæ habito, quicquid S. Hilarius in Quelidonium egerat, abrogavit, in suamque sedem hunc posteriorem restituit. Cæterum haud certum est hoc concilium Vesontione habitum fuisse; conciliorum editores & Fleurius nil tale dicunt. *Tillemontius*, Hist. Eccl. Tom. XV. pag. 70.

Concilium Antiochenum, *an.* 445.

Domnus, Antiochenus Patriarcha convocavit concilium hoc ex omnibus Orientis provinciis, querelarum occasione de Athanasio, Episcopo Perrhæ, Episcopalis ad Euphratem urbis in Antiochiæ diœcesi, sub Hieropolis metropoli. Athanasius cum de pluribus criminibus accusatus esset, conciliique patribus se sistere noluisset, criminum de quibus accusabatur, reus declaratus depositusque fuit; & Sabinianus in ejus locum suffectus. Dioscorus, Patriarcha Alexandrinus, & Eutychetis defensor Athanasium in suam sedem restituit; leguntque ejus ad VI. Chalcedonensis concilii actionem subscriptio; at in actione XIV. ejusdem concilii ad quod Sabinianus confugit, negotium hoc ita finitum fuit, ut Athanasius depositus remaneret, & Sabinianus suam sedem reciperet. Concil. Tom. IV. pag. 6415. *Oriens Christ.* Tom. II. pag. 943.

Concilium Romanum, *an.* 445.

Præfuit concilio huic summus Pontifex S. Leo, in eoque abrogavit, quicquid contra Quelidonium in Vesontionensi actum fuerat. In eo S. Hilarius Arelatensis a sanctæ Sedis communione segregatus fuit, & canon in eos editus, qui arrogantia tumescentes, & absque ulla legitima causa, suorum fratrum cœtus evitare student. Labbeus, Tom. III., *Mansi*, Suppl. Tom. I. col. 321.

Concilium Romanum, *an.* 447.

Cum Siculorum Episcoporum nonnulli per alienationes aut donationes præposteras suarum Ecclesiarum bona dispergerent, S. Leo huic abusui remedium afferre volens, coegit concilium hoc quod vetuit, ne quis Episcopus per donationem, venditionem aut permutationem de ullo Ecclesiæ suæ bono disponeret absque sui totius cleri consensu, ac nisi id ad ejusdem Ecclesiæ utilitatem vergeret. *Mansi*, Ibid. col. 323.

Concilium Antiochenum, *an.* 448.

Domnus, Antiochenus Patriarcha celebravit Paschatis festis diebus concilium hoc, in quo de Iba, Edesseno Episcopo actum est. Hujus præsulis accusatores, cum se concilio stitissent, anathemate perculsi, & cum ignominia recedere coacti sunt. Hujus concilii mentio fit in eo quod eodem anno Beryti habitum est, & in Chalcedonensis actione X. *Mansius*, ibid.

Concilium Berytense, *an.* 448.

Concilium hoc quod potius Ecclesiasticum judicium appellari debet, celebratum fuit Septembri mense an. 448 Beryti, Episcopalis urbis primæ Phœniciæ, in Antiochiæ diœcesi, sub Tyri metropoli. In eo Ibas, Episcopus Edessenus declaratus fuit Orthodoxus, judicatusque dignus, qui suam in Ecclesiam rediret. Extant hujus concilii, seu potius Ecclesiastici judicii acta in Chalcedonensis concilii actione X. P. Pagius, & Cardinalis Norisius cœtum hunc ad an. 449. spectare putant. *Mansi*, Suppl. Tom. I. col. 323.

Concilium Gallecia in Hispania, *an.* 448.

S. Toribius, Episcopus Asturicensis celebravit concilium hoc, S. Leonis Papæ jussu. Perierunt ejus acta, & in quanam Galleciæ urbe habitum fuerit, ignoratur. Id unum in comperto est, in eo Priscillianistarum errores librosque proscriptos esse, quemadmodum Domnus Joannes de Ferreras memoriæ tradit in II. Volumine suæ *generalis Hispaniarum Historiæ*.

Concilium Romanum, *an.* 451.

Concilium hoc sub anni finem S. Leo celebravit. In eo receptum Chalcedonense concilium, editique ad disciplinam spectantes canones duo. Mandat primus, ut infantes a captivitate restituti baptizentur, cum subest satis gravis causa dubitandi, baptisma, necne, susceperint; alter baptismum ab hæreticis collatum iterari vetat. Mansius concilium hoc ad 29. Septembris diem an. 451. refert, prætexens eam diem annuæ Romanæ synodo sacrum fuisse; at non animadvertit Chalcedonense Concilium non nisi 8. Octobris die, inchoatum, ejusdemque mensis die 31. an. 451. absolutum esse; & quod inde consequitur, fieri

fieri minime potuisse, ut Romanum concilium quod re... ut epprobavitque Chalcedonense, mense Septembri ejusdem anni celebraretur. *Mansi*, Suppl. Tom. I. col. 327. *Ars purgandi nascripta tempora*, pag. 180.

Concilium Galliarum, an. 451.

Quadraginta quetuor Episcopi intetfuere concilio huic, & Summi Pontificie S. Leonis ad Fleviaunm, Antiochenum Petriarcbem contra Eutychetam epistolam approbarunt, epistolam, inquam, quæ a praeclarissimis antiquitatis monumentis unum alt. P. Mansi concilium boc ad an. 451. finem collocat; & Tillemontius, fatis gravi fundamento nixus, illud Arelete babitum esse pro certo ponit, tametsi non omninn id certum fit. Suam doctus vir opioionem ex eo probet, quod Ravennius Arelatensis præfuit concilio huic, ad eumque scripsit S. Leo, rogans, ut ejus ad Flaviaoum epistolam e Gelliarum Episcopis approbandam curaret; astque proinda edmodum ipsi naturæ consonum credere Galliarum Episcopos e Revennio in ipsa ajus Archiepiscopali urbe coactos fuisse. Ingenuus Embrodunensis Archiepiscopue Concilii ad S. Leonam epistolam detulit. *Tillemontius*, Tom. XV. pag. 627. & 628.

Concilium Jerosolymitanum, an. 453.

Habuere concilium hoc triplicis Pelestinæ Episcepi, & Juvenalis, Jerosolymitanus Episcopus eidem præfuit. Præsul bic adfuit an. 451. Cbalcedonensi concilio a quo Petriercbelia jura in fuæ Ecclesiæ gratiam obtinuit. At, eo ebsente, Monachus quidam, Theodosius nomina, hæresiarchæ Eutychetis pervicax affecla Jarosolymitana feda potitus est, eamque per menses viginti, latronis in modum, tanuit. Imperator Marcianus Juvenalam restituit, qui concilium hoc ad fidei farvandam incolumitatem coegit. Ei adfuere I... eus Cæsareensis, Paulus Paralensis, aliique plures; scripsaruntque synodicam ad Presbyteros, ad Abbetes, & ed omnes Monachos in Palæstine versantes epistolam, ut calumnias disjicerent, quas Theodosius in Chalcedonense concilinm disseminaverat. *Oriens Christ.* Tom. II. pag. 1444. *Tillemontius*, Tom. XV. pag. 755.

Concilium Romanum, an. 458.

Coegit hoc concilium Summus Pontifex S. Leo, ut aliquae difficultates ditimeret, quibus Hunnorum grassationes causam præbuerant. Præcipua quam in hoc concilio S. Pontifex examini subjectam voluit, ea fuit, quæ ed aos retarebatur, quos barbari captivos traxerant. Statuit concilium, ut iis qui ab hæreticis beptizati essent, tantummodo maous imponerentur, quin iterum beptizarentur; infantibus vero, quorum baptisma dubium foret, citra difficultatem sacramentum boc conferretur. Concilium porro da baptisinata sub conditione bis pueris conferendo noo loquitur, quie semper in Ecclesiæ mente ac doctrina ejusmodi conditio continetur. *Tillemontius*, Tom. XV. p. 817.

Concilium Romanum, an. 462.

Summus Pontifex S. Hilarins, S. Leonis successor, habuit concilium boc Navembri mense una cum Episcopis pluribus qui Romam a peculiaribus provinciis convenerant, ut ibidem anniversariam ajus consecrationis diem celebrarent. Discussum elt in hoc concilio Hermetia, seu Hermezii negotiam, qui a S. Rustico, Nerbonensi Archiepiscopo initiatus Biterrensis urbis Episcopus, cum tamen ajus Ecclesiæ possessionem inire non potuisset, eliquanto post ab sodam S. Rustico ed Narbonensem sedem nominetus fuit, ut aidem, cum obiisset, dubio procul succederet. Huic nominationi S. Leo assentiri noluit; quod impedimento tamen non fuit, quominus Hermezius super ea feda post S. Rustici mortem ipse se collocaret. S. Hilerius qui S. Leoni in fommo Pontificatu suffectus fuerat, ea de re acriter apud Leontium Arelatensem conquestus est; at negotio in boc Romano concilio ad trutinam revocato, statutum fuit, ut ad pacis bonum Hermezius in Narbonensi fede remaneret, ea conditione, ut Episcopos ordinandi potestate careret; hac autem potestas Constantinum, Uticensem Episcopum, utpote qui in provincia senior esset, transferretur, denique post Hermezii mortam Episcopalium ordinetionum jus ad Narbonensem Episcopum revarteretur. Hanc definitionem S. Hilarius a Galliarum Episcopis indixit per epistolam, datam die 3. Decembris an. 462. Idam concilium mandavit, ut Galliarum Episcopi quotaunis provincierum concilinm celebrarent, nec eorum quisquam e sua pelam efferret sine metropolitaoi vel, siquidem matropolitanus abnueret, sine Arelatensis Episcopi literis. *Concil.* Tom. IV. *Tillemontius*, Tom. XVI. pag. 41.

Concilium Arelatense, an. 463.

Cum S. Mamertus, Viennensis in Delphinetu Archiepiscopus Marcellum sacresset Diensis urbis Episcopum, quam a sua metropoli pendare putabat, Romenus Pontifex S. Hilarius, epud quam Gondiecus, Burgundioonm Rex ea de re questus fuerat, ejus nagotii cognitionem ad Leontium Arelatensem ramisit, ut illud in concilio finiret. Post concilii nuntium, mandavit Papa Hilerius, ut Dieziensis Episcopus qui e S. Mamerto sacretus fuarat, eb Areletensi Archiepiscopo confirmeretur, & Viennensis Archiepiscopus ab ordinetionibus extra sua provinciæ fines in posterum abstineret. Reg. Tom. IX. Harduinus, II. *Venet. IV.*

Concilium Tarraconense, an. 464. vel 465.

Cum Silvanus eb Episcopis Calagurriensis Episcopus ordinatus esset, inscio Ascagnio, Tarraconensi Archiepiscopo, ejus metropolitano, hic quidem suæ provincia concilium convocavit, a cujus condicto ad Papam S. Hilarium ea de re scripsit, a quo certior fieret, quemadmodum cum Silvano egi oporteret. Summus Pontifex cum negotium expendisset in concilio quod 19. meosis Novembris dia an. 465. Romæ bebuit, per decretalam epistolam ad Ascagnium omnesque Tarraconensis provinciæ Episcopos missam, eodem anno 465. 30. Decambris dia datam respondit, se quidem, multarum quas a plurium Hispaniæ urbium, in Silvani gratiam, magistratibus præcipuisque civibus acceperet, litterarum ratione habita, ei, quod actum eret, condonare, dummodo canones daiocepe servaret. *Baluzius*, in Coll. *Tillemontius*, Tom. XVI. pag. 44. & seq. *D. Cellierius*, Tom. XV. pag. 8. & seq.

Concilium Venetense, an. 465.

S. Perpetuus, Turonensis Episcopus, & Lugdunensis provinciæ tertiæ metropolita, cum elis Episcopis quinque concilium hoc celebravit. Synodi petres S. Paternum Venetiarum in inferiore Britannia primum Episcopum initiarunt, eodemque tempore canones sexdecim edidarunt; quorum multi e Turonensi concilio an. 461. babito deprompti suot. Nos eos hoc loco damus, qui Vanatensis concilii proprii & peculiares suot.

Secundus anetheme in eos pronuntiat, qui alias conjuges ducunt, ea quam primam duxerant, repudiata, nisi forte edulterii causa; quamedmodum legitur in Evangelio.

Episcopi qui hanc synodum constituebant, male fuit ac perperam sacras litteras interpretati, quandoquidem, e Patrum consensu, Ecclesiæque consuetudine, ei qui uxorem repudiavit, non licet aliam, priore vivente, sibi sumere. At vere simile fit, eos in controversia quam tamquam fidei caput nequaquam spectabant, disciplinam secutos esse, qua tum quidem in Galliis, aut saltem in Britannia provincia vigebat.

Septimus. Monacbos vetat in privatas cellulas se recipere, nisi perspecta virtute insigniti, eut infirmi sint, eaque conditione, ut intra monasterii ambitum, & sub Abbatis potestate remaneant.

Octavus. Probibet, ne quis Abbas monasteria plura, pluresve callulas obtineat.

Nonus. Presbyteris, Diaconis, Subdiaconis, quibus metrimonium inira non licat, interdicit, ne nuptiis intersint, aut ad convivia cœtusque se conferent, in quibus cantilenæ quæ amoram sapiunt, concinantur, indecentesque ac turpitudinum pleni gestus aguntur; ne oculi & aures, qui sanctis ministeriis addicti sunt, nefariis spectaculis verbisque polluentur.

Duodecimus. Vetet, ne quis e clericis Judæorum conviviis intersit.

Decimustertius. A communione per dies triginta segregatos vult ecclesiasticos qui in ebriatatia peccatum labuntur, atque adeo jubet, ut eliqua corporali pœne puniantur; quie scilicet omnium criminum nutrix ebrietas est.

Decimusquartus. Ad eamdem pœnam clericos damnat, qui in urbe commorantes, haud tamen ad matutinum officinm conveniunt.

Decimusquintus. Mandat, ut in universa Lugdunensi provincia officii peragendi & concinendi ritus sit unus tenorum.

Deci-

Decimusfextus. Clericos anathemate percelli vult, qui se divinationibus immiscent, seu per auguria, seu per cæremonias superstitiosas quas nuncupant *Sanctorum sortem*, seu denique ratione alia. Constitutiones has concilium ad Victorium, Cenomanensem Episcopum, & ad Thalassum, Episcopum Andigavensem misit, qui ad synodum accedere non potuerant. Reg. IX. Labb. IV. Hard. II.

Concilium Antiochenum, an. 472.

Hoc in concilio depositus Petrus Fullo qui Antiochenam sedem superiore anno 471. usurpaverat, ibique pseudoconcilium coegerat, in quo hæc impia locutio Trisagio addita fuit: *Qui crucifixus es pro nobis.* Petrus hic Fullo erat pertinax hæreticorum *monophysitarum assecla*, qui ita propterea dicti, quia unam tantum in Christo Domino naturam ponebant, easque tamquam Nestorianas loquendi rationes damnabant, quas Chalcedonense concilium firmaverat. *Reg. IX. Labb. IV. Hard. II.*

Viennense in Delphinatu concilium, an. 474.

S. Mamerto, Viennæ Allobrogum Episcopo convocandi concilium hoc occasionem præbuerunt incendia, terræ motus, aliaque flagella quæ Galliam vastabant, itemque peculiares calamitates quæ S. Mamerti tempore Viennensem urbem vexabant. Instituit S. Antistes in hoc concilio publicas rogationes seu preces, cum jejuniis processionibusque conjunctas. *Chronicon Cameracense*, *Reg. XIX. Labb. IV.*

Concilium Constantinopolitanum, an. 478.

Coegit Acatius Patriarcha concilium hoc, in quo Petrus Fullonius, Joannes Apamcensis & Paulus Ephesinus damnati fuere depositique. Summus Pontifex S. Simplicius habuit Romæ eodem anno concilium super eodem negotio. In eo confirmatum fuit Chalcedonense concilium, & anathemate perculsi fuerunt Eutyches, Dioscorus, Timotheus, Elurus qui, cum esset schismaticus, excommunicatus & Eutychianus, Alexandrinam sedem invaserat, ejusque legitimum Episcopum S. Proterium occiderat. *Pagius*, Critic. Tom. II. pag. 401.

Concilium Laodicenum, an. 481.

Cum Stephanus III. super Antiochia, Syriæ metropolis sede Stephano II. cognomento *catholico* suffectus esset, Petri Fullonis fautores, per hæresis accusationem, in eum irruerunt. Hæc fuit Laodiceni concilii causa, quod rem totam in Stephani gratiam finiit. At eum furentes adversarii, primo Episcopatus anno, per arundines in longiorum hastarum modum sectas, vita spoliarunt, & in Orontem flumen projecerunt. *Oriens Christ.* Tom. II. pag. 670. & seq. Edit. Venet. Tom. V.

Concilium Romanum, an. 484.

Concilium hoc die 28. Julii in S. Petri Basilica celebratum, & e sexaginta septem Episcopis conflatum fuit. Ei præfuit Summus Pontifex Felix III. Vitalis & Misenius, sanctæ Constantinopolitanæ sedis legati in eo depositi & communione spoliati fuere, propterea quod cum hæreticis communicaverant, & Petri Mongi, Pseudopatriarchæ Alexandrini, pertinacisque Monophysitarum asseclæ nomen elata voce in dypticis pronuntiaverant. In hoc ipso concilio confirmata fuit hujus Pseudoepiscopi, & prima vice pronuntiata Acatii, Pseudopatriarchæ Constantinopolitani damnatio, qui gravia ob suum erga eusdem hæreticos studium mala Ecclesiæ attulerat, quique Zenonem Imperatorem impulerat, ut *henoticum ederet*, quamdam scilicet Eutychianis faventem formulam quæ Chalcedonensis concilii auctoritatem funditus evertebat, & horrendum schisma in Ecclesia excitavit. Damnationis sententiæ sexaginta septem Episcopi subscripserunt, unius licet Felicis nomen præferat; quia vetus mos obtinebat ut concilia quæ in Italia, præsertim super fide celebrabantur, non nisi Romani Pontificis nomen gererent. Damnationis actus, in epistolæ modum, ad Acatium missus fuit. *Concil.* Tom. IV. p. 1060. & 1072. *Pagius*, Critic. Tom. II. pag. 415. & seq.

Concilium Romanum, an. 485.

Idem Papa Felix III. quadraginta duobus, vel, ut alii numerant, septuaginta septem stipatus Episcopis, Octobris die 5. habuit in eadem Ecclesia concilium hoc, ut de Petro Fullone qui Antiochiæ Patriarchalem sedem usurpaverat, ageretur. In eo renovata anathemata quæ in hunc usurpatorem, quæque in Petrum Mongum & Acatium pronuntiata jam fuerant. *Ibid.*

Autumat P. Mansius ab eodem Pontifice habitum fuisse hoc ipso an. 485. vel sequenti saltem an. 486. Romana in urbe concilium alterum; nititurque hujus Papæ ad Archimandritas cæterasque Monachos Constantinopoli & in Bithynia dissemmatos epistola. Dicitur in hac epistola coactum fuisse Romæ concilium, ut damnaretur Tutus, Romanæ Ecclesiæ defensor, qui Constantinopolim missus fuerat, ut ibidem sententiam rite notam faceret, qua ejus urbis Patriarcham Acatium deponebat, quique, cum primo quidem officio suo bene functus esset, eo deinde imbecillitatis devenerat, ut cum Acatio communicaret. Jam vero de hac Tuti damnatione in synodica superioris concilii, die Octobris 5. an. 485. Romæ habiti epistola ne verbum quidem. Illud ergo concilium quod Tutum damnavit, habitum fuerit, oportet eodem anno ad finem vergente, vel sequenti an. 486. *Mansi*, Supplem. Tom. I. col. 345.

Concilium Romanum, an. 488.

Est idem concilium hoc atque illud quod ad an. 487. pag. 108. Tomi I. *Analysis* collocatum occurrit; quod tamen ipsum P. Mansi, & magna quidem cum verisimilitudine, non nisi an. 488. habitum putat. Res sane vere non est probabile, siquidem concilium hoc an. 487 habitum fuisse, synodicam epistolam in eo editam, datamque die 15. Martii an. 488. solum post annum missam esse. Præterea, in actis concilii dicitur illud cœpisse dominico die, 3. idus Martii, die videlicet 13., porro dies 3. idus Martii anno 487. non incidebat, bene vero an. 488. *Mansi*, Suppl. Tom. I. col. 347.

Concilium Romanum, an. 496.

Concilium hoc ipsum est, quod in omnibus Collectionibus ad an. 494 collocatum occurrit; quodque P. Pagius optima probat non nisi an. 496. celebratum esse. Id autem ex eo doctissimus vir evincit, quod ibidem honorifica mentio fit operis inscripti: *Carmen Paschale*, cujus auctor Sedulius fuit, poeta & presbyter V. Sæculi. Jam vero Sedulii opus hoc non nisi an. 496. collegit vulgavitque exconsul Turcius Rufus Asterius; quemadmodum constat e veteribus pluribus manu scriptis codicibus, & inter alia e codice Vaticano qui ad num. 1165. extat, prout Cardinalis Norisius animadvertit. Quoniam ergo idem Romæ concilium quod apocryphorum librorum decretum a Gelasio editum continet, Seduliani hujus operis mentionem facit, anno tantum 496. habitum fuerit, necesse est. *Pagius*, *Critic.* Tom. II. pag. 446.

CON-



C O N C I L I A

S Æ C U L I S E X T I,

Concilium Illyricum, an. 516.



Oannes, Nicopolis Epiſcopus, quæ veteris Epiri Princeps urbs & metropolis, ei ſeptem aliis Epiſcopis adſtantibus, Concilium hoc celebravit, cui propoſitum id fuit, ut ſe Eutychianis infenſum, & Papæ Hormiſdæ communioni addictum ſignificaret.

Concilium Jeroſolymitanum, an. 518.

Concilium hoc e triginta tribus trium Palæſtinarum Epiſcopis conflatum, & Auguſti die 6. habitum fuit. In eo damnati Severiani, Eutychianique; Chalcedonenſis recepta Synodus, firmatumque quicquid Conſtantinopolitanum Concilium die 15. Julii eodem anno egerat. *Reg. X. Labb. IV. Hard. II. Manſi*, Supplem. Tom. I. col. 401.

Concilium Tyrium, an. 518.

Concilium hoc die 16. Septembris habitum, quicquid in Conſtantinopolitano & Jeroſolymitano Conciliis quæ ei præivarant, unum die 15. Julii, alterum die 6. Auguſti ejuſdem anni, actum fuerat, adoptavit; ex quo fit, ut hæc tria Concilia partim approbet, partim rejiciat Romana Eccleſia. Approbat quidem ex eo capite, quod Chalcedonenſe Concilium recipiunt; damnantque Severianos, Eutychianos, &c. ob eam vero cauſam rejicit, quia *Euphemii, Macedonii & Acatii* nomina in dyptica referunt, e quibus ea Summus Pontifex Hormiſdas expunxerat. *Reg. X. Labb. IV. Hard. II.*

Concilium Brevienſe ad VVallia regionem in Anglia ſpectans, an. 519.

Concilium hoc in Pelagianos coactum, & e regionis Epiſcopis, Abbatibus, magnoque Monachorum numero conflatum fuit. Videns Concilium ad Pelagianiſmi extinctionem nullum omnino progreſſum fieri ob eorum pertinaciam, qui eodem infecti erant, legatos ad S. Davidem miſit, qui magna Scientiæ & Sanctitatis fama præſtabat. Is ergo, cum ad cœtum ſe contuliſſet, eo lumine, vi, ſucceſſuque in eodem locutus eſt, ut Pelagiani ad unum omnes qui eum audierant, nulla interjecta mora errorem ſuum abjurarent, unanimique ipſe conſenſu Epiſcopus & Metropolita totius regionis Walliæ proclamaretur; ex quo factum, ut S. Davidis in cognominia epiſcopalia urbis Sede ſucceſſores diu cum Cantuarienſi Archiepiſcopo de metropolitani dignitate contenderent. *Anglic.* Tom. I. *Manſi*, Suppl. Tom. I. col. 403.

Concilium Conſtantinopolitanum, an. 520.

Epiphanius in hoc Concilio ordinatus fuit Conſtantinopolitanus Patriarcha, 25. Februarii die; Conciliumque ſuper hac ordinatione ad Papam Hormiſdam epiſtolam miſit. *Reg.* Tom. X. *Labb.* Tom. IV.

Concilium Agaunenſe, ſeu S. Mauritii in Valeſia, an. 523.

Concilium hoc nos ad an. 515. retulimus, *Analyſis* noſtræ Tom. I. pag. 113. Labbæum & Mabillonium ſecuti, qui nituntur Marii Abrioenſis Chronico, e quo quidem Concilium hoc habitum fuit anno Conſulatus Florentii & Anthemii, qui an. 515. reſpondet. At illud Pagius an. 523. coactum vult, quia poſterius eſt morte Sigerici, filii Sigiſmundi, regis Burgundiæ, quæ an. 522. contigit, præceſſitque hujus regis capturam an. 523. per Clodomirum, Aurelianl regem: quod videtur vero ſimilius, judicio docti Benedictini, auctoris Operi Gallici quod inſcribitur: *Illuſtrationes plurium capitum Hiſtoriæ veteris Galliarum & Burgundiæ*; ſeu, *Epiſtola critica ad* M. * * * in 8. quod proſtat Pariſiis, apud *Deſprez* an. 1774.

Concilium Junchenſe in Africa, an. 523.

Eſt hæc genuina Concilii hujus epocha, quæ alteri an. 524. ſubſtitui debet, ut probat P. Manſi ex epiſtola Bonifacii, Carthaginenſis Epiſcopi ad Liberatum, ejuſdem Eccleſiæ Diaconum, cæteroſque qui Junchenſi Concilio intererant. Paſchatis dies an. 524. in hac epiſtola ad 7. Aprilis diem enuntiatur. Hæc ipſa igitur epiſtola quæ Paſchatis diem an. 524. Junchenſi Concilio enuntiabat, ad ſuperiorem annum 523. pertinebat. *Manſi* Suppl. Tom. I. col. 405.

Concilium Arelatenſe an. 524.

Habitum fuit Concilium hoc anno primo pontificatus Joannis Primi, non autem altero, ut dictum eſt Tom. I. pag. 117.

Concilium Valentinum in Delfinatu, an. 529. *vel* 530.

Periere hujus Concilii acta, illudque nobis ex ejus fragmento innoteſcit, quod in S. Cæſarii Arelatenſis vita Cyprianus Diaconus exhibet. Ex hoc fragmento comperium fuit argumenta ad gratiam ſpectantia in hoc Concilio diſcuſſa fuiſſe, & S. Cyprianum, Tulonenſem Epiſcopum ibidem e ſacris literis & Patribus oſtendiſſe hominem in ſuæ ſalutis opere nihil agere poſſe, niſi per prævenientem Dei gratiam vocatus fuerit. *Reg. IX. Labb. IV. Hard. II.*

Concilium Conſtantinopolitanum, an. 531.

Epiphanius, Conſtantinopolitanus Patriarcha convocavit Concilium hoc, ut in eo ſua ipſius jura propugnaret quoad Orientis Epiſcoporum ordinationem, quos ſcilicet non ab alio quam a Conſtantinopolitano Patriarcha ordinari poſſe contendebat; & quoniam Stephanus, Lariſſæ in Theſſalia Metropolitanus, in Concilio, eodem anno in ea Metropoli celebrato ordinatus fuerat, inconſulto inſcioque Epiphanio, Conſtantinopolitanum Concilium Stephanum ab officio ſuſpendit.

Concilium Romanum, an. 534.

Habitum eſt Concilium hoc, Joanne II. Eccleſiam regente. In eo approbata fuit hæc propoſitio: *Unus de Trinitate paſſus eſt carne*; & Monachi Acemetæ qui eam impugnabant, damnati & anathemate percuſſi fuere. Vide verb. *Acemeta*, pag. 9. Tom. III. *Analyſis Conciliorum*; & corrige typographicum mendum ſuper adſcripto tempore Romani Concilii quod ibidem ponitur ad an. 532. loco an. 534. ſub Papa Joanne II. Cum enim Papa hic non niſi die 22. ſeu 23. Januarii electus fuerit, Concilium in urbe Roma an. 532. celebrare non potuit. *Baronius.*

Concilium Thevisenſe, ſeu Thevinenſe in Armenia, an. 536.

Fuit hoc quidem Pſeudoconcilium, ſed animadverſione tamen dignum, quia Schiſmatis Eccleſiæ Armeniæ epocham ſtatuit. Cum ergo Chalcedonenſe Concilium Eutychetis hæreſim condemnaſſet, Armeni ſecum animo reputantes ab eo veritatem proſcriptam fuiſſe, & præterea in Romanos male animati a Romana Eccleſia receſſerunt. Itaque in hanc rem in urbe Thevinenſi Concilium habuere, in quo monophyſiſmum approbarunt, elegeruntque *Catholicum*, videlicet a nemine pendentem, Archiepiſcopum, ſeu Patriarcham Armeniæ.

Concilium Gazenſe in Palæſtina an. 541. *vel* 542.

Celebrarunt Concilium hoc, Imperatoris Juſtiniani primi juſſu, Pelagius, Romanæ Eccleſiæ Diaconus & apocryſarius, Ephremius, Patriarcha Antiochenus, Petrus, Jeroſolymitanus Patriarcha, & Hypas, Epiſcopus Epheſinus. In eo Paulus, Alexandrinus Pa-

triarcha, de homicidio accuſatus depoſitus fuit. Cum ſcilicet ei Juſtinianus Imperator in mandatis dediſſet, ut diſſidia componeret, quæ in Alexandrina Eccleſia exarſerant, malo fato contigit, ut Diaconus, ſub auguſtarum ædium cuſtodia ab eo poſitus clam necaretur. Id Patriarchæ juſſu factum eſſe vulgo perſuaſum fuit; præſuli nil profuit factum negare; fuitque in hoc Gazæ Concilio depoſitus. Biblioth. Orient. Tom. I. *Manſi*, Suppl. Tom. I. col. 428. & 429.

Byſacena Concilium, *an.* 541.

E Byſacenæ in Africa provinciæ Epiſcopis hoc Concilium coactum fuit. In eo edita ſtatute plure ad diſciplinam ſpectantia, quæ Juſtinianus Imperator per reſcriptum an. 542. datum firmavit. At Concilii ſanctiones ad nos uſque non pervenerunt. Extat ejuſdem Imperatoris ad ſuperiorem annum ſpectans reſcriptum aliud ad Dacianum, Byſacenæ metropolitam, & ad univerſum ejus Concilium miſſum. Labb. Tom. V, *Ceillerius*, Tom. XVI. pag. 732.

Concilium Conſtantinopolitanum, *an*, *circiter* 543.

Mennas, Conſtantinopolitanus Patriarcha, in hoc Concilio approbavit edictum, quod Origenem, erroreſque qui ei tribuuntur, anathemate percellebat. Origenis damnatio Theodoro Cappadoci, origeniſtæ & acephalo occulto petendi occaſionem præbuit, ut decantata capitula tria, ex Theodoro Mopſueſteno, Iba & Theodoreto decerpta proſcriberentur. Imperatorem Theodorus in eam ſpem trahebat fore, ut tum demum Acephali ad Eccleſiam redirent, & Chalcedonenſe Concilium reciperent, cum tria ea capitula damnata eſſent. *Ars purgandi adſcripta tempora*, edit, an. 1770.

Concilium Ilerdenſe in Hiſpania, *an.* 546.

Concilium hoc cui aderant Epiſcopi octo, habitum eſt die 6. Auguſti an. 546., non autem an. 534., ut Labbæo placet. In eo ſexdecim ſuper diſciplina canones editi.

1. Clerici qui altari deſerviunt, abſtinebunt a fundendo vel reipublicæ communium hoſtium ſanguine; ac ſiquidem id iis contigerit, pœnitentiam agent biennii ſpatio, ſuiſque officiis & communione deſtituentur.

2. Qui, quæve ſuos filios extra vel intra maternum ſinum necaverint, pœnitentiæ ſuberunt ad ſeptennium, quo elapſo ad communionem recipi poterunt. Ejuſmodi vero criminis rei clerici a ſuis in omne vitæ tempus officiis amovebuntur; at choro aderunt, poſtquam iis communio reddita fuerit.

3. Ad clericalem ſtatum monachi, ex Abbatis conſenſu, promoveri poterunt. Seu monaſteriis, ſeu beſilicis per laicos extructis, quod iiſdem donatum fuerit, non adimetur.

4. Inceſtuoſi nonniſi catechumenorum miſſæ intereſſe poterunt, nec fidelibus licebit cum iis comedere.

5. Si per imbecillitatem in carnis peccatum clerici lapſi fuerint, eos Epiſcopus a communione ſegregatos, ſuiſque officiis ſuſpenſos detinebit diutius breviuſve, prout eorum pœnitentiæ fervor aut languor tulerit; ut ſi, peracta pœnitentia, recidarint, deponentur, & in mortis ſolum articulo communionem recipient.

6. Qui rem cum vidua aut virgine habuerint, excommunicationi ſuberunt, quoad ab iis ſe ſejunxerint. Si vidua aut virgo ab iis ipſæ ſe ſegregaverint, a quibus ſeductæ fuere, ſeductores remanebunt excommunicatione irretiti, eo uſque dum publicam ſuorum criminum pœnitentiam egerint.

7. Qui jurejurando ſe obſtrinxerit nunquam fore, ut cum inimico in gratiam redeat, corporis & ſanguinis Chriſti Domini communione privabitur, quoad editi juriſjurandi pœnitentiam egerit, & ſe cum adverſario conciliaverit.

8. Prohibebitur Eccleſiæ aditu, quoad congruam pœnitentiam peregerit, clericus qui famulum diſcipulumve extraxerit, qui eo ſe receperant.

9. Qui citra neceſſitatem iterum ſe baptizatos voluerunt, orationi vacabunt per annos ſeptem cum catechumenis, perque duos cum fidelibus, antequam ad communionem ſuſcipiantur, prout Nicæna Synodus ſtatuit.

10. Qui ab Epiſcopo juſſi ex Eccleſia egredi parere noluerint, non niſi difficulter in eam recipientur, poſtquam diuturnam ſuæ pertinaciæ pœnitentiam egerint.

11. Clericos qui ſingulare invicem certamen inierint, Epiſcopus pro ſingulorum dignitate puniet.

12. Dabitur iis venia, qui, ſecus ac canones ſtatuunt, clericos ordinaverint; & clerici ita ordinati ſuum quiſque gradum ſervabunt; ut ſi deinceps ejuſmodi ordinationes contigerint, ordinationis jure, qui ordinaverint, ſpoliabuntur, qui vero ita ordinati fuerint, deponentur.

13. Non accipietur catholicorum oblatio, qui filios ab hæreticis baptizatos voluerint.

14. Cum iis qui rurſus ab hæreticis baptizati fuerint, catholici non amplius, vel in conviviis, communicabunt.

15. Clerici qui cum extraneis feminis verſabuntur, poſt monita duo ni ſe corrigant, deponentur.

16. Clerici qui ad presbyteri vel Epiſcopi mortem aliquid ſubtraxerint, ad extraneam communionem vix recipientur, poſtquam diu excommunicationis pœnam ſubierint: *Vix quoque peregrina ei communio anima concedatur*, Vide verb. *Communio*, Tom. III. *Analyſis*, *Aguirre*, Tom. III. pag. 168.

Valentinum in Hiſpania Concilium, *an.* 546.

Concilium hoc die 4. Decembris habitum fuit, conſtatumque ex Epiſcopis ſex qui ſex ſequentes canones ediderunt:

1. Evangelium in Miſſa ante oblationem legetur, ut catechumeni, pœnitentes, ipſique infideles, presbyteri ſermonem audire poſſint.

2. Nemini liceat a defuncti Epiſcopi, ejuſve Eccleſiæ bonis quicquam ſumere.

3. Eidem prohibitioni ſubſint, Epiſcopi quem mori contingit, conſanguinei, niſi in id iis præſto ſit metropolitani ejuſque ſuffraganeorum venia.

4. Epiſcopus qui accitus fuerit, ſuum ut defunctum confratrem ſepulturæ det, poſtremum hoc religionis officium ei præſtare non differet; & cum Epiſcoporum quempiam ſubito mori contigerit, ſervabitur ejus corpus ad Epiſcopi adventum uſque, qui ſollicite vocatus fuerit, ut ad ejus ſolemne funus celebrandum ſe conferat.

5. Communione, ſuaque dignitate ſpoliabitur vagus clericus quiſque qui Eccleſiæ non deſerviat, cui per ordinationem addictus fuit.

6. Nemo unus ad ordines ſuſcipiatur, quin proprius ejus Epiſcopus annuat, aut quin ordinandus promittat fore, ut in Eccleſia reſideat, cui per ordinationem addictus fuerit.

Concilium hoc an. 546. poſterius eſſe Manſius ex eo conjicit, quia Celſinii Epiſcopi qui primum in ſubſcriptionibus locum tenet, nomen etiam inter Toletani Concilii, an. 590. ſeu potius 589. ſubſcriptiones occurrat. *Judicabit lector de hujus conjecturæ ſoliditate*, inquit doctus Auctor eximii Operis: *L'art de verifier les dates*; nos autem addemus Cardinalem d'Aguirre animadvertere ſubſcriptiones Epiſcoporum Valentini Concilii corruptas & mutilatas eſſe. *Aguirre*, Tom. III. pag. 175.

Concilium Conſtantinopolitanum, *an.* 547. *vel* 548.

Summus Pontifex Vigilius, cum per id temporis Conſtantinopoli verſaretur, præfuit Concilio huic quod ad examen coactum fuit Capitulorum trium: Scriptorum trium ſcilicet, quæ tamquam Neſtorianæ hæreſeos blaſphemias continentia ad Eccleſiam delata fuera. Erant ſcripta hæc: 1. Theodori, Mopſueſteni Epiſcopi opus; 2. Ibæ, Edeſſeni Epiſcopi ad Perſam quemdam nomine Marin Epiſtola; 3. Theodoreti, Cyrenſis Epiſcopi in duodecim anathematiſmos opere, quos S. Cyrillus Alexandrinus Neſtorio oppoſuerat. Capitula tria in hoc Concilio damnata fuere. *Reg.* Tom. XI. *Labb. V. Hard. II.*

Concilium Mopſueſtenum, *an.* 550.

Coactum fuit Concilium hoc Juſtiniani Imperatoris juſſu, turbarum occaſione quas excitaverant capitula tria, contraque Theodori, ejus urbis Epiſcopi memoriam, qui Neſtorii magiſter fuerat. In eo palam factum Theodori Mopſueſteni memoriam in dypticis non exiſtere; exhibitumque Papæ Vigilio & Imperatori hujus rei teſtimonium. *Ibid.*

Concilium Conſtantinopolitanum, *an.* 551.

Celebrarunt Concilium hoc latini Epiſcopi tredecim, Summo Pontifice Vigilio præſide. In eo Theodorus, Cæſareæ in Cappadocia Epiſcopus depoſitus, & a communione ſuſpenſi Mennas, Conſtantinopolitanus Patriarcha, cæterique Theodori aſſeclæ qui id aſſequi volebant, ut capitula tria, quorum defenſio-

nem

nem Vigilius ſuſcperat, damnarentur. Data eſt Concilii ſententia 14. Auguſti die. *L'art de verifiere les dates*, pag. 184.

Concilium Pariſienſe, *an.* 551. *vel* 552.

Epiſcopi numero viginti ſeptem huic Concilio interfuerunt, in eoque Saffaracium, Pariſienſem Epiſcopum depoſuerunt, propterea quod Aurelianenſis Concilii, an. 549. habiti, cui interfuerat & ſubſcripſerat, canones violaverat. Sunt qui præſulem hunc ob incontinentiæ crimen depoſitum putent; alii vero ob ſimoniæ crimen; hæc crimina duo Aurelianenſe Concilium damnaverat. Utut res habeat, reum præſul ſe ipſe confeſſus ait, & in monaſterium conjectus fuit. D. D. *de Sainte-Marthe*, & P. Sirmondus Concilium hoc ad an. 555. referunt. At cum S. Firminus, Uticenſis Epiſcopus qui an. 553. e vivis exceſſit, huic Pariſienſi Concilio ſubſcripſerit, annum 555. hanc Synodum antevertiſſe, necuſſe eſt. An. igitur 551. adeoque probabilius ad ſequentis anni finem, coactum fuit Concilium hoc, Childeberti regis juſſu; quandoquidem in eo quatuor aut quinque Epiſcoporum ſubſcriptiones leguntur, qui iis ſucceſſerant, qui an. 549. Aurelianenſi Concilio interfuerant; nec ſane vero ſimile eſt, tam brevi temporis ſpatio, tot Epiſcopos occubuiſſe, ac tot alios in eorum locum ſuffectos eſſe. *Labb. V. Hard. II. Gall. Chriſt.* Tom. VII. col. 17.

Concilium Tibenenſe, *an.* 552.

In Tibenenſi urbe quæ ad majoram Armeniam ſpectat, Concilium hoc habuit Armenorum *Catholicus*. Hoc Pſeudoconcilium animadverſione ex eo capite dignum eſt, quod in eo confirmata fuit Chalcedonenſis Concilii damnatio quam Thevtſenſe Concilium an. 536. jam pronuntiaverat, & Armenorum æra, in eorum conſummati ſchiſmatis recordationem inſtitutæ initium dedit. *L'art de verifier les dates*, pag. 184.

Concilium Perſicum, *an.* 553.

Eſt hoc Pſeuduconcilium, a Joſepho, Neſtorianorum Patriarcha coactum, in quo editi diſciplinæ canones viginti tres. Eorum primus propterea animadverſione dignus eſt, quia eos damnat, qui per regum & procerum gratiam eccleſiaſticas dignitates uſurpant; itemque ſeptimus qui Patriarchas & Metropolitanos vetat ſuis in Conciliis quicquam ſtatuere, niſi Epiſcopis tribus præſentibus & conſentientibus. *Manſi*, Suppl. Tom. I. col. 425.

Concilium Jeroſolymitanum, *an.* 553.

Hoc in Concilio receptum eſt generale Concilium V. contra Origenis errores & Capitula tria eodem anno Conſtantinopoli celebratum; illud amplexi præſules omnes, uno excepto Alexandro, Abylenſi Epiſcopo qui illud amplecti renuit, ob eamque cauſam ab epiſcopatu depoſitus fuit. *Reg. XII. Labb. V. Hard. III.*

Concilium Minoris Britanniæ, *an. circiter* 555.

Concilium hoc nobis non aliunde notum eſt, quam ex S. Gregorio Turonenſi qui Maclovium, Venetiarum in Gallia Epiſcopum in eo excommunicatum fuiſſe memoriæ prodit. *Greg. Tur.* lib. 4. cap. 4.

Concilium Aquilejenſe, *an.* 556.

Concilium, ſeu potius conciliabulum hoc ex eo capite dignum animadverſione eſt, quod in eo Paulus ſeu Paulinus, Aquilajenſis Epiſcopus poſtremum Conſtantinopolitanum Concilium damnavit, & ſe ab eorum communione ſejunxit, qui illud recipiebant, quin Papam ipſum exciperet, qui tunc Pelagius Primus erat. Paulinum in ſchiſmate omnes Aquilejæ & Mediolani ſuffraganei ſecuti ſunt; eos viciſſim omnes Summus Pontifex anathemati ſubdidit. Macedonius, Paulini anteceſſor, ſchiſma inchoaverat, renuens Chalcedonenſe Concilium accipere. Papa quidem Pelagius, perinde ac Vigilius, ejus deceſſor, in primo tribus Capitulis patrocinari ſignificaverat; at cum ea deinde damnaſſet, hæc ejus agendi ratio Romanis adeo diſplicuit, ut ejus conſecrationi duo tantum Epiſcopi, & Presbyter unus adfuerint. *Edit. Venet.* Tom. V. Muratorius, Ann. Italiæ.

Concilia Landavenſia, *an.* 560.

Epiſcopalis urbs Landavum eſt in Anglicana Walliæ regione, & Cantuarienſi metropoli ſubeſt. Ea in urbe an. 560. habita fuere Concilia tria. In primo, anathemate perculſus Mouricus, Glamorgonii rex, propterea quod Cynethani regem occiderat, tametſi pacem ad ſanctas reliquias conjunctim juraſſent. In altero, perculſus pariter anathemate rex Morcantius, qui Friacum patruum, poſt pacem quoque jurejurando eidem obſtrictam, interfecerat. Tertium denique communione etiam privavit Guidnercum regem, quia morte fratrem affecerat, qui de ſceptro cum eo contendebat. Tres hi principes ſuorum criminum pœnitentiam egerunt. *Reg. XII. Labb. V. Hard. III. Anglic. I.* *Ricard Concil. Supplem.* Tom. V.

Concilium Lucenſe, *an.* 569.

Id hoc Concilio propoſitum fuit, ut Hiſpaniarum diœceſes partiretur, earumque limites poneret. In eo Lucenſis urbs quæ Suavenſis regni princeps erat, in metropolin erecta fuit. Num temporis Compoſtellæ ſubeſt. *Reg. XII. Labb. V. Hard. II.*

Concilium Gradenſe, *an.* 579.

Cum Aquilejenſis a Longobardis diruta eſſet, Paulinus, qui tunc ejus Epiſcopus erat, Benedicto Primo Eccleſiam adminiſtrante, qui an. 574. electus fuerat, Gradum aufugit, ſuæque ſecum Eccleſiæ theſauros aſportavit. Probino qui ei ſucceſſit, intra annum vita functo, Elias qui ejus locum ſumpſit, perſpiciens ſe Aquilejam redire non poſſe, a Papa Pelagio II. obtinuit, ut ejus ſedes Gradum, Forijulii urbem, in Adriatici maris cognomine inſula in perpetuum transferretur. Summus ergo Pontifex in urbe Grado Concilium, in hanc rem, die 3. Novembris an. 579. coegit, & Laurentium presbyterum qui ejus loco præeſſet, nominavit. Ibi lectæ Pelagii litteræ per quas ſe aſſenſurum ajebat, ut Aquilejenſis ſedes Gradum transferretur, & hæc urbs, per hanc translationem, univerſæ Venetiarum & Iſtriæ regionis metropolis evaderet; Sperans proinde fore, ut Iſtrienſes Epiſcopi, jampridem a Romana Eccleſia, ob trium Capitulorum negotium, ſegregati ſe Sanctæ Sedi redintegrarent. At accidit omnino contra; omnes cœtus Epiſcopi generali Concilio V. ſe repugnare teſtati ſunt, ut Chalcedonenſi Concilio, (ita enim ajebant) ſuam omnem auctoritatem ſervarent. Hæc ſumma eſt Gradenſis Patriarchatus hiſtoriæ, quæ occurrit in *Italia ſacra* Tom. V. pag. 1079. At P. Manſi, poſt *Diſſertationem P. de Rubeis* ſuper *Aquilejenſi Schiſmate*, Gradenſe Concilium hoc ſuppoſitum eſſe probat; 1. quia actorum in manuſcriptis codicibus in quibus reperiuntur, magna graviſque varietas eſt; 2. quia vix ac ne vix quidem fieri poterat, ut octodecim Epiſcopi Gradum tam procelloſis temporibus convenirent; 3. quia Pelagius II. an. 578. electus, in epiſtola quam ad presbyterum Laurentium objectati Concilii Patres dediſſe ponitur, temporum difficultatem impedimento fuiſſe teſtatur, ne citius ſcriberet; quod falſitatem evincit actorum Concilii, in quibus legitur eum jam ad Eliam, pro Gradenſis metropolis inſtitutione, ſcripſiſſe; quia veterum nullus ſeu de hoc Concilio, ſeu de Gradenſis urbis in metropolim erectione mentionem facit; deque tota hac re. Pelagius ipſe II. in ſuis ad Eliam litteris alte ſilet; 5. quia cum Aquilejenſis Sedis ad Gradenſem urbem translationis negotium in Mantuano Concilio, an. 827. ad deliberationem vocatum eſſet, Gradenſes incolæ pro ſe in medium afferre non potuerunt niſi titulos abſque ullo chyrographo, quos inter comperta fuere jactati Gradenſis Concilii acta, quod ad illud uſque tempus inauditum omnino fuerat. *P. de Rubeis*, Diſſert. *de Schiſmate* Aquilejenſi; Venet. an. 1732. *Manſi*, Supplem. Tom. I. col. 451.

Concilium Brennacenſe, *an.* 580.

Huic Concilio quod in Brennacenſi urbe ad flumen Veſlem in Sueſſionenſi regione habitum fuit, occaſionem præbuit accuſatio quam comes Leudaſtes in S. Gregorium Turonenſem detulerat. Hic ergo comes Gregorium apud regem Chilpericum accuſavit, quaſi Turonenſem urbem Childeberto, Auſtraſiæ regi tradere vellet, ea malo da Regina Fredegunda locutus eſſet, ei ſcilicet pravum cum Bertrando, Burdigalenſi Epiſcopo commercium eſſe. At id omnino nihil aliud quam comitis calumnia erat, cui urbis regimen ademptum fuerat, ad Sancti Gregorii denuntiationem, qui nempe merito de vexationibus conqueſtus erat, quas ille Eccleſiis intulerat. Diſcuſſit Brennacenſe Concilium negotium hoc; ſanctus præſul ſolemne apud Concilii Patres jusjurandum edidit, ſe a crimini-

minibus de quibus accusabatur, innocentem esse. *Reg. XII. Labb. V. Hard. III.*

Concilium Alexandrinum, an. 581.

Concilium hoc in Conciliorum editione quæ Venetiis prodiit, perperam dicitur *Antiochenum*; habitum quippe fuit a S. Eulogio, ejus urbis Patriarcha, scientia & pietate tantopere celebrato. *Mansi*, Suppl. Tom. I. col. 153.

Concilium Valencinum in Delfinatu, an. 584. *vel* 585.

Habitum est Concilium hoc die 23. Maji an. 584. vel 585. qui regni regis Gontrandi 23. aut 24. erat. Ei præfuit Sabaudus, Arelatensis Episcopus, adsistentibus aliis Episcopis sexdecim qui donationes in sacrorum locorum gratiam a rege Gontrando, a defuncta Regina Austrechilde ejus conjuge, & ab eorum filiabus Deo consecratis factas vel faciendas confirmarunt. Sanctorum porro locorum nomine, Concilium non modo S. Marcelli Cabillonensis, & S. Symphoriani Augustodunensis Ecclesias, quemadmodum Auctor *Dictionarii manualis Conciliorum* sentire videtur, sed sancta omnia universim loca, omnesque Deo sacras personas intelligit, quod evincunt hæc ejus verba: *vel quibuscumque locis, vel servientibus Deo.* Interdictionem subdit, anathematis indicta pœna, ne quis a locorum Episcopis & regibus eorum bonorum quicquam deinceps adimat, imminuatve. *Labb.* Tom. V.

Concilium Clarmontiense in Alvernia, an. 585. *vel circiter.*

S. Sulpicius, Archiepiscopus Bituricensis qui huic Concilio præerat, litigio, ex condicto cum præsulibus cæteris, finem imposuit, quod Innocentium Rutenorum Episcopum inter, & Ursicinum, Episcopum Cadurcensem amersarat, super nonnullarum Ecclesiarum jurisdictione, quæ priori adjudicatæ fuere. *Reg. XIII. Labb. V. Hard. III. Pagius II.*

Concilium Alexandrinum, an. 589.

Coactum fuit Concilium hoc occasione vers. 15. cap. XVIII. Deuteronomii, cujus hæc verba sunt: *Prophetam de gente tua & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus; ipsum audies.* Textum hunc Judæi accommodabant Josue. Samaritani vero cuidam Dositheo, Simonis Magi coævo. S. Eulogius, Alexandrinus Patriarcha, disputationis electus arbiter, doctos plures Episcopos convocavit. Rem una cum iis expendit; & post maturum examen, summa omnes animorum consensione finierunt illud testimonium non nisi de Christo Domino intelligi posse. In Photii editionibus legitur Concilium hoc *Marciani*, (legendum, *Mauritii*) an. 7. habitum esse. *Edit. Venet.* Tom. VI. *L'art de justifier les dates*, pag. 185.

Concilium Pictaviense, an. 590.

Huic cogendo Concilio causam præbuere Basina & Chrodielde, moniales abbatiæ Sanctæ Crucis Pictavii, quæ in abbatissam, nomine Leubuerіam insurrexerant, quæque anathemate perculsæ sunt. *Gregor. Tur.* Histor. lib. X. cap. 8. Eodem anno, Cabilloni in Burgundia, Concilium super eodem negotio habitum est.

Concilium Metense, an. 590.

Ægydius, Remensis Archiepiscopus, tamquam in regem Childebertum læsæ majestatis reus in hoc Concilio depositus, actusque in exilium fuit. In eodem Concilio Chrodielda & Basina quæ in Pictaviensi synodo anathemate irretitæ fuerant, in communionem receptæ sunt; in suum Basina monasterium rediit; Chrodielda vero in vicum quem rex eidem donavit, missa fuit. *Ibid.*

Concilium Gabalitanum, an. 590.

Habitum est Concilium hoc Gabalii, in eo propemodum loco, ubi nunc Marvegasia urbs est; in eoque actum de Tetradia, Eulalii, Alverniensis comitis conjuge. Femina hæc cum virum deseruisset, ut comiti Diderio se addiceret, a Concilio damnata fuit, ut quater amplius quam a familia attulerat, de propriis bonis comiti Eulalio redderet. Addixit etiam Concilium illegitimitatis notam filiis quos Tetradia e Diderio comite in lucem dederat. D. *Vaissete*, Tom. I. pag. 317. *L'art de verifier les dates*, pag. 185.

Concilium Maranense, an. 590.

Maranum, seu Marianum erat olim episcopalis urbs, sub Aquilejensi metropoli, in Istria, seu Forojulio Veneto. Eo in loco habitum fuit an. 590. Concilium ex Episcopis decem conflatum, in quo Severus, Gradensis Patriarcha, actum exhibuit, quo subscriptionem improbabat, qua ipse in trium Capitulorum damnationem consenserat, quippe qui a Ravennatensi Exarcha id facere coactus fuerat. Dedit Concilium ad Imperatorem Mauritium litteras, ut de subscriptionis ad tria Capitula spectantis exactione, deque Gallorum Episcoporum in Aquilejensem præsulem ausis conquereretur. Probat P. Mansi Concilium, seu potius conciliabulum an. 590. inferius esse non posse, quoniam Severus qui suam pro trium Capitulorum damnatione subscriptionem in eo revocavit, ad Concilium, eodem anno, mense Decembris, a Summo Pontifice Romæ habitum accitus fuit. *Edit. Venet. Mansi*, Suppl. Tom. I. col. 457.

Concilium Romanum, an. 590.

Decembri mense celebratum est Concilium hoc. Ei præfuit Summus Pontifex S. Gregorius, & Severum, Gradensem Patriarcham in jus vocavit, ut palinodiæ super trium Capitulorum damnatione cui subscripserat, rationem redderet. *Mansi*, ibid.

Concilium Istriense, an. 591.

Schismatici, triumque Capitulorum amici Episcopi Pseudoconcilium hoc celebrarunt, & Imperatorem Mauritium per litteras obsecrarunt, ut operam daret, ne S. Gregorius Papa Severum Patriarcham ulterius persequeretur, testati fore, ut ipse ad suam agendam causam Constantinopolim se conferret, statim atque Italiæ negotiorum ratio pateretur. Ostendit P. Mansi Pagium decipi, dum Concilium hoc cum Maranensi, superiore anno celebrato confundit, quia Maranensis synodus Romanam, mense Decembri an. 590. habitam anteverterit, & quia Istriense Concilium de quo in præsentia sermo est, post Romanum, &, quod inde consequens fit, postquam S. Gregorius Severum in jus vocavit, habitum fuit. *Mansi*, ibid.

Concilium Romanum, an. 591.

Summus Pontifex S. Gregorius huic Concilio præfuit, in eoque Synodicam ad quatuor Patriarchas epistolam dedit, in qua pronuntiat se generalia quatuor Concilia tamquam quatuor Evangelia recipere & revereri; subditque se eadem observantia quintum prosequi. Id jam scripserat ad Istriæ Episcopos, qui postremum hoc haud recipiebant, quique Romam, a S. Gregorio acciti, se conferre renuerunt. Hi porro hac ipsa de re ad Imperatorem Mauritium scripserunt, qui Papam rogavit, ut eos Episcopos, ad usque Italiæ redditam tranquillitatem, quiescere sineret. *Diction. Concil.* pag. 428., *l'art de verifier les dates*, pag. 186.

Concilium Cabillonense, an. 594.

Hoc in Concilio statutum fuit, ut in S. Marcelli monasterio servaretur ea ipsa psallendi ratio, quæ in S. Martini Turonensis, S. Dionysii in Gallia, & S. Germani Pratensis jam obtinebat. *Reg. XIV. Labb. V. Hard. III.*

Concilium Oscense, vulgo d'Huesca, an. 598.

Huesca, olim dicta *Saturnia*, *Osca*, *Ellergetum*, est Hispaniarum episcopalis urbs, in Tarraconensi provincia, sub Cæsaraugustana metropoli. An. 598. habitum est in ea Concilium, quod edidit canones duos, quorum unus presbyteris, diaconis, subdiaconis cælibatum imponit; præcipit alter, ut quotannis Synodi celebrentur. *Ibid. & Aguirre III.*

Concilium Romanum, an. 600.

Summus Pontifex S. Gregorius hoc Novembri mense Concilium habuit. In eo seductor Græcus, Andreas nomine, damnatus fuit; & Probo, in urbe Roma, S. Andreæ Abbati data venia, ut testamentum ederet. Monachus porro Græcus, Andreas nomine, epistolam vitiaverat, quam Eusebius Thessalonicensis Episcopus ad Sanctum ipsum Gregorium miserat, supposueratque, ejus nomine, sermones plures qui sanctæ Sedi non nisi dedecus afferre poterant. *Regin. XIV. Labb. V. Hard. III.*

CON-

C O N C I L I A
SÆCULI SEPTIMI.

Concilium Senonense, an. 601. vel circiter.



Oncilium hoc in epistolarum consecutionem habitum creditur, quas Papa S. Gregorius ad Regem, ad Reginam, ad Vigilium Arelatensem aliosque Episcopos miserat, ut iis habenda concilia commendaret, quæ morum reformationi, simoniæ extirpationi, neophytorum ordinationi consulerent. Interfuit huic concilio S. Betharius, Carnutensis Episcopus; ac non aliunde quidem, quam ex ejus vitæ historia notum fit, in Senonensi reapse urbe hoc de quo agimus, concilium habitum esse. Illud Mabillonius in suis *Annalibus*, lib. IX. n. 34. solummodo tamquam *incerti loci concilium* memorat. Ad hoc concilium S. Columbanus vocatus fuit; & eo se conferre propterea renuit, quod ibi agitanda erat controversia quæ, super Paschalis festi celebrandi die, Gallos inter & Britannos dissidio causam præbebat. *Mansi*, Suppl. Tom. I. col. 461.

Concilium Cabillonense, an. 603.

Reginæ Brunechildis molimine in causa fuere, ut concilium hoc haberetur. Ei præsuls Aregius, Lugdunensis Episcopus, perfecitque, ut in eo S. Didarius, Viennensis Galliæ Episcopus deponeretur, propterea quod eam principem feminam de suis depravationibus argueras. *Fleurius*, *Cellierius*.

Concilium Numidiæ, an. 604.

Est Numidia Africæ regio, ea ferme ipsa quæ hodie vulgo *Biledulgerid* nuncupatur ob ingentem dactylorum numerum, qui ibidem occurrunt. In hac ergo regione celebratum est an. 604. concilium, Summi Pontificis S. Gregorii jussu, super Diaconi Donadei negotio, qui a depositionis sententia ab Episcopo Victore in eum pronuntiata ad sanctam sedem appellaverat. Discussa etiam ibidem fuit Episcopi Regini causa, qui a suis clericis accusatus fuerat, quod ordines simoniacum in modum conferret, renovatæque pœnæ e canonibus in simoniacos inflictæ. *Reg.* XIV. *Labb. V.*

Concilium Vigorniense, an. 604. vel circiter.

S. Augustinus, Cantuariensis Archiepiscopus, & Anglorum Apostolus præfuit concilio huic, in eoque Britannos Episcopos hortatus est, ut Paschatis festum dominica post lunam decimam quartam die celebrarent; ut e Romanæ Ecclesiæ usu baptisma conferrent; & ut ex condicto Evangelium Anglis nuntiarent. Hi schismatici Episcopi saluberrimis ejusmodi monitis uti recusarant; & S. Augustinus iis calamitates prædixit, quæ ipsis reapse aliquanto post acciderunt. *Reg. XIV. Labb. V. Hard. III. Angl. I.*

Concilium Cantuariense, an. 605.

Huic concilio Rex Ethelbertus V., regina Bertha ejus uxor, eorumque filius Eduardus interfuere. S. Augustinus cœtui præfuit; in eoque monasterii S. Petri & S. Pauli, quod ipse Cantuariam prope fundaverat, quodque primum omnium in Anglia extructum fuit, fundationem confirmavit. *Reg. XIV. Labb. V. Angl. I. Mansi*, *I.* col. 463.

Concilium Londinense, an. 605. vel circiter.

Huic quoque concilio S. Augustinus præfuit. In eo matrimonia in tertio consanguinitatis gradu, vel cum puellis per virginitatis votum Deo sacris inita esse nulla prorsusque irrita declaratum est. *Angl. I. Mansi*, Tom. I. pag. 462.

Concilium Romanum, an. 605.

Concilium hoc a septuaginta duobus Episcopis, quinquaginta quatuor Presbyteris, compluribus Diaconis, totoque clero conflatum fuit. Ei præfuit Bonifacius III., in eodemque prohibitum, sub anathematis pœna, ne quis de Papæ aut Episcopi successore, titularibus adhuc viventibus, loqueretur. *Reg. XIV. Labb. V.*

Concilium Romanum, an. 610.

Præfuit concilio huic Bonifacius IV., in eoque damnati, qui contendebant monachos, utpote mundo mortuos, hac de causa sacerdotio, omnique Ecclesiastico ministerio ineptos esse. *Beda*, Hist. Angl. lib. XII. cap. 4., *Reg. XIV. Labb. V.*

Concilium Toletanum, an. 610.

Habitum fuit concilium hoc 23. Octobris die, constatumque ex Episcopis quindecim, qui Toletanum Episcopum sibi metropolitanum agnoverunt. P. Mansi super hoc concilio dubitationes proponit. *Mansi*, Tom. I. col. 467.

Concilium Egarense, an. 615.

Erat olim Egara Hispaniæ urbs, in Cataloniæ provincia, Episcopalem sedem obtinens, cujus nullum amplius vestigium remanet, nisi vetus Ecclesia, parœciam constituens, *S. Petri Egarensis* dictam. Sita erat hæc urbs leucis quatuor Barcinone procul, ubi nunc Terracensis, seu Tarrassensis urbs. Hoc Egarense concilium Januarii die 13. habitum est; nationale concilium erat, quod Oscensis concilii, an. 598. celebrati, quoad Presbyterorum, Diaconorum & Subdiaconorum cælibatum, decreta firmavit. Conspicitur plurium Egaræ Episcoporum chirographum, in Toletano concilio an. 589. in Barcinonensi an. 599. & Toletanis sex, quæ sunt annor. 610. 633. 655. 681. 688. & 693. *Corbera*, Cataloun. Illustr. lib. I. cap. 1. *Reg. XII. Labb. V. Hard. III.*

Concilium Charnense, seu Theodosiopolitanum in Armenia, an. 622.

Patriarcha Jeser Necain coegit concilium hoc. In eo revocatum quicquid in Thevinensi an. 536. gestum fuerat; receptum est Chalcedonense concilium; suppressaque additio, *Qui crucifixus es pro nobis*, quæ trisagio afficta fuerat. *Galanus*, Concil. Arm. Tom. I., *Edit. Venet.* Tom. VI. Hoc illud ipsum concilium est, quod pag. 139. Tom. I. *Analysis Conciliorum* Charnense nuncupatur.

Concilium Mantisconense, an. 624.

Quamquam Conciliorum Collectiones hoc de quo loquimur, ad an. 627. referunt, illud tamen longius quam an. 624. statui non potest. Satis etiam graves conjecturas affert P. Mansi quæ suadeant illud intra an. 616. & 624., verosimiliter an. 618. vel 620. habitum esse. Ut ut res habeat, concilium hoc S. Columbani regulam confirmavit, propugnavitque contra Agrestini, Luxoviliensis monachi calumnias, qui huic Mantisconensi concilio causam præbuit. *Mansi*, Tom. I. col. 473.

Concilium Clippiacense, an. 628.

Tanais vicus Parisiis proximus Clippia est, ubi olim aderat Gallicarum regibus ad voluptatem hortus. In eo habita concilia plura, quorum hoc primum est. Mixtus cœtus fuit, e regni proceribus Episcopisque conflatus, ut, quicquid ad ditionis tranquillitatem, Ecclesiæque utilitatem conferre posset, in ordinem redigeretur. Cœpit cœtus die 26. Maji, sub rege Dagoberto Primo, quo primum anno solus regnare cœpit. *Gallia Christiana*, Tom. I. pag. 394. concilium hoc, ex Flodoardo, ad an. 625. refert; at P. Mansi illud, tamquam suppositum, omnino rejicit, putatque non aliud esse, quam quod vere Clippiæ, an. 653. habitum fuit, in quo scilicet rex Clodoveus II.

veus II., Bertaldus ejus referendarius, & Episcopi viginti quatuor privilegio Abbatiæ S. Dionysii, die 22 Junii subscripserunt. Hæc porro sunt, quæ Mansius in hanc rem affert, rationum momenta:

1. P. Sirmondus animadvertit, in regis Dagoberti primi veteribus gestis, huic Principi sermonem tribui, quem Aimonius a Rege Clodoveo Secundo in Clippiacensi concilio pronuntiatum fuisse testatur. 2. Jactato huic an. 628. Clippiacensi concilio regis Dagoberti annus quintus adscriptus est. Jamvero non nisi an. 628. post patris Clotarii Secundi mortem solus regnare cœpit; ac tum quidem haud novam sui regni epocham inchoavit, sed priorem retinuit, quemadmodum P. Cointius in suis *Gallis Annalibus* animadvertit; ex quo fit, ut nullum omnino cœtum convocare potuerit Clippiæ, sui regni an. 5., quo solum Metarum, non autem Parisiorum rex erat, adeoque Clippiæ nulla potestate gaudebat. 3. Fere omnes Episcopi qui Clippiacensi concilio an. 628. interfuisse ponuntur, subscripti comperiuntur diplomati quod Rex Clodoveus II. in concilio an. 653. ibidem habito dedit. An vero credibile est eosdem, ac tam multos Episcopos conciliis duobus, per viginti annorum spatium mutuo distantibus adfuisse? 4. Landrius, Parisiensis Episcopus qui non nisi an. 653. Episcopalem hujus urbis sedem conscendit, ut Pagius monet, jactato an. 628. Clippiacensi concilio subscriptus occurrit; quod argumento est hoc arrogatum concilium esse non posse nisi illud ipsum quod an. 653. habitum fuit. *Mansi*, Tom. I. col. 473.

Concilium Leniense in Hibernia, an. 630.

Episcopi qui concilium hoc seu conciliabulum constituerunt, edito decreto firmaverunt, ut in ea persisteretur, quæ apud eos obtinebat, celebrandi Paschatis consuetudine, decima quarta scilicet die lunæ Martii, in quamcunque diem, etiam dominicam incidisset. Id causæ fuit, ut Hiberni *quartadecimani* nuncuparentur; id enim nominis iis omnibus tributum fuit, qui contendebant Pascha die 14. lunæ Martii, quacunque tandem hebdomadæ die contingeret, celebrari oportere. *Edit. Venet.* Tom. VI.

Concilium Jerosolymitanum, an. 634.

Conflatum erat concilium hoc ex Episcopis Palestinæ, S. Sophronio Patriarcha præside. Scilicet ex hoc concilio sanctus is præsul, catholicæ fidei contra Monothelismum strenuus propugnator & vindex egregiam suam synodicam epistolam scripsit, ut suam ad patriarchatum electionem nuntiaret. In ea epistola duas in Christo Domino voluntates, duasque operationes probat. *Oriens Christ.* Tom. II. D. M.

Concilium Aurelianense, an. 634.

Convocatum fuit concilium hoc, S. Eligii, Noviodunensis Episcopi rogatu, in hæreticum quemdam qui græcus & monothelita fuisse creditur. Hominem hunc concilium damnavit, perfecitque, ut a Galliis expelleretur. *Vit. S. Elig.* cap. 35. *Reg. XIV. Labb. V. Hard. III.*

Concilium Clippiacense, an. 636.

Habitum est concilium hoc Kal. Maji. In eo S. Agilius, seu Ægilius monasterii Rebasiensis, a S. Eligio in Suessionensi diœcesi nuper erecti primus Abbas institutus fuit. *Mabillonius, Sec. II. Bened.* pag. 323.

Concilium Constantinopolitanum, an. 639.

Hoc pseudoconcilium fuit, eo consilio coactum, ut *Ecthesis*, hoc est, fidei professio, a Sergio Constantinopolitano Patriarcha proposita, & ab Imperatore Heraclio præscripta confirmaretur. Ea quidem naturas duas in Christo agnoscebat, at dici prohibebat voluntates duas, duasve operationes in eo fuisse. Pyrrhus, Sergii successor, in alio ejusdem aut in sequentis anni conciliabulo ecthesin approbavit, mandavitque, ut ei tam præsentes quam absentes Episcopi, sub excommunicationis pœna, subscriberent.

Concilia Romana, an. 640. & 641.

In horum conciliorum primo Summus Pontifex Severinus damnavit ecthesin; & in altero Joannes IV. in Monothelismum invectus est. *Pagius.*

Concilium Aurelianense, an. 642.

Habitum fuit concilium hoc in quosdam hæreticos qui Monothelitæ fuisse creduntur, qui scilicet in Galliam irrepserant. Concilio huic Labbæus annum 645. tribuit, et illud Mansius an 642. vel etiam citius celebratum esse contendit, propterea quod, ipso Labbæo fatente, S. Eligii, Noviodunensis Episcopi, & S. Ovenii, Episcopi Rothomagensis Episcopatum anteverterit; qui sane præsules an. 3. regni Clotarii II., videlicet æræ vulgaris an. 639. consecrati fuere. *Mansi*, Tom. I. col. 477.

Concilia Africana, an. 646.

Habita sunt hoc anno in Africa contra Monothelitas concilia plura; unum in Numidia, alterum in Byzacena, tertium in Mauritania, & quartum Carthagine. *Reg. XIV. Lab. V. Hard. III.*

Concilia Thessalonicensia, an. 650.

Paulus, Thessalonicensis Episcopus, Monothelismo infectus, habuit in hujus hæreseos gratiam concilia duo. In primo suæ doctrinæ expositionem edidit, quam, ut tueretur, ad Papam S. Martinum cum synodica epistola misit. Cum porro Summus Pontifex legatos duos ad eum remisisset, iisque in mandatis dedisset, ut eum ad catholicæ fidei professionem firmandam adigerent, eam quidem firmavit Paulus in novo concilio quod in hanc rem convocavit, at postquam ipsam in præcipuo gravique capite mutilaverat.

Concilium Romanum, an. 650.

Legati Summi Pontificis S. Martini, cum fidei professionem a Paulo Thessalonicensi firmatam mutilatamque ad eum retulissent, canonica pœnæ addicti fuere, propterea quod ita se decipi passi essent. Summus deinde Pontifex, prima Novembris die, concilium coegit, quod Paulum Thessalonicensem anathemate perculit, proscripsitque, quicquid ab eo in Thessalonicæ conciliis duobus, de quibus supra diximus, actum fuerat. Id omne Pontifex Paulo Thessalonicensi per litteras ad eum datas significavit. Porro nihil vetat, quin hoc concilium an. 649. habitum fuerit. *Mansi*, Tom. I. col. 483.

Concilium Clippiacense, an. 653.

Vide supra Concilium Clippiacense, an. 628. pag. 13.

Concilium Mansolacense, an. 659.

Emmonius, Archiepiscopus Senonensis hoc Mansolacense concilium habuit, ad Vannem flumen, Senonensi ab urbe leuca procul. In eo editæ super disciplina sanctiones quædam. Hujus concilii tempus his verbis effertur: *Actum Mansolaco, in curte dominica, anno tertio domini nostri Chlotarii*. Mabillonius, *Act. SS. Bened. Sec. III. part. II. pag.* 614., *l'art de verifier les dates*, pag. 187.

Concilium Pharense, in Anglia, an. 664.

Aderat in ea regione virginum monasterium, cujus Hilda Abbatissa erat. Hæc ipsa ab Oswio, Northumberlandiæ Rege hujus concilii convocationem petiit. Adfuit ea cœtui cum Egfriddo, Regis Oswii filio, Agilberto, Saxonum occidentalium Episcopo, Abbate Wilfriddo, Agathone presbytero, Jacobo, Romanæ Ecclesiæ diacono; stabant hi a Romana Ecclesia, excepta Abbatissa Hilda, quæ Scotorum causam propugnabat, perinde ac Rex Oswius, qui una cum Scotiæ Episcopis pluribus & ipse concilio interfuit. In eo agitata de die quæstio, qua Pascha celebrari deberet, quæstio, inquam, de qua acriter contendebant ex una parte Angli qui illud asserebant dominica prima post diem 14. lunæ Martii celebrari oportere, ex alia Scoti qui illud dominica prima post lunæ diem 13. ad 20. usque, celebrandum ajebant; ex quo contingebat, ut eodem quo Judæi die Pascha celebrarent, quoties in lunam 14. dominica dies incidebat. Porro Scotos inter & Quartadecimanos id discriminis intercedebat, quod hi quidem semper die 14. lunæ Martii, in quamcumque diem incideret, Pascha celebrari volebant; Scoti vero solum ajebant dominica prima post 13. lunæ diem illud celebrari debere. Scotis hoc in concilio haud cessit e voto res. In eo actum

etiam

etiam de Presbyterorum corona, deque nonnullis aliis Ecclesiasticis argumentis. *Reg. XV. Labb. VI. Angl. I.*

Concilium Cretense, *an.* 667.

Creta, quæ nunc temporis dicitur vulgo Candia, quam Turcæ an. 1669. Venetis eripuerunt, est Europæ insula in mari mediterraneo. S. Paulus per eam transiit Romam pergens, ibique Titum reliquit Christifidelium Episcopum, quos catholica fide imbuerat. Numerabantur olim in hac insula urbes centum, quarum præcipua Gortynia nuncupata ecclesiasticam provinciam constituebat. Paulus qui an. 667. ejus metropolitanus erat, hoc ipso anno provinciale concilium convocavit, ad quod Joannem, Lappensem Episcopum ob causam quæ ignoratur, accivit, perfecitque, ut damnaretur. Appellavit Joannes ad sanctam sedem; at ejus appellationem tamquam defectionem spectans Paulus eum in carcerem trudi jussit. Joannes e carcere elapsus Romam se contulit, ut Summo Pontifici Vitaliano se sisteret, qui eodem anno 19. Decembris die concilium coegit, ut de eo negotio cognosceret. Sententiam in Joannem Episcopum pronuntiatam, tamquam canonibus repugnantem concilium abrogavit; atque de re Vitalianus ad Cretensem Archiepiscopum scripsit. *Reg. XV. Labb. VI. Hard. III. Mansi*, Tom. I. col. 501.

Concilium Senonense, *an.* 669. *vel* 670.

Emmonius, Archiepiscopus Senonensis concilium hoc in sua metropoli convocavit, ut monasteriorum Sanctæ Columbæ, & S. Petri Vivi dicti privilegia confirmaret. Triginta numero Episcopi quibus hoc concilium constabat, ea privilegia reapse firmarunt, iis singuli subscribentes. *Mabillonius*, Annal. Tom. I. lib. XIV. §. 63. *Labb. VI. Hard. III. Mansi*, Tom. I. col. 503.

Concilium Burdigalense, *an.* 673.

Conflatum fuit concilium hoc ex metropolitanis, Bituricensi, Burdigalensi, & Eausiensi, singulorum comprovincialibus adsistentibus. Interfuit cœtui comes Lupus, in eoque ad pacis in regno restitutionem, & ad disciplinæ reformationem collata est opera. D. Vaissettius, Tom. I. pag. 361. *Ars purgandi adscriptæ tempora*, pag. 187.

Concilium Christiacum, *in Tractu Pensisarensi*, *an.* 676.

S. Legerius, Augustodunensis Episcopus interfuit concilio huic; quod in causa fuit, ut amanuenses nonnulli illud Augustoduni collocarent. Conciliorum editores qui eos secuti sunt, in alium errorem inciderunt, concilium hoc referentes ad an. 670. loco 676. quam ejus veram epocham esse probat Mabillonius. Hic ipse doctus vir conjicit illud Christii, non autem Augustoduni habitum fuisse. *Mabillonius*, Annal. lib. 16. & Op. posth. Tom. I. pag. 530. *Ars purgandi adscripta tempora*, pag. 187. & 188.

Concilium Marlacense, *an.* 677.

De loco celebrationis hujus concilii non convenit inter auctores. Putat Mabillonius Marlajum fuisse in Tullensi diœcesi; Pagius stat a Marlaco Parisiis proximo. Ut ut res habeat, Episcopi Neustriæ & Burgundiæ eo convenere, medio circiter Septembri mense, anno 5. regni Theodorici, qui perinde ac rex Dagobertus, ibidem adfuit. Concilii præsules Chramlinum qui Embrodunensem Episcopatum invaserat, deposuerunt, eique, in degradationis notam, vestes sciderunt. *Edit. Venet.* Tom. VI. *Mansi*, Tom. I. col. 509.

Concilium Galliarum, *an.* 678.

Concilium hoc, seu potius conciliabulum habitum fuit an. 678. in quodam Theodorici Regis palatio, quod minime designatur; actum in eo est de S. Legerio, Episcopo Augustodunensi; qui eo ductus jussu Regis Theodorici, & Ebroini, præfecti prætorio, sollicitatusque, ut mortis Regis Childerici II. se reum fateretur; suamque licet sanctus præsul innocentiam testatus, attamen degradatus fuit, & Roberto, palatii comiti traditus, ut ei caput amputaretur; quod in Artesiæ regione, Octobris die 2. vel 3. executioni mandatum fuit. *Riverus*, Hist. litter. Galliæ, Tom. III. *Cellierius*, Hist. Auctorum Eccl. Tom. XVII.

Concilium Mediolanense, *an.* 679.

Coegit, sub anni initium in Monothelitas concilium hoc Archiepiscopus Mansuetus, Agathone Summo Pontifice, & Imperatore Pogonato regnante. Damianus Presbyter qui cœtui interfuit, ac deinde Ticinensis Episcopus fuit, synodicam epistolam concinnavit, quam concilium ad Imperatorem misit, in qua duæ in Christo Domino voluntates, duæque operationes affabre explicantur, & strenue propugnantur. Muratorius, *Annal. Italic.* Tom. IV. *Reg. XVI. Labb. VI. Hard. III.*

Concilium Gallicanum, *an.* 679.

Concilio huic, quod sub anni exordium habitum est, idem ac superiori propositum negotium fuit; in eo scilicet damnati Monothelitæ. Ignoratur ejus celebrationis locus; quicquid nobis de eo innotescit, a concilii subscriptionibus derivatur, quod eodem anno Romæ habitum. Ex iis nempe subscriptionibus palam fit, Felicem Arelatensem Archiepiscopum, Deodatum Tullensem Episcopum, & Taurinum Thelonis Martii diaconum a Gallorum concilio de quo agitur hoc loco, Romam legatos fuisse. *Reg. XVI. Labb. VI. Hard. III.*

Concilium Romanum, *an.* 679.

Huic habendo concilio causam præbuit S. Wilfriddus, Archiepiscopus Eboracensis quem sede expulerunt Egfriddus Rex, & Theodorus, Archiepiscopus Cantuariensis. Hoc in concilio sanctus præsul innocens pronuntiatus fuit, suamque in sedem restitutus per contradictorium judicium, in quo auditæ fuere tum accusationes, e monacho Coenvaldo quem Theodorus in id designaverat, in eum propositæ, tum defensiones a sancto ipso Antistite oppositæ. Concilium hoc Pagius & Ceillerius ad an. 679. referunt. *Ibid.*

Concilium Anglicum, *an.* 680.

Concilium hoc, 17. Septembris die, in agro Hapfeldiensi, seu Herfeldiensi, celebravit in Monothelitas Theodorus, Archiepiscopus Cantuariensis. Sunt, qui hoc ipsum concilium an. 679. habitum velint; at illud Pagius ad an. 680. refert. *Anglic. I.*

Concilium Northumbriæ, *an.* 680.

Habitum fuit concilium hoc occasione judicii quod superiore an. 679. in S. Wilfriddi favorem Romana synodus pronuntiaverat. Verum, tam æqui judicii nulla prorsus ratione habita, rex, principes præsulesque S. Wilfriddum in carcerem conjectum voluerunt. *Haddius*, in vit. S. Wilfriddi, cap. 33. *Mansi*, Tom. I. col. 511.

Concilium Gallicum, *in Theodorici Regis ædibus*, *an.* 688.

S. Legerii, Augustodunensis Episcopi exuvias concilium hoc Ansoaldo, Pictaviensi Episcopo, qui ejus consanguineus erat, adjudicavit.

Concilium Cæsar-augustanum, *an.* 691.

Concilium hoc latius dicitur *Cæsar-augustanum*, non vero *Augustinum*. Tom. I. pag. 156.

Concilium Magnæ Britanniæ, *an.* 692.

Conflatum fuit concilium hoc ex omnibus propemodum Angliæ Episcopis, convocatumque a Rege Ina, ut Britannos cum Saxonibus conciliaret; qui, quamvis Christianam utrique fidem profiterentur, nihilo tamen minus inter se quoad consuetudines plurea, ut super Paschate, &c. discrepabant. *Beda*, *Pagius*.

Concilium Baccanceldense, *an.* 692. *vel* 694.

Bacanceldia, seu Baccenceldia, seu Beccanceldia Angliæ locus est, in Canciensi comitatu. Witreddus, Cancii Rex, qui an. 692. vel 694. solium conscendit, statim frequens concilium Bacanceldiæ coactum voluit, cui adfuit ipse cum S. Britovaldo, Archiepiscopo Cantuariensi, Tobia, Raffensi Episcopo, bene multis Abbatibus, Abbatissis, presbyteris, diaconis & proceribus. In eo actum de Ecclesiarum, ad Canciensem comitatum spectantium reparatione. Rex pro concione cum dignitate locutus est, solemnibusque

verbis

verbis ſe perfectorum recepit, ut ſua Eccleſiis & Monaſteriis libertas & immunitas ſervaretur. *Angl. I. Manſi*, Tom. I. col. 519.

Concilium Trajectinſe, an. 697.

S. Wilebrodus, Trajecti ad Rhenum Archiepiſcopus, huic concilio præfuit. In eo ſtatutum, ut in proximas provincias miſſionarii mitterentur. Aſſeut Marcellinus in vita S. Swiberti hujus concilii acta, *apud Surium, die prima Martii, Hard. I.*

Concilium Aquilejenſe, an. 698.

Occurrit concilium hoc dedecoratum deformatumque in vulgaribus Collectionibus, quippe quod in iis exhibetur tamquam ſchiſmaticorum aliquot Epiſcoporum conciliabulum, qui Chalcedonenſe concilium, proptarea quod celebrata Capitula tria damnaverat, rejiciebant; cum e converſo tamquam legitimum concilium ſpectandum ſit, quod nempe, ad Summi Pontificis Sergii querimonias & ſignificationes, unanimi conſenſu, ſchiſmati finem impoſuit, quod Iſtriæ Epiſcopos a Romana Eccleſia ſejunctos tenebat jam inde a Papa Pelagio Primo, qui Aprili menſe an. 555. ad Pontificatum evectus fuerat. Id perſpici poteſt apud Bedam, *Lib. de ſex ætatibus*, & apud *Zanetti, de regno Longob. L'art de vérifier les dates*, pag. 189.

Concilium VVerſmutienſe, an. 700. vel circiter.

In eo duodecim ſuper diſciplina canones editi, quorum primus communionem, vel in mortis articulo, iis concedi vetat, qui accuſationem quam in Epiſcopum, Presbyterum, aut diaconum propoſuerant, haud probare potuerint. *Hartzeim*, Tom. I. *L'art de vérifier les dates*, pag. 189.



C O N C I L I A
O C T A V I S Æ C U L I.

Concilium Anglicanum, an. 701.



Oncilium hoc ſub Alfreddo Rege, & Bertholdo, Archiepiſcopo Cantuarienſi habitum fuit. In eo novæ Inſidiæ in S. Wilfriddum, Epiſcopum Eboracenſem paratæ fuerunt, qui ad Joannem VI. appellavit, atque ita de ſuorum adverſariorum nequitia triumphavit. *Reg. XVII. Labb. VI. Hard. III. Angl. I.*

Concilium Neſterfeldenſe, in Anglia, an. 703.

Hoc quoque concilium in S. Wilfriddum coactum fuit, qui & ab hoc ipſo ad Romanum Pontificem appellavit, a quo jam purgatus & reſtitutus fuerat. *L'art de vérifier les dates*, pag. 189.

Concilium Romanum, an. 704.

Eccleſiam adminiſtrante Joanne VI., concilium hoc Romæ habitum fuit; in quo quidem S. Wilfriddus iterum abſolutus, ſuamque ad Eccleſiam remiſſus fuit.

Concilium Niddanum, an. 705.

Concilium hoc in Northumbriæ Provincia, ſub Joanne Papa VII. & ſub Alfreddo, Northumbrienſium Rege, prope Niddum flumen habitum fuit. In hoc Anglicani Epiſcopi cum S. Wilfriddo in gratiam rediere, qui tandem fuit in ſuam Eboracenſem Eccleſiam reſtitutus. Ea de re Summus Pontifex ad Reges Alfreddum & Ethelredum ſcripſit; erat hic poſterior Merciæ, ſeu Anglorum Occidentalium Rex. *Reg. XVII. Labb. VI. Hard. III. Angl. I.*

Concilium Aderburnenſe, an. 705.

Hujus concilii mentio fit in donationum charta, quas S. Adelmus, Epiſcopus Schirburnienſis monaſterio Malmesburienſi, aliiſque duobus largitus eſt. Flumen, ad quod hoc concilium habitum eſt, in regis Athelſtani charta *Noddrus*, ſeu Noddorus nuncupatur; nunc temporis *Adelbourans* dicitur. *Ibid.* & *Manſi*, Tom. I. col. 525.

Concilium Mercienſe, an. 705. vel circiter.

Habitum fuit ſub Rege Ina concilium hoc, ut Merciæ, ſeu Angliæ mediæ, ſeu Anglorum Occidentalium regnum in diœceſes duas tribueretur. De hoc concilio ſermo eſt in S. Adelmi vita quam Fabricius Tuſcus & Guillelmus Malmesburienſis contexuerunt. Anno vero 708. celebratum eſt ſub eodem Rege concilium aliud, in ejus regni loco qui nos latet, ſubita quadam ejuſdem ditionis neceſſitate ita requirente. *Ibid.*

Concilium Alnenſe, in Anglia, an. 709.

S. Egwinus, Vigornienſis Epiſcopus, hujus concilii convocationem obtinuit, cui adfuere Britwallus, Archiepiſcopus Cantuarienſis, & S. Wilfriddus, Archiepiſcopus Eboracenſis. In eo confirmata fuit monaſterii Eveshamenſis erectio, in quo S. Egwinus Benedictinos poſuit. *Ang. I.*

Concilia Londinenſia, an. 712. vel 714.

Horum conciliorum unus ſpectavit Imaginum cultum; & pacis redintegrationem alterum. *Ibid.*

Concilia Conſtantinopolitana, an. 715.

An. 715. habita ſunt Conſtantinopoli concilia duo. In primo quod auguſto menſe, coram Michaele Presbytero, ſanctæ Sedis apocryſario celebratum fuit, facta eſt, unanimi cleri, Senatus Populique conſenſu, Germani, Metropolitani Cyzicenſis ad Conſtantinopolitanam ſedem translatio.

Concilium alterum eodem anno Germanus Patriarcha contra Monothelitas, & in Chalcedonenſis concilii favorem celebravit. Ex quo licet intelligi concilium hoc perperam & præpoſtere ad ann. 714. in vulgaribus Collectionibus relatum occurrere; cum enim S. Germanus non niſi an. 715. Conſtantinopolitanam ſedem conſcenderit, an. 714. concilium ea in urbe habere non potuit.

Concilium Conſtantinopolitanum, an. 730.

Imperator Leo, Januarii die 7. hoc pſeudoconcilium coegit, in quo contra Imagines decretum edidit. S. Germanum, Conſtantinopolitanum Patriarcham adigere voluit, ut ei ſubſcriberet, & recuſantem urbe expulit.

Concilium Romanum, an. 731.

Summus Pontifex Gregorius III. habuit concilium hoc quod propoſitum habuit Georgium Presbyterum, qui hujus Pontificis epiſtolam ad imperatores Leonem & Conſtantinum afferre juſſus, ut eos permoti a ſanctis Imaginibus impugnandis deſiſterent, regreſſus erat, quin iis epiſtolam tradere auſus eſſet. Eum deponere Gregorius volebat; at ad Epiſcoporum preces ſatis habuit ei pœnitentiam imponere, ipſumque ad epiſtolam Imperatoribus afferendam remittere. Georgium in Sicilia imperiales miniſtri retinuerunt, & in carcerem conjecerunt, in quo fere per annum manſit. Legitur hic in *Conciliorum Collectionibus* Gregorius appellatur; at eum auctor *Artis purgandi ſubſcripta tempora*, Muratorium ſecutus, Georgium nuncupat.

Idem Papa, ſi Manſio fides, Kal. Novembr. ejuſdem anni 731. alterum Romæ Concilium habuit, ut ſanctas imagines tueretur. Quæ porro in id a Manſio afferuntur, ratio eſt, quod Antonius, Gradenſis Patriarcha, huic Concilio interfuit; id autem, inter alia, probat ſtatui oportere Concilia duo, hoc anno a Papa Gregorio III. Romæ habita, quandoquidem Anaſtaſius Bibliothecarius in ſuis *Romanorum Pontificum vitis* memoriæ prodit, Romanum Concilium cui Antonius interfuit,

terfuit, posterius eo esse, in quo Georgius presbyter punitus fuit, quia male sua Constantinopolim legatione functus erat. Ad hæc, Papa Gregorius, electus mense Martio an. 731. de sua ad solium evectione Deo gratias agit in eo Concilio in quo de presbyteri Georgii causa actum; ut proinde tamquam certum ponendum sit, hoc Concilium paulo post habitum fuisse, quam Gregorius ad supremum pontificatum evectus fueret. Ita quidem P. Mensius ratiocinatur. At si ejus ratiocinatio probet Concilia duo de quibus in præsentia controvertitur, ad unum & unicum redigenda non esse, ea uno eodamque anno habita fuisse omnino non probet; atque adeo Concilium alterum cui Antonius Gradensis interfuit, non nisi die prima Novembris an. 732. habitum fuit, ut ex epistola convocationis ejusdem Concilii, a Mensio ipso in medium allata constat: per eam siquidem Gregorii III. epistolam convocatum Concilium est ad primam Novembris diem anni qui indictionem decimamquintam consequebatur; quod in annum 732. recidit, sumpta indictione a prima Septembris die, ut tum quidem erat apud Romanos Pontifices in more positum; quæ animadversio est Auctoris *Artis purgandi adscriptas tempora*, pag. 189., *Mansi*, Tom. I. col. 543.

Concilum Vigorniense, an. 738.

Præsules decem in hoc Concilio donationes confirmarunt, quibus Wudiendoni, in eadem diœcesi siti monasterium auctum locupletatumque fuuret; *Angl. I.* pag. 86.

Concilium Clovesboviense, an. 742.

Frequens fuit Concilium hoc. Ei adfuit Ethelbeldus, Merciensium rex, & Cuthelbertus, Cantuariensis Archiepiscopus præfuit. In eo omnium rerum quæ religioni necessariæ sunt, admodum accuratum examen initum est; actum de symbolo quod a nata Christiana fide in Anglia receptum erat; Ecclesiæque immunitates & privilegia confirmata. *Ibid.*

Concilium Leptinense.

Non alia de causa repetimus Concilium hoc quod ad pag. . . . Tom. I. *Analysis Conciliorum* occurrit, nisi ut errorem corrigamus super æstimatione assis argenti, de quo in secundo hujus Concilii canone sermo est. Nos quidem eo loco P. Longuevallium, in *Historia Ecclesiæ Gallicanæ* (Tom. IV. pag. 289.) secuti diximus argenteum assem valuisse denariis duodecim; at *Doctorum Diarium* (Februario mense an. 1773. pag. 76.) super hac æstimatione bene animadversionem edidit; cum argenti duodecim unciæ hoc sæculo tempore pluris valent quam Gallicæ libræ 72., & quod inde fit consequens, assis qui earum erat vicesima secunda pars, pluris hodie valeret quam 3. libræ 14. s. monetæ Gallicæ; eoque magis, quod ejus temporis uncia ab hodierna parum admodum differabet. *Vide* Dissertationem *D. Dupuy* super denario Caroli Magni, Tom. XXVIII. *Monumentorum Academiæ inscriptionum & humaniorum litterarum*, & *Supplementum*. Ibid.

Concilium Germanicum, an. 745.

S. Bonifacius, deinde Archiepiscopus Moguntinus, præfuit Concilio huic, tamquam sanctæ Sedis legatus. In eo clerici hæretici quos Adelbertus & Clemens in errorem traxerant, in examine positi; depositusque Geviliebus Moguntinus qui homicidium patraverat. *Reg. XVII. Labb. VI. Hard. III.*

Concilium Romanum, an. 745.

Summus Pontifex Zacharias, Episcopis septem, presbyteris septemdecim, & Romanæ urbis clero adsistentibus, hoc in Concilio Adelbertum & Clementem, 25. Octobris die, anathemate perculsos a sacerdotio deposuit; & prioris quidem scripta, tamquam impia & deliramentorum plena ad flammas damnata. Adelbertus hic, qui etiam Adelbertus & Aldebertus appelletus legitur, in Gallia natus erat. Per pecuniam obtinuit, ut presbyter initiaretur, nec destitit mendaciis, visisque ridiculis, seu potius somniis populum fallere. Ita fucum faciebat, ut effutiret e cælo Angelum ad se reliquias attulisse, quarum ope a Deo, quicquid peteret, obtinere poterat: Apostolis se parem esse; se quidem eorum peccata, qui confessionis edendæ gratia ad eum accedebant, ante confessionem se scire, nec necesse esse, ut ea confiterentur, quia iisdem remissa erant. Improbabat Romam iter institui ad invisenda Apostolorum sepulcra, nullam Ecclesiam in eorum honorem consecrari volebat, suoque ipsius nomine altaria consecrabat. Hæc in epistola perspici possunt, quam S. Bonifacius ad Papam Zachariam super hac re misit. Ex eadem constat etiam Clementem ita delirasse, ut Conciliorum canones & Patrum scripta contemneret, Judaismum apud Christianos inducere vellet, inquiens fratrem posse fratris viduam sibi conjugem sumere; testareturque Christum Dominum, cum ad inferos descendit, illinc damnatos omnes traxisse, &c. *Ibid.*

Ricard Concil. Supplem. Tom. V.

Concilium Germanicum, an. 747.

S. Bonifacius, Archiepiscopus Moguntinus, coegit Concilium hoc, Caroli Magni jussu. In eo recepta generalia Concilia quatuor. *Pagius*, ad hunc ann.

Concilium Moguntinum.

Idem S. Bonifacius infidelibus Christiana fide imbuendi se totum dedere volens, Concilium hoc convocavit, in quo se episcopatu abdicavit, suumque discipulum S. Lullum, origine Anglum in sui locum instituit. *Concil. German.* Tom. I. *Histor. Germaniæ*, Tom. I.

Concilium Anglicanum, an. 756.

Cuthbertus, Archiepiscopus Cantueriensis, celebravit Concilium hoc. In eo statutum, ut S. Bonifacii, Archiepiscopi Cantuariensis, festus dies per universam Angliam, die 5. Junii coleretur. Sanctus hic Apostolus, una cum quinquaginta duobus e sociis, trucidatus fuerat, cum Dockumi in Frisia fidem pro concione nuntiaret, an. 754. *Edit. Venet.* Tom. VIII.

Concilium Gentiliacense, an. 766.

Gentiliacum, vicus leucæ spatio Parisiis procul, ad Bievrium flumen, erat Gallorum ex prima & altera stirpe regum sedes. Hoc in loco habitum est, Pipino regnante, Concilium, non an. quidem 767., ut est in vulgaribus Collectionibus, sed an. 766. ipso Dominici natalis die, ut ex Eginartio, in *Francorum Annalibus*, ad an. 767. compertum fit. Adfuere cœtui sanctæ Sedis legati sex, patricii itidem sex, Constantini Copronymi oratores, cum Græcis aliis Episcopis pluribus; Pipinus rex, regni magnatibus, & plerisque Galliarum & Germaniæ Episcopis eum comitantibus. Præcipua capita duo quæ hoc in Concilio discussa sunt, fuere Spiritus sancti processio, & Imaginum cultus; at minime constat, quæ demum fuerit Concilii super iis definitio. *Mansi*, Tom. I. col. 623.

Concilium Ratisbonense, an. 768. vel 769.

Hoc in Concilio vetiti Corepiscopi episcopalem ullam functionem peragere, nisi prius a tribus Episcopis in id initiati essent. *Hartzeim*, Concil. German. Tom I. *Mansi*, Tom. I. col. 625.

Concilium Romanum, an. 769.

Stephanus Papa III. Galliæ Episcopis duodecim, aliisque Tusciæ, Campaniæ & reliquæ Italiæ pluribus stipatus, 12. Aprilis die, Concilium hoc celebravit. In eo ad perpetuam pœnitentiam damnatus Antipapa Constantinus, qui, simplex laicus cum esset, quo tempore S. Paulus I. e vivis excesserat, favente seditiosorum hominum turma, pontificium solium invaserat. Flammis tradita Concilii acta, quod ejus electionem firmaverat; editumque decretum quo vetitum, ne deinceps Papæ electio turbaretur. Mandatum præterea, ut honos, ex veteri traditione, reliquiis & imaginibus deferretur, & in Concilium quod an. 754. contra imagines in Græcia habitum fuerat, anathema pronuntiarum. Singularis est, quoad hujus Romani Concilii tempus, adscripta nota; est enim ejusmodi: *Regnante una & eadem Sancta Trinitate*, quin ulla fiat regnantis Imperatoris annorum mentio; tum porro Constantinus Copronymus imperium tenebat. Id argumentum est ejus auctoritatem non amplius eo tempore Romæ agnitam fuisse, Italiamque græci imperii jugum penitus excussisse. *Mansi*, Tom. I. col. 627.

Concilium VVormatiense, an. 770.

Concilium hoc a Carolo Magno indictum fuit; at ejus, perinde ac Valentinensis Concilii, quod sequen-

C

quenti an. 771. idem princeps indixarat, acta periere. *Reg. XVII. Labb. VI. Hard. III.*

Concilium Dingelvingense, an. 772.

Tassilon, Bavariæ Dux, Concilium hoc, 2. Octobris die cogi jussit, eique adfuit ipse cum Episcopis sex, & laicis dominis pluribus. In ao edita fuere super ecclesiasticis civilibusque negotiis decreta quatnordecim, & non pauca Ecclesiæ concessa jura. *Ibid.*

Concilium Paderbornense, an. 777.

Paderborna est Germaniæ episcopalis urbs, ad flumen Lippiam, & Moguntiæ matropolim sita. In ea Carolus Magnus hoc Concilium congregatum voluit, ut fidem in Saxonis statuerer, quæ ab eo sæpa subacta, semper tamen ad hanc usque epocham insurrexit, & caput extulit, quo tandam tempore consensit idola descrere, ut Christianam religionem amplecteretur. Firmatom ast etiam in hoc Concilio privilegium Abbatiæ Sancti Dionysii super Araris Ecclesia; in Meldansi diœcast. *Ibidem. Mansi*, Tom. I. col. 725.

Concilium Duriense, an. 779.

Duria seu Doria ast Juliacensia ducatus urbs, in Coloniensi diœcesi, ad Roetium flumen sita. Hac in urbe sunt habita Concilia plura; primum an. 748. alterum an. 761. coram Pipino rege, ob reipublicæ negotia; tattium an. 775. & quartum an. 779. sub Imperatore Carolo Magno, cum ad bellum Saxonibus inferendum pergaret. Horum Conciliorum postremum edidit canonea 24.

1. Suffragaaal suis metropolitanis parebunt.
2. Episcopi, ubi desunt, ordinabuntur.
3. Servabunt monastaris suas singula regulas. Abbatissæ sua monasteria nunquam deserent, nec duæ regimini præficientur.
4. Gaudabunt Episcopi auctoritate, quam in suarum diœceseon clerum canones iis concedunt.
5. Id quoque juris iisdem erit, ut incastuosos & viduas legibus ad eorum salutem editis corrigant.
6. Altarius diœcesis clericum, sine proprii Episcopi nota, nemo recipiet, aut initiabit.
7. Unosquisque decimam solvet, & aa quidem, prout Episcopus jusserit, distribuatur. Hac primum vica. Eckartii judicio (*Hist. Franc.* lib. XXIV.) fit in Germania decimæ propria dictæ, tamquam debiti clero solvendi mentio.
8. Homicidia, iisve omnibus quos lax ad mortem subeundam damnat, ecclasia non erit asyli loco.
9. Judicium erit regiarum rationum curiis seu comitibus fures exponere, ea, si secus egetint, indicta pœna, ut gradu axcidant.
10. Perjuro cuique manus amputabitur.
11. Furas carceri addictos ob pecuniam judices non emittent.
12. Judices de furibus rationem non reddent, quos rite ac recta ad mortam damnaverint; si quem vero ejusmodi sententiæ injuria subdiderint, punientur ex legibus.
13. Servabuntur Pipini regis mandata.
14. Decima, & jura omnia ecclesiis debita accurate solventur.

Canones catari non alio spectant, quam ut politiam modarentur.

Concilium Paderbornense, an. 780.

Concilium hoc mixtus quidam cœtus fuit, ex Episcopis & laicis conflatus, in quo Carolus Magnus fundamenta jecit episcopatuum quinqua, qui ad Christianam religionem in Saxonia firmandam designati fuere. Ejusmodi porro episcopatus sunt, Minda, Halbertsadium, Ferda, Paderborna, & Monasterium. *Hertzeim*, Concil. Germ. Tom. I.

Concilium Paderbornense, an. 782.

Hoc quoque Concilium mixtus quidem cœtus fuit, in quo Carolus Magnus cum comitibus & præsulibus consilia contulit super civili & acclesiastica forma, quam Saxonibus tribui congruebat. Extitit etiam eodem anno Coloniæ alius ejusdem generis cœtus, in quo idem princeps Saxonum, uno axcepto Vitikindo, obsequia recepit. *Ibid.*

Concilium Paderbornense, an. 785.

Cœtus mixtus, in quo Carolus Magnus, quoad Saxonicam rempublicam civili & ecclasiasticæ formæ extremam manum imposuit, & ad implendas sedes quas ibidem creaverat, Episcopos nominavit. *Ibid.*

Concilium Constantinopolitanum, an. 786.

Huic Concilio Patriarcha Tharasius, Augusti die 7. initium dedit, in sanctarum Imaginum gratiam; at Iconoclastarom vi solutum fuit, quantumvis Imperator Constantious, & Imperatrix Irenes aidem favarent. *Theophanes.*

Concilium Ingelheimense, an. 788.

Ingelheima ast Germaniæ vicus, ad Rhenum situs, Moguntiam inter & Dignium. In ao habita fuere Concilia plura, ab hoc initio ducta, quod mixtus cœtus fuit. In eo Tassilon, Bavariæ Dux, perfidiæ in Carolum Magnum convictus ad vitam in monasterio trahendam damnatus fuit. *Reg. XX. Labb. VII. Hard. IV. Hartzeim, I.*

Concilium Narbonense, an. 791.

Habitum fuit Concilium hoc 27. Junii die, in eoque actum de Falica, Urgelitano in Hispania Episcopo, qui Christum Dominum, prout homo est, seu quoad humanam naturam, *Dei adoptivum*, seu *nuncupativum* filium, hoc est, nomine tantum, esse asserebat. Adfuata synodo Episcopi viginti sex, & absentium legati duo. Adfuit Felix ipse, nec apparet damnatum fuisse. Concilium hoc, ut in ajus fragmanto legimus, quod nobis superest, celebratom dicitur Junii die 27. an. 788., 23. regni Caroli Magni, Indictione XII. Verum annus 788. non erat nisi 20. regni Caroli Magni, ac tum quidem Indictio solum XI. axcurrebat. Est credendi locus has temporis notas recantiore manu additas esse; de fragmenti atiam, in quo exiant, fide ambigit Pagius. *Ibid.* & *Ars purgendi adscriptu tempore*, pag. 190.

Concilium Ratisbonense, an. 792.

Augusto manse habitum fuit Concilium hoc. Felix Urgellitanus, arroris convictus, de quo modo diximus, damnatus in eo fuit, & Romam missus ad Adrianum Papam, quo præsanta, suam hæresin in S. Petri ecclesia confessus est, abjuravitque; itaque ad suam deinde Ecclesiam remissus fuit. *Reg. XX. Labb. VII. Hard. IV.*

Concilium Verolamense, in Anglia, an. 793.

Vulgares Collectiones ponunt Verolami Concilia duo; unum an. 793. super S. Albani sepultura, qui Anglicanorum martyrum primus habetor; alterum sequenti an. 794. ut ejusdam Sancti abbatia fundaretur. Auctor *Artis purgandi temporum notas*, de uno tantum Verlamensi Concilio loquitur, quod ad an. 793. refatt, & ad S. Albani abbatiam fundandam habitum ait. Wilkiusius quidem, post Spelmanum, reapse de ecclesiasticis cœtibus duobus, in S. Albani negotio, an. 793. Verolami habitis verba facir, eum hoc discrimine, quod collationis nomen primo tribuit: *Collatio Verlamii sub Offa, rege Merciorum, de exquirenda S. Albani Protomartyris sepultura loca*. Anglic. Tom. I. pag. 154.

Concilium Hispanicum, an. 793.

Habitum fuit Concilium hoc ab Hispaniarum Episcopis, ubinam, haud constat, fortassa Toleti, an. 793. vel circiter. Hispani Episcopi qui hoc Pseudoconcilium conflabant. Elipandi & Felicis Urgellitani arrorem adoptarunt, operam dantes, ut aliquibus Sanctorum Patrum corruptis textibus eumdem fulcirent. Synodicam super hac re epistolam ad Galliarum Episcopos, aliamqua ad Imperatorem Carolum Magnum scripsarunt, prout ex Francofurtansi an. 794. Concilio, & Caroli Magni ad Hispanos Episcopos responsiona quæ inter hujus Concilii acta legitur, innotescit. *Mansi*, Tom. I. col. 729.

Concilium Beth-Botenionse, an. 793.

Cyriacus, Jacobitarum Patriarcha, hoc Pseudoconcilium coegit, ut controversiæ finem imponeret, quæ

inter

inter Jacobitas coorta erat super hic verbis, quæ in Syriaca liturgia ad Hostiæ fractionem leguntur; *Panem cælestem frangimus in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*. Ajebant alii verba hæc orthodoxa esse, adeoque retinenda; alii contra stabant, contendentes perinde esse, ac si diceretur cælestem panem a Verbo & Dei filio distinctum esse. Is litigii exitus fuit, ut verba in liturgia, pro veteri consuetudine, relinquerentur. Beth-Boten in Haraniensi Mesopotamiæ regione est.

Concilium Romanum, an. 794.

Concilium hoc post Francofurtense, seu Francofordiense habitum fuit. Ei præfuit Summus Pontifex Adrianus Primus; in eodemque Elipandi, Archiepiscopi Tolatani, & Felicis, Episcopi Urgellitani damnatus error. Non est porro confundandum Concilium hoc cum eo quod in eadem urbe an. 792. habitum fuit, cujusque Veneti editores Conciliorum P. Labbæi mentionem faciunt. In Romano quippe Concilio an. 792. Felix Urgellitanus, cum suam ad Papæ Adriani pedes hæresin ebjurasset, absolutus fuit, inquit in suis *Annalibus* Eginartus; cum in eo quod an. 794. Romæ habitum est, damnatus fuerit, propterea quod ad vomitum rediisset, in suum scilicet priorem errorem relapsus esset. *Mansi*, Tom. I. col. 731.

Concilium Gallicanum, an. 796.

Est admodum verosimile Concilium hoc Turonibus habitum fuisse, Caroli Magni jussu, ad discutiendam Josephi, Cenomanensis Episcopi causam, qui accusatus fuerat, quasi suo cum clero trucem & barbarum in modum egisset. Joseph se inibi esse videns, ut damnaratur, clam militari veste tectus aufugit. Eum Concilium deposuit, & Turonensi Archiepiscopo ejusdem consanguineo traditum voluit, a quo Candesii cellulam inclusus fuit, ubi pœnitentiam egit. *Mabillonius*, Analect. *in fol.* pag. 292. *Mansi*, Tom. I. col. 739.

Concilium Bacanveldense, an. 798.

Quenulfus, Merciæ in Anglia rex adfuit Concilio huic, cui præfuit Athelardus, Archiepiscopus Cantuariensis, S. Leone III. Ecclesiam regente. In eo vetiti laici Ecclesiarum bona usurpare; atque huic decreto septemdecim Episcopi & Abbates aliquot subscripsere. *Anglic. I.* pag. 162. *Mansi*, T. I. col. 739.

Concilium Finchalense, in Anglia, an. 799. *vel circiter*.

Echembaldus, Archiepiscopus Eboracensis, huic Concilio præfuit, cui id propositum fuit, ut vetus disciplina, præsertim super celebrando Paschate restitueretur. *Reg. XX. Labb. VII. Hard. IV.*

Concilium Romanum, an. 799.

Summus Pontifex S. Leo III., quinquaginta septem Episcopis adsistentibus, præfuit Concilio huic. In eo damnatum fuit Felicis Urgellitani in Alcuinum scriptum, & excommunicatione irretitus Felix ipse, nisi ab hæresi in quam reciderat, recessisset. *Ibid.*

Concilium Risbachiense, in diœcesi Ratisbonensi, an. 799.

In hoc Concilio editi fuere canones duodecim, inquit Auctor *Artis verificandi temporum notas*, qui etiam subdit P. Mansium referre synodum hanc ad an. 803. Super hac narratione veniunt animadvertenda nonnulla. 1. Dukerus, in suo *Salisburgensi Chronico*, tradit Concilium hoc Januarii die 20. habitum esse, pluresque canones continere; at eos historicus Frinsingensis rejicit, tamquam recto sensu destitutos, ecclesiasticæ dignitati contrarios, sapientibusque indignos Episcopis, qui huic Concilio interfuisse dicuntur. Ut aliquod exemplum afferam, quintus & duodecimus canones Episcopis, omnibusque generatim præsulibus vetat, ne mobilia bona acquirant*, aut possideant. 2. Frinsingensis idem historicus testatur eos jactatos canones aperte secum pugnare, notatosque esse testium subscriptione, qui huic Concilio interesse non potuerunt. 3. Nedum Mansius hoc Concilium ad an. 803. refert, contrarium potius omnino statuit disertis verbis hisce: *Annus habiti Concilii incertus est, quamquam diversum credo a Concilio Ratisponensi, contra Felicianam hæresim an.* 803. *coacto*.

Concilium Vergellense, an. 799.

Conflarunt Concilium hoc Leidradius, Archiepiscopus Lugdunensis, Nefridius, Archiepiscopus Narbonensis, Benedictus, Anianensis abbas, aliique plures, tam Episcopi quam Abbates quos Imperator Carolus Magnus ad Felicem, Urgellensem, seu Urgellitanum Episcopum miserat, ut eum ab errore revocarent. Hi omnes præsules, cum cœtus in modum convenissent, Felici persuaserunt, ut ad Imperatorem accederet, polliciti fore, ut Patrum testimonia quæ suæ opinioni favere putabat, eo præsente, liberrime proferre posset. Assensus est Felix, auditusque in Concilio quod eodem anno, coram Carolo Magno, ejusque Aulicorum primoribus Aquisgrani habitum fuit. Baluzius, *in notis ad Agobardum*.

Concilium Clovesboviense, in Anglia, an. 800.

Convocatum fuit Concilium hoc Quenulfi jussu. Athelardus, Archiepiscopus Cantuariensis, ei præfuit, agmen ducens suæ provinciæ Episcoporum, ducum, abbatum. In eo confirmata fides, ea prorsus ipsa, quæ a Summo Pontifice S. Gregorio Magno accepta fuerat. In eodem actum præterea de usurpatione bonorum Ecclesiæ. Hujus Concilii actis hæc adscripta nota legitur: *anno adventus* DCCC. quod idem est atque Incarnationis annus. *Regin. XX. Labb. VII. Hard. IV. Angl. I.*

Concilium Romanum, an. 800.

Concilium hoc Decembri mense habitum fuit. In eo Summus Pontifex Sanctus Leo III. obstricta jurisjurandi fide, e criminibus se purgavit, de quibus accusatus erat, coram Carolo Magno; in eodemque princeps hic Romanorum Imperator electus fuit.



C O N C I L I A
N O N I S Æ C U L I,

Concilium Altinenſe, an. 802.



Rat olim Altinum Italiæ epiſcopalis urbs, Patavium inter & Concordiam, ad extremam Adriatici ſinus oram ſita. Epiſcopalis ſedes Torcellum translata eſt. Cum porro Joannes, Venetiarum Dux, Joannem, Gradenſem Patriarcham ex edita turri præcipitem dejeciſſet, S. Paulinus, Aquilejenſis Patriarcha, Altinenſe Concilium convocavit, ut in Venetiarum Ducem Caroli Magni ſubſidium imploraret. In eo actum eſt etiam de fidei & diſciplinæ negotiis. Concilium hoc Manſius quidem ad an. 803. Madriſius vero, *editor Operum S. Paulini Aquilejenſis*, ad 804. referunt. *Ibid.*

Concilium Ratisbonenſe, an. 803.

Adalvinus, quo tempora contigit hujus Concilii celebratio, Ratisbonenſis Epiſcopus erat. In eo ſtatutum, ut Chorepiſcopi nullas epiſcopales functiones peragerent, utpote qui puri putique presbyteri erant; & quaſcumque pereg.ſſent, omnes & ſingulæ prorſus nullæ declararentur. Vetitum præterea, ne novi deinceps Choreпiſcopi crearentur. *Ibid.* & *Hartzeim*, Concil. Germ. Tom. II.

Concilium Cloveshovienſe, an. 803.

Athelardus, Cantuarienſis Archiepiſcopus, Concilium hoc celebravit una cum Epiſcopis duodecim, Abbatibus & Presbyteris qui ab eo pendebant. In eo iterata anathemata quæ contra bonorum Eccleſiæ uſurpatores pronuntiata fuerant; & præterea mandatum, ut Cantuarienſis metropolis omnia jura, omneſque prærogativæ, quin eorum ulla inter eam, aliamque Eccleſiam partitio fieret, ſervarentur. *Ibidem*, & *Angl. I.*

Concilium Tegernſeenſe, an. 804.

Concilium hoc habitum fuit die 16. Junii in hujus nominis monaſterio, in Friſingenſi diœceſi ſito. Atton, hujus urbis Epiſcopus queſtus eſt ejus monaſterii monachos ſibi tribuere parochiales quaſdam Eccleſias quæ ad eos minime pertinebant; & monachi cum nihil in ſui defenſionem afferre potuiſſent, eas Epiſcopo reddere juſſi ſunt. *Hartzeim*, Tom. II. *Manſi*, Tom. I. col. 747.

Concilium Conſtantinopolitanum, an. 806.

Concilium hoc Patriarcha Nicephorus una cum Epiſcopis circiter quindecim celebravit. In eo ad Eccleſiæ communionem receptus, reſtitutuſque eſt presbyter Joſeph, Conſtantinopolitanæ Eccleſiæ œconomus, quem Patriarcha Taraſius gradu ſpoliaverat, propterea quod Theodorum coronaverat, Imperatoris Conſtantini VII. concubinam, qui legitimam conjugem repudiaverat. S. Theodorus Studita qui hanc Conſtantinopolitani Concilii indulgentiam damnabat, illud appellavit *adulterantium ſynodum*; quod in cauſa fuit, ut illud P. Labbeus in Conciliabulorum numero poneret, haud ſatis gravi tamen ratione ductus, quandoquidem indulgentia qua Concilium erga Joſephum presbyterum uſum eſt, neceſſaria erat in circumſtantiis in quibus verſabatur. In eodem Concilio præſcripta eſt cæremonia in Archimandritæ conſecratione ſervandis ratio. *Ibid.* & *Manſi*, Tom. I. col. 749.

Concilium Saliſburgenſe, ſeu Salzburgenſe. an. 807.

Arnon, Saliſburgenſium Archiepiſcoporum primus, præfuit Concilio huic quod 26. Januarii die habitum. In eo ſtatutum, ſecundum canones, decimas in portiones quatuor tribui debere; primam pro Epiſcopo, pro clericis alteram, tertiam pro pauperibus, quartam pro eccleſiarum fabrica. *Reg. XX. Labb. VII. Hard. IV. Hartzeim, II.*

Concilium Conſtantinopolitanum, an. 809.

Conciliabulum fuit, Januario menſe, a Patriarcha Nicephoro, adſtantibus Epiſcopis numero pluribus, celebratum. In eo pronuntiatum ſtatutumque, Imperatoris Conſtantini VII. cum Theodora, Imperatricis Mariæ quam is repudiaverat, cubicularia matrimonium per diſpenſationem validum eſſe; & anathemate perculſi S. Plato, S. Theodorus Studita, ejuſque frater Joſeph, Theſſalonicenſis Archiepiſcopus, qui conjugium illud tamquam adulterium ſpectabant, & cum presbytero Joſepho qui illud conjunxerat, communicare renuebant. *Ibid.*

Concilium Aquiſgranenſe, an. 809.

Habitum eſt Novembri menſe Concilium hoc ſuper controverſia Græcos inter & Latinos agitata, videlicet, an Spiritus ſanctus a Filio, quemadmodum a Patre procedat. Imperator Carolus Magnus Summum Pontificem Leonem III. ſuper hac quæſtione conſultum miſit. Bernarius, Epiſcopus Wormatienſis, & Adelardus, Corbienſis abbas, hujus principis legati duo, magnam collationem habuere ſuper verbo, *Filioque*, quod a Galliarum & Hiſpaniarum Eccleſiis in ſymbolo canebatur. Ejus canendi mos tum quidem Romæ non obtinebat; ac Summus Pontifex quamvis optaſſet, ut omnes Eccleſiæ hoc in capite ad Romanam ſe conformarent, non tamen contrarium uſum damnabat; atque adeo fatebatur per verbum *Filioque* veram fidem explicari; at volebat ad litteram Conciliis ſtare, quæ ſymbolo quicquam addi vetuerant. *Ibidem*.

Concilium Conſtantinopolitanum, an. 812.

Coactum fuit ab Imperatore Michaele Curopalate Kalendis Novembribus Concilium hoc, deliberandi gratia ſuper pace a Bulgaris eidem exhibita, ea conditione, ut eorum nationis transfugas redderet. Imperator & Nicephorus Patriarcha in ea fuere ſententia, ut Bulgaris id quod petebant, concederetur; at S. Theodorus Studita, cum aliis pluribus, contra ſtetit, & ejus quidem opinio pervicit. *Theophanes*, *ad an.* 805.

Concilium Rothomagenſe, an. 813. *vel circiter*,

In eo editi canones ſeptem. Mandant priores tres, ut populo a ſuggeſtu nuntientur aliqui fidei articuli, ut Trinitas & Incarnatio.

4. Vetat Epiſcopis, ne presbyterum accuſatum a Miſſæ ſacrificio ſuſpendant, niſi menſem excurrere paſſus fuerit, quin ad ſe purgandum accederet, jam per litteras monitus.

5. Feminas quæ proprios filios occiderint, poſt pœnitentiæ annos decem, ad communionem receptas vult.

6. Presbyteros jubet monere, ut ſpurii ad eccleſiæ januam deferantur.

7. Publicam pœnitentiam imponit filiis qui patrem aut matrem percuſſerint, vel maledixerint. *Beſſinus*, Concil. Norm.

Concilium Noviodunenſe, *ſeu Noviomenſe*, an. 814.

Vulfarius, Remenſis Archiepiſcopus, coegit Concilium hoc, ut diœceſeon Noviodunenſis & Sueſſionenſis limites ad normam redigeret. *Reg. XX. Labb. VII. Hard. IV.*

Concilium Conſtantinopolitanum, an. 814.

S. Nicephorus, Conſtantinopolitanus Patriarcha præfuit Concilio huic, ſub Dominici natalis feſtos dies, centum ſeptuaginta, vel ducentis ſeptuaginta Epiſcopis adſiſtentibus. In eo damnatus Antonius Sileenſis in Pamphilia metropolitanus, Iconoclaſtarum hæreſeos convictus, & confirmata Eccleſiæ fides ſuper ſanctarum

rum Imaginum cultu: Laobeam Mansius deceptum ait, dum Antonio da quo agitur boc loco, Sileensis urbis metropolitani titulum tribuit; contendans eum Sileensem matropolitenum appellatum esse, quia e monasterio eductus fuerat, quod *metropolitanorum* monasterium nuncupabetur, ut Sileensis Episcupus crearetur. At fellitur Mensius ipse, quoniem cetium est Sileensem urbem octavo sæculo in metropolin erectam fuisse. Videatur *Oriens Christian.* Tom. I. pag. 1017.

Idem Mensius alia tria Constantinopolitana Concilia hoc ipso an. 814. hebita vult, additque a *S.* Nicephoro convocatum fuisse incerti temporis Concilium, in quo editi super disciplina canones plures.

Iconoclastæ follicitudine exacerbati, quam sanctus Patriarcha Nicephorus in eorum errores præseferebat, eum daposuerunt in conciliabulo quod Februario mense an. 815. Constantinopoli habitum fuit, Imperatoris Leonis. Armeni dicti jussu, qui altero sui regni anno sacris Immaginibus bellum indixerat. Ejusdem anni Aprili mense coegere Concilium aliud ad errores suos confirmandos, mandandumque, ut omnes ecclesiarum picturæ delerentur., vasa sacre frangerentur, ornamenta lacararentur, &c. *Ibid.* & *Mansi*, Tom. I. col. 775.

Concilium Romanum, *an.* 816.

Habuit Concilium hoc Summus Pontifex Stephanus IV. Editus in eo canon qui mandat, ut Papæ quidem electio ab Episcopis & clero, cotam Senatu populoque, ejusdem autem consecratio, Imperatoris legatis præsentibus, peregantur. Muratorius, *in nota ad Supplementa Concilii Romani* ad an. 863. *Mansi*, Tom. I. col. 787.

Concilium Compendiense, *an.* 816.

Adfuit huic Concilio Ludovicus Pius non sine magno Episcoporum, Abbatum & Comitum numero. In eo auditi Saracenorum oratores. *Martenne*, Veter. Monument. Tom. IV. *Mansi*, ibid.

Concilium Aquisgranense, *an.* 816.

Tom. I. *Analysis Conciliorum*, pag. 179. Comederant (de Canonicissis fermo est) carnam piscia, *lege*, carnem, piscem.

Concilium Ingelheimiense, *an.* 817.

Contra usurpatores bonorum Ecclesiæ. *Reg. XXI. Labb. VII. Hard. IV.*

Concilium Venetiarum, *an.* 818.

Cum Fortunatus, Gradensis Patriarcha, ob dissidia cum Venetis, secedare coactus esset, quidam Monachus, Joannes nomine, ejus sedem occupavit, & quatuor annorum spatio retinuit. At Fortunatus, cum Venetis in gratiam regressus, Venetiis an. circiter 818. Concilium habuit, in quo monachus Joannes depositus, & Fortunatus suam in sedem restitutus fuit. *Dandulus*, Chronic. lib. VIII. cap. I. *Mansi*, Tom. I. col. 805.

Concilium apud Theodonis villam, *an.* 821.

Habitum est Concilium hoc Octobri mensa, conflatumque a triginta duobus Episcopis qui leges in eos edidere, qui male clericos habuissent, & pœnitentiæ tempus iis præscripserunt. Ludovicus Pius per edictum, sequenti an. 822. datum leges has confirmavit. Affert Mansius Concilium hoc sub anni 813. finem celebratum fuissa, quasque edidit, leges per edictum Imperatoris Caroli Magni, ejusque filii Ludovici Pii quem Septembri mense an. 817. sibi imperii socium addiderat, confirmatas. *Mansi*, Tom. I. col. 823.

Concilium Constantinopolitanum, *an.* 821.

Imperator Michael Balbus, cum in regni initio se bene admodum in catholicos animatum exhibuisset, hos cum hæreticis coire voluit, ut consilium de mutua inter eos pace iniretur. Catholici cum seorsim peculiarem cœtum constituissent, synodicam epistolam ad Imperatorem dedere, ut ei significarent, nequaquam sibi licere in Concilii modum cum hæreticis convenire. *Epist. S. Theod. Stud.* lib. II. epistol. 85. *Mansi*, Tom. I. col. 821.

Concilium Oslaveshlemiense in Anglia, *an.* 821.

Cenedrita, abbatissa & Quenulfi Merciensium regis filia hoc in Concilio satisfactionem renovavit, quam superiore anno Wulfrido præstiterat, ob prædia quæ rex ejus pater usurpaverat super Cantueriensi Ecclesia cujus Wulfridus Archiepiscopus erat. *Reg. XXI. Labb. VIII. Hard. IV. Anglic. I.*

Concilium Cloveshovviense, *an.* 822.

Wulfridus, Archiepiscopus Cantuariensis, huic Concilio præfuit; eidem adfuit Bernulfus, Merciensium rex; & abbatissa Cenedrita quæ cœtui & ipse interfuit, sinceram tandem solidamque cum Wulfrido pacem iniit, ei bona fide restituens, quicquid ejus pater Quenulfus rex Ipsius Ecclesiæ sustulerat, de suo etiam addans. *Ibid.* & *Anglic. I.*

Concilium Attiniacense, *an.* 822.

Attiniacum est Campaniæ, in Gallia, urbs, ad Axonam flumen, in Remensi diœcesi. Concilium quod, Peschali Primo Summo Pontifico, hoc anno ibidem habitum fuit, animadversione dignum est ex eo capite, quod in eo Imperator Ludovicus Pius publicæ pœnitentiæ se subdidit, quia Bernardum, Italiæ regem, nepotem suum, ab ordinum communi conventu damnatum perire passus erat, suosque juniores fratres, Hugonem, Drogonem & Theodoricum, quibuscum se conciliavit, invitos tunderi jusserat. In eodem canonicorum quoque & monachorum regulas quæ Aquisgrani statutæ fuerant, confirmavit. *Ibid.*

Concilium Romanum, *an.* 823.

Summus Pontifex Peschalis I. hoc in Concilio, coram triginta quatuor Episcopis, obstricta jurisjurandi fide, se ab accusatione purgavit, quæ in eum conficta fuerat, quasi primicario Theodoro & nomenclatori Leoni oculos erui, eosque deinde capite plecti jussisset. *Thegan.* Lib. de Gestis Ludovici Pii; *Mansi*, Tom. I. col. 827.

Concilium Compendiense, *an.* 823.

Actum est hoc in synodo de pravo sacrarum rerum usu, rursusque Ludovicus Pius pœnitentiæ addictus fuit, quia in errata quædam inciderat, quæ se execraturum promisit. *Agobardus*; *Mansi*, Tom. I. col. 827.

Concilium Cloveshovviense, *an.* 825.

Wulfridus, Cantuariensis Archiepiscopus præfuit Concilio huic, & Bernulfus rex eidem interfuit. Synodico decreto, 30. Octobris die dato princeps hic, Episcopi duodecim, Abbates quatuor, Abbatissa Cenedrita, Papæ legatus, pluresque procures subscripserunt. Finem imponit decretum hoc litigio, quod inter Hebertum, Vigorniensem Episcopum, & Barclajenses monachos intercedebat super Westburiensi monasterio quod Episcopo redditum fuit. *Reg. XXI. Labb. VII. Hard. IV.* Anglic. I.

Concilium Aquisgranense, *an.* 825.

Cum Parisiensis Concilii Patres, quod hujus anni Novembri mense habitum est, ad Imperatorem Ludovicum Pium qui Aquisgrani erat, sui Concilii acta misissent, ea princeps hic ad examen revocata voluit in Concilio quod 6. Decembris die celebratum fuit, quodque tamquam Parisiensis Concilii consecutio spectari potest. Romam missi Episcopi duo, qui Concilii acta ad Eugenium II. attulerant. *Fleurius.*

Concilium Mantuanum, *an.* 827.

Concilio huic, ex Episcopis septuaginta duobus conflato id propositi fuit, ut Patriarcharum duorum, Aquilejensis & Gradensis, quoad jurisdictionem super Istriæ episcopatibus, litem finiret. In juris Aquilejensi Patriarchæ adjudicatum fuit, qui suam veterem super Istria jurisdictionem recepit. *Reg. XXI. Labb. VII. Hard. IV. Mansi*, Tom. I. col. 833.

Concilia Tolosana, *an.* 828. & 829.

Perierunt horum Conciliorum acta. *Gallia Christ*, Tom. II. pag. 21. Tom. VI. pag. 16.

Conci-

Concilium Moguntinum, an. 829.

In cœtu, an. superiore 828. ad finem vergente, Aquisgrani habito, mandaveret Ludovicus Pius, ut sequenti anno Concilia quatuor, unum Moguntiæ, cætere tria, Parisiis, Lugduni & Tolosæ celebrerentur. Et hæc quidem Concilia quatuor, indicto anno, reapse habita sunt; at Parisiensis tantum acta ad nos pervenere; nobis id unum constat Otgarium, Moguntinum Archiepiscopum, aliis viginti tribus Episcopis adsistentibus, huic, quo de loquimur, præfuisse; & Gothescalcum, Fuldensem monachum, una cum Rabano, ejus Abbate, ad illud se contulisse, petendi gratia, ut a monasticæ vitæ officiis vinculisque liber remitteretur, utpote qui a parentibus, cum infans esset, religioni oblatus fuisset, quin id ipse sciret, aut vellet. Præsules, auditis, quæ Rabanus opponebat rationum momentis, pronuntiarunt Gothescalchi vincula solvi non posse, dederuntque ei solum veniam, ut e Fuldensi ad Orbasiense seu Rebasiense, in Suessionensi diœcesi, monasterium transiret. Hartz. Concil. Germen. Tom. II. *Ars purgandi temporum notas*, pag. 190.

Concilium Lugdunense, an. 829.

Unum est hoc e Conciliis quatuor, quæ Imperatoris Ludovici Pii jussu habita fuere. Ex eo nihil aliud nobis superest, quam Agobardi, Lugdunensis Archiepiscopi, Bernardi, Archiepiscopi Viennensis, & Faofi, seu Fovli, Episcopi Catalaunensis synodica ad Imperatorem epistola, ut de præsidio, quod ejus ministri Judæis concedebant, deque incommodis conquerentur, quæ inde in Christifideles derivabantur. *Mansi*, Suppl. Tom. I. col. 835.

Concilium Wormatiense, an. 829.

Postquam Concilia quatuor, prout Ludovicus Pius jusserat, habita fuere, coactum est aliud Wormatiæ, in quo editum plurium articulorum capitulare, quorum præcipui super divortio, superque aquæ frigidæ probatione versantur. *Reg. XXI. Labb. VII. Hard. IV.*

Concilium Noviomagense, an. 830. *seu* 831.

Jasseus, Episcopus Ambianensis, in hoc Concilio depositus fuit, quippe qui, contra Ludovicum Pium, ad ejus filiorum partes accesserat. Per errorem occurrit Concilium hoc, Novioduni nomine inscriptum, in Tomo IV. *Dictionarii universali scientiarum ecclesiasticarum*, & in I. *Tabellarum chronologicarum* Abbatis Lengletii.

Concilium San-Dionysianum, in Gallia, an. 832.

Coactum fuit Concilium hoc Kalendis Februariis, Imperatoris Ludovici Pii jussu, ad Abbatis Hilduini sollicitationes, qui monasterium suum reformare volebat. Dedit Mabillonius ex membrenensi exemplari hujus Concilii acta, sed adeo mutilata, ut eorum major pars intelligi nequeat. Occurrunt eadem Tom. I. *Supplementi ad Labbeana Concilia*, auctore Mansio.

Concilium Compendiense, an. 833.

Nihil aliud Concilium hoc quam seditiosus cœtus fuit, in quo Ebbonem, Remensem Archiepiscopum, & Episcopos cæteros qui in Imperatorem Ludovicum Pium insurrexarant, minime puduit eum publicæ pœnitentiæ subdere, & tamquam armis amplius ferendis ineptum, depositumve spectare. *Regin. XXI. Labb. VII. Hard. IV.*

Concilium Londinense, an. 833.

Witbglephus, Merciensium rex, hoc Concilium cogi jussit, cui adstitit ipse, ut Croylandensi abbatiæ liberalitatis argumenta præberet, pluraque eidem privilegia concederet. *Ibid. & Angl. I.*

Concilium San-Dionysianum, an. 834.

Habitum est Concilium hoc Martii die prima, in quam secunda Quadragesimæ dominica dies incidebat. In eo Ludovicus Pius Ecclesiæ conciliatus fuit per Episcoporum ministerium, ex eorumque manibus ensem recepit, quem ipsi eidem ademerant. *Ibid.*

Concilium apud Theodonis villam, an. 835.

Concilium hoc Februario mense coactum fuit. Ei quadraginta & amplius Episcopi interfuerunt, nullumque & irritum, quicquid in Ludovicum Pium actum fuerat, declararunt. Eum ad Metensem cathedralem Ecclesiam duxerunt, ut ejus redintegrationem solemniorem redderent, quæ dominica Quinquagesima, postrema Februarii die, inter Missarum solemnia, peracta est. Ebbo, Remensis Archiepiscopus qui ex eorum numero se exhibuerat, quorum acrius in Imperatorem studium furorque fuerat, hoc in Concilio cui aderat, depositus fuit, in suamque ipse depositionem consensit. Idem Agobardi Lugdunensis & Bernardi Viennensis, qui aberant, factum fuit. *Ibid.*

Concilium Straminiacense, seu Cremiense, Lugdunum prope, an. 835.

Junio mense celebratum fuit Concilium hoc. Ei Imperator Ludovicus Pius cum filiis duobus, Ludovico & Pipino interfuit. Petiit Imperator, ut Lugdunensi & Viennensi sedibus, per Agobardi & Bernardi depositionem vacantibus provideretur, qui scilicet in Concilio apud Theodonis villem habito depositi fuerant; et cum hi duo præsules abessent, quicquam pronuntiare cœtus noluit. *Ibid. & Pagius*, ad an. 836.

Concilium Aquisgranense, an. 838.

Coactum fuit Concilium hoc 30. Aprilis die, super Aldrici, Cenomanensis Episcopi litigio cum Anisolensi, seu Sancti-Calesii abbatia, quæ ab ejus jurisdictione exemptam se contendebat. Concilii judicium ab Episcopo fuit, & Anisolensibus monachis Imperator Ludovicus mandavit, ut ejus jurisdictionem agnoscerent: *Insuper vix lata pro Episcopo Cenomanensi in monachos sententia, continuo* Ludovicus *Imperator missum suum Episcopo assignavit, qui ejus Imperatoris nomine monachis denuntiaret, ut Episcopo subderentur; quæ omnia in ea charta legas, qua synodi Aquisgranensis gesta refert.* Sunt hæc ipse verba Mansii quem laudat Auctor *Artis purgandi temporum notas*. Ex quo fit, ut ignorem, cur doctus Benedictinus diserte asserat *nihil in hoc Concilio super eo negotio decisum fuisse*. *Mansi*, Tom. I. col. 891.

Concilium Carisiacum, an. 838.

Concilium hoc, 6. Septembris die, coram Imperatore habitum fuit. In eo diaconus Florus liturgica Amalarii, Corepiscopi Lugdunensis Opere denuntiavit, perfecitque, ut damnarentur. In eodem præterea Cenomanensis Episcopi cum Sancti-Calesii abbatia litigium rursus dijudicatum est, in primi favorem, ut probant hæc alia Mansii verba: *Eodem quoque anno in synodo Carisiaca iterum auditi Anisolenses monachi, iterum rejecti, pœnaque depositionis ab omni sacerdotali gradu mulctati sunt.* Mansi, ibid.

Concilium Kingstoniense, in Anglia, an. 838.

Huic Concilio Celnotbius, Cantuariensis Archiepiscopus præfuit, eidemque Rex Eigbertus, ejusque filius Ethelvulfus cum Angliæ proceribus cæterisque Episcopis adstiterunt. In eo monachis commendatum, suas ut regulas custodirent, & confirmata prædii donatio, quam Baldridus Rex in Cantuariensis Ecclesiæ gratiam ediderat. *Reg. XXI. Labb. VII. Hard. IV. Angl. I.*

Concilium Cabillonense, an. 839.

Concilium hoc sub Octobrem mensem habitum fuit, super nonnullis politicis ecclesiasticisque negotiis, in primis vero ut turbæ sedarentur, quas Ludovici, unius e filiis imperatoris Ludovici Pii, defectio excitaverat. Cum enim princeps, an. 839. ad Maji finem, inter Lotharium & Carolum suas ditiones partitus esset, & Ludovico Bavariam tantummodo reliquisset, his quidem ex ejusmodi partitione occasionem sumpsit, ut in patrem insurgeret; atque hæc præcipue fuit hujus habendi concilii causa. In eo Imperator exposuit præsulibus proceribusque rationum momenta quibus ad eam partitionem adductus fuerat, de qua Ludovicus, ejus filiorum unus, tanto cum animi impetu ac vi querebatur. *Reg. XXI. Labb. VII. Hard. II.*

Concil-

Concilium Ingelheimense, an. 840.

Ebbon, Remensis Archiepiscopus, qui in concilio an. 835. apud Theodonis villam habito depositus fuerat, in hoc a viginti tam Galliæ quam Germaniæ Episcopis absolutus, suamque in sedem restitutus fuit. Post suam redintegrationem nonnullos clericos initiavit; at eum Carolus Calvus sequenti anno Remis expulit. *Labb. VII.* pag. 1770.

Concilium Germanicum, an. 841.

Concilium hoc coram regibus Ludovico Germaniæ & Carolo Calvo celebratum fuit. In eo pronuntiatum est victoriam quam super Imperatore Lothario ejus fratres Fonteniaci retulerant, divini Numinis judicium esse; statutumque precum tempus in eorum omnium gratiam, qui in eo prælio mortem utrinque subierant. Concilium hoc ad Fonteniacensem urbem ipsam Cellerius refert. *Concil. German.* Tom. II. *Art purgandi temporum notas*, pag. 193.

Concilium Constantinopolitanum, an. 842.

Methodius, hujus nominis primus, Constantinopolitanus Patriarcha, celebravit concilium hoc, orthodoxorum Episcoporum agmen ducens, faventibus Imperatore Mauritio III. qui sextum ætatis annum, non amplius, agebat, ejusque matre Theodora quæ imperium regebat. Concilium hoc confirmavit Nicænum alterum, anathema Iconoclastis incussit, Joannis Leconomontii depositionem ratam habuit, ejusque successoria Methodii super Constantinopolitana sede ordinationem prohibuit. Hujus concilii memoriam Græci *Festi orthodoxiæ* nomine celebrant; ita primam Quadragesimæ Dominicam diem nuncupant, qua die concilium hoc habitum fuit. *Reg. XXI. Labb. VII. Hard. IX.*

Concilium Aquisgranense, an. 842.

Huic concilio Lotharii in Gallia regnum propositum fuit. Mandarunt Episcopi, ut illud inter reges, Ludovicum & Carolum Calvum divideretur, quod iidem se administraturos promiserunt pro Dei voluntate, non ut Lotharius administraverat. *Mabillonius*; *Ars purgandi temporum notas*, pag. 193.

Concilium Germiniciense, in *Aurelianensi Provincia*, an. 843.

Actum est in hoc concilio de pluribus magni momenti negotiis ad Ecclesiam spectantibus, & peculiariter de monastici ordinis reformatione. *Mabillonius*, Sæc. VI. Benedict. Tom. II.

Concilium Senonense, an. 846.

Venilonius, Archiepiscopus Senonensis, huic concilio præfuit, & Audradum Modicum Corepiscopum in eo sacravit. Hujus concilii tempus in Alberici monachi *Chronico* notatur his verbis; *Anno tertio induciarum*. Porro vox hæc *induciarum* pacem designat, quæ an. 843. inter Ludovici Pii filios inita fuit. *Mansi*, Tom. I. col. 907.

Concilium Constantinopolitanum, an. 846.

Patriarcha Methodio Primo, Junii die 14. an. 846. vivis erepto, imperatrix Theodora, eodem anno Julii die 4. concilium cogi voluit, in quo S. Ignatius in Methodii locum, invitus, suffectus est. *Methodius Syncellus* in Elogio S. Ignatii, Patriarchæ Constantinopolitani; *Mansi*, ibid.

Concilium Constantinopolitanum, an. 847.

S. Ignatius in eo Gregorium, Syracusanum Episcopum deposuit ob plura satis probata crimina. Probat Mansius hanc hujus concilii genuinam epocham esse, non autem an. 854. ut recentioribus omnibus placet. Mansi, Tom. I. col. 929.

Concilium Lemovicense, an. 848.

Adfuit huic concilio Carolus Calvus. S. Martialis Canonici enixe petierunt, ut regulæ subderentur; quod iis concessum fuit. *Reg. XXI. Labb. VII. Hard. IV.*

Concilium Britannicum, an. 848.

Nomenojus, seu Nomenoes, Britanniæ Dux, hoc concilium cogi jussit, propterea quod ejus ducatus Episcopi nullum seu Presbyterum seu Diaconum ordinabant, quin pecuniam exigerent. Romam missi Episcopi duo qui super hac re Papam Leonem IV. consulerent.

Concilium Romanum, an. 848.

Summus Pontifex Leo IV. cum Britannici concilii legatos excepisset, coegit Romæ synodum, in qua statutum, depositionis indicta pœna, nullum Episcopum debere ob conferendos ordines quicquam sumere. Qui ab hac regula ad illud usque tempus recesserant, non proinde tamen depositi fuere. Mabillonius, Secul. IV. Benad. pag. 221.

Concilium Rotonense, an. 848.

Nomenojus ipse, de quo supra, Britanniæ Dux, hoc quoque concilium convocavit, & in Rotonensi S. Salvatoris monasterio quod ad Britanniam pertinebat, habitum voluit. Britannicos Episcopos quatuor ad suas sedes derelinquendas adegit, in eorum locum alios suffecit, novosque tres Episcopatus erexit, Dolensem, Briocensem, Trecoriensem. Hos septem Episcopatus a Turonensi sede sejunxit, ac metropolitani nomen Dolensi Episcopo tribuit; quod nomen ea sedes, reclamante licet Turonensi præsule, per annos amplius 300 servavit, ac non nisi an. 1199. amisit, quo tempore Summus Pontifex Innocentius III. mandavit, ut Dolensis & reliqui Britanniæ Episcopatus Turonensi Archiepiscopatui redintegrarentur. Nomenojus, cum Dolum in metropolin erexisset, tum demum se regem renuntiatum voluit; quo quidem memoratæ omnes ejus mutationes spectaverant. *Mansi*, Tom. I. col. 921.

Concilium Lugdunense, an. 848.

Archiepiscopus Amolonius hoc concilium convocavit, in quo actum de quodam presbytero, Godelcario nomine, quem Usuardus, Abbas & Archidiaconus retinendum curaverat. Archidiaconus Clarmontiensis qui hoc ipso tempore gerit Abbatis nomen, eorum veterum abbatum simul & Archidiaconorum præsens exemplum est. *Reg. XXI. Labb. VII. Hard. IV.* Non est porro certum Lugduni habitum fuisse concilium hoc; nobis super hac re levis tantum notitia superest in *Epistolis* Lupi de Ferrieres; illudque non nisi per conjecturam, in vulgatibus Conciliorum Collectionibus Lugduni positum reperitur.

Concilium Carisiacum, an. 849.

Hincmarus, Remensis Archiepiscopus, Aprili vel Martio mense, concilium hoc cum aliis Episcopis duodecim celebravit. In eo monachus Gothescalcus ad flagella damnatus, & Hautvillersii conclusus fuit, unde duas fidei professiones, scripsit libello consonas, quem an. 848. Moguntino concilio exhibuerat, in eam nempe sententiam, ut existant prædestinationes duæ; & quemadmodum, ante mundi creationem, omnes electos immutabiliter ad æternam vitam per suam gratiam omnino gratuitam prædestinavit, ita ad æternam mortem omnes improbos, ob eorumdem demerita, prædestinaverit. *Reg. XXI. Labb. VII. Hard. V.*

Concilium Carnotense, an. 849.

Hoc in concilio clericalis tonsura Carolo, Pipini minori fratri, Aquitaniæ Regi, & Caroli Calvi nepoti collata est. *Ibid.*

Concilium Parisiense, an. 849.

Concilium hoc ex Episcopis duobus & viginti coactum fuit, qui Neumenojum, arrogatum Britanniæ regem super iis per epistolam increpuere, quæ superiore anno in Rotonensi concilio gesserat. In hoc concilio quod nonnunquam Turonense dictum est, propterea quod Landrannus, Archiepiscopus Turonensis eidem præfuit, omnes Galliæ Corepiscopi depositi fuere, quod tamen non obfuit, quin & deinceps ibidem id genus aliqui cernerentur. *Ibid.*

Conci-

Concilium apud Murittum, an. 850.

Concilium, de quo sermo est, in quodam Senonensis diœcesis loco, cui Muritto nomen, habitum fuit. Quid in eo gestum, in obscuro est; illudque non aliunde innotescit, quam ex epistolæ fragmento, quam synodus ad Erchemradum, Parisiensem Episcopum scripsit. *Ars purgandi adscriptu tempora*, pag. 194.

Concilium Benningdonense, an. 851.

Synodum hanc, Martii die 27. in Angliæ Merciensi regno, celebravit Ceolnathus, Archiepiscopus Cantuariensis, coram Bertulfo, Mercienfium Rege. Cum Croylandiæ monachi de injuriis conquesti essent, quibus Dani eorum monasterium affecerant, iis Bertulfus optima prædia tribuit, amplumque præterea & magnificum privilegium concessit. *Reg. XXI. Labb. VIII, Hard, IV. Angl. I.*

Concilium Kingesburiense, an. 851.

Feria sexta hebdomadæ Paschatis hoc quoque concilium ab eodem Archiepiscopo, coram eodem rege, ejusque regni proceribus, habitum fuit. In eo princeps Siwarda, Croylandiæ Abbati, ejusque religiosis, tam præsentibus quam futuris, bona & privilegia quibus eos in superiore concilio locupletaverat, confirmavit. *Ibid.*

Concilium Cordubense, an. 852.

Fuit hoc pseudoconcilium, Abderami, musulmanni Regis jussu coactum. Qui illud constarunt Episcopi, edito decreto vetuerunt, ne quis martyrio se offerret, eorumque damnarunt iis exhibitum qui martyrio se ipsi offerebant. S. Eulogius, Presbyter Cordubensis, quique anno 859. martyr occubuit, de hoc pseudoconcilio loquitur, illudque impugnat in Opere cui titulus: *Memoriale Sanctorum. Ibid.* & Baronius *ad ann.* 851. & 852.

Concilium Moguntinum, an. 852.

Rabanus Maurus, Archiepiscopus Moguntinus, huic concilio præfuit, in quo nonnullæ super disciplina sanctiones editæ. Putat Mansius in eo etiam proposita fuisse Ludovici Primi, Germaniæ Regis edicta duo, quorum unum regulas spectat expensarum Episcopi in Novæ Corbiæ ac Herifortii visitatione; alterum ad Abbatis & temporalis patroni, quoad aliud Germaniæ monasterium, electionem refertur. *Ibid. & Mansi*, Tom. I. col. 923. *Hartzeim*, Tom. II.

Concilium Parisiense, an. 853.

S. Prudentius, Trecensis Episcopus cum cœtui interesse non posset, ad eum misit articulos quatuor iis oppositos quos Hincmarus proposuerat. *Ibid.*

Concilia Senonensia, an. 853.

Uno eodemque anno 853. habita fuere Senonibus concilia duo; primum super S. Petri-Vivi Senonensis Abbatiæ exemptione; ob Burchardi, Carnotensis Episcopi ordinationem alterum. *Ibid.*

Concilium Ticinense, an. 855.

Concilium hoc, Februario mense, sub Papa Leone IV. Et Luitardo, Ticinensi Episcopo habitum est. In eo novendecim articuli, Ludovico II. Imperatore ita postulante, ad abusus reformandos editi. Muratorius (Tom. I. part. II. *Rer. Ital.*) ex Ambrosiana Bibliotheca deprompsit leges aliquas quas idem Princeps suis legatis in hoc concilio tradidit. Eæ spectant Ecclesiæ, viduarum, orphanorum, monasteriorum & hospitalium patrocinium. *Ibid. & Mansi*, Tom. I. col. 931.

Concilium apud villam Bonoilum, seu Bonogilum, an. 855.

Bonoilus, seu Bonogilus vicus est ad Matronam, trium leucarum spatio Parisiis procul. Habitum in eo concilium, Augusti die 25. an. 855. super litigiis quæ Cenomanensem Episcopum inter & Anisolensem, seu Sancti Calesi Abbatiam intererant. Amaurius Turonensis, Venilo Senonensis, Hincmarus Remensis, Paulus Rothomagensis Archiepiscopi, viginti tres Episcopi, Abbates tredecim adfuere concilio; cui quidem adscripta legitur hæc temporis nota: *Anno Incarnationis* DCCCLV. *Karoli Regis XVI. Indict. I. die* 8. *Kal. Septemb.* Inter has porro temporum notas nequaquam convenit. Contendit Mabillonius legendum esse *Indict. III.*, asserit econtra Mansius errorem esse in Incarnationis anno qui esse debet, ejus judicio, DCCCLIII., idque propterea quod cum Carolus an. 837. regnare cœperit, ejus regni an. 16. in 853. incidit. At hoc haud grave momentum est; sunt enim distinguendæ regni hujus principis epochæ quatuor, quarum præcipua, quæque fere obtinet, initium ducit ab an. 840., post ejus patris Ludovici Pii mortem quæ eodem anno, Junii die 20. contigit. Jam vero, a mense Junio an. 840. numerato Caroli Calvi regno, is quidem ejus annum 16. Bonoilensis concilii tempore, an. 855. inchoaverat. *Ibid.* & Mansi, Tom. I. col. 933. *Ars purgandi temporum notas*, pag. 194. & 539.

Concilium VVintoniense, an. 855.

Concilium hoc coram tribus aliarum Angliæ provinciarum regibus, singularumque regnorum primoribus, ab earumdem provinciarum Archiepiscopis & Episcopis habitum fuit. Erant hi Reges tres, Ethelwulfus seu Ethelulfus, Westsexiæ seu Saxonum occidentalium Rex; Burhedus, Rex Merciæ seu Anglorum occidentalium; Edmundus, Rex Ostangliæ, seu Anglorum orientalium. In hoc nimirum concilio Rex Ethelwulfus celebrem donationem edidit, qua decimam omnium Ufferiani regni prædiorum partem, ab omnibus oneribus liberam cedit Ecclesiæ, ut detrimenta sarciat, quæ eidem attulerat Barbarorum seu Normannorum direptio, qui non minus Angliam quam Galliam vastabant. *Ibid. & Angl. I.*

Concilium Carisiacense, an. 857.

Coegit Rex Carolus Calvus, Februarii die 28. magnum Episcoporum procerumque suæ ditionis numerum, ut Ecclesiæ & Imperii malis remedium afferret. Concilium synodicam epistolam, Caroli Regis nomine, ad Galliæ Episcopos & Comites misit. *Reg. XXII. Labb. VIII. Hard. V.*

Concilium Moguntinum, an. 857.

Præfuit huic concilio Carolus, Pipino filius, Aquitaniæ Rex, qui nomen inter Benedictinos monachos dedit, quemque super Moguntina sede Imperator Ludovicus, dictus Germanicus, collocavit. Actum est in hoc concilio de pluribus ecclesiastici juris negotiis, quorum peculiaris notitia ad nos non pervenit. *Reg. XXII. Labb. VIII. Hartzeim II.*

Concilium VVormaciense, an. 857.

In eo statuta fuit Hamburgensis Ecclesiæ cum Bremensi unio; quod Nicolaus Primus Summus Pontifex confirmavit. Putat Mansius hoc concilium ad an. 863. vel 864. remittendum esse. *Mansius*, Tom. I. p g. 953.

Concilium Carisiacum, ad Oesium flumen, an. 858.

Habitum fuit concilium hoc 25. Novembris die, conflatumque e Remensis & Rothomagensis provinciarum Episcopis qui Ludovicum, Germaniæ Regem fusa per epistolam increpuere, quod in Galliam venire proceribus opem laturus, qui Regis Caroli regimen ægre ferebant. *Pagius*, ad hunc annum.

Concilium Turonense, an. 858.

Herardus, seu Gerardus, Archiepiscopus Turonensis, mensis Maji die 16., sua in urbe concilium habuit, in quo edita quædam excerpta canonum, quorum executio præscripta fuit. *Auctor Fragmenti historia Britannio-Armorica, vulgatus in Anecdot. P. Marenne*, Tom. III. pag. 840. *Mansi*, Tom. I. col. 979.

Concilium Constantinopolitanum, an. 858. *vel* 859.

Concilium hoc, e Constantinopolitanæ provinciæ Episcopis constitutum, in S. Irenes Ecclesia coactum, & ad dies quadraginta protractum fuit. In eo depositus Photius qui 25. Decembris die Constantinopolitanæ sedis possessionem inierat, postquam ex ea Cæsar Bardas, eodem anno, Novembris die 23. S. Ignatium expulerat. At suis Photius asseclis, dum concilium quod eum deponebat, celebraretur, in Apostolorum

lorum

lorum Ecclesia congregatis, eo progredi non est veritus, ut & ipsi vicissim S. Ignatium deponeret, patriarchali sede excidisse pronuntiaret, a communione removeret, & anathemate plecteret. Hos cœtus duos Pagius ad an. 859. refert. Nicetas in Vita Sancti Ignatii.

Concilium Metense an. 859.

Mensis Maji die 28. habitum est concilium hoc cui proposita erat danda opera, ut pax inter Carolum Calvum, ejusque nepotem Lotharium ex una parte, & Ludovicum cognomento Germanicum ex altera statueretur. *Reg. XXII. Labb. VIII. Hard. V.*

Concilia Aquisgranensia, an. 860.

Aquisgrani, hoc anno, habita fuere concilia duo; unum quidem 9. Januarii die, in quo Regina Thietberga, Lotharii conjux, se gravis criminis ream apud Episcopos professa est; alterum vero, medio ejusdem anni Februario mense, in quo eadem princeps regi, Episcopis procerumque nonnullis idem iterum est fassa, quam ob rem in monasterium conjecta fuit, e quo sospes evasit. *Ibid.*

Concilium Moguntinum, an. 860. seu circiter.

Carolus, Archiepiscopus Moguntinus, aliique Episcopi octo concilium hoc celebrarunt super matrimonio quod Abbon cum consanguinea in quarto gradu contraxerat. Matrimonium hoc nullum declaratum fuit, reclamante licet & acriter obnitente Grimoldo, Sancti Galli sæculari abbate, qui sanctæ Sedis Bullam in medium attulit, sed falsam suppositamque, quam admodum Summus Pontifex Nicolaus in sua ad concilium *Responsione* testatus est. *Hartzeim*, Concil. Germ. Tom. II.

Concilium Romanum, an. 860.

Summus Pontifex Nicolaus Primus, cum Patriarchæ Ignatii depositionem, & Photii consecrationem audisset, coegit concilium hoc, ut super ejusmodi negotio deliberaret. In eo statutum fuit, ut legati duo Constantinopolim mitterentur, qui de ea rerum perturbatione rite ac recte perquirerent; hi porro legati fuere Rodoaldus, Portuensis Episcopus, & Zacharias, Episcopus Ananiensis. *Nicolaus I.* Epist. I. ad universos Cathol. & Epist. IX. ad Michaelem Imper. *Mansi*, Tom. I. col. 983.

Concilium Mediolanense, an. 860. seu circiter.

Habitum fuit concilium hoc, Nicolai I. jussu, ob Ingeltrudem, comitis Bosonis conjugem quæ virum deseruerat, ut se adultero addiceret. Eam concilium excommunicatione perculit, & hanc sententiam Papa firmavit. Nicolaus I. in Epist. LVIII. ad Episcopos regni Ludovici. *Mansi*, Tom. I. col. 983.

Concilium Constantinopolitanum, an. 861.

Coactum fuit concilium hoc, seu potius conciliabulum die 25. Maji, conflatumque ex Episcopis decem & octo supra trecentos, in quorum numero duo Papæ legati erant. Aderat cœtui S. Ignatius. Concilii Patres eum deposuerunt, & Photii ordinationem qua patriarchali Constantinopolis sedi impositus fuerat, confirmarunt. Decretum etiam, pro forma, in Imaginum favorem, edidit, & præterea septemdecim disciplinæ canones, quorum plerique monachos & monasteria respiciunt. *Reg. XXII. Labb. VIII. Hard. V.*

Concilia Romana, an. 861.

Nicolaus I. habuit Romæ, hoc anno, concilia duo. In primo, coram Leone, Imperatoris Michaelis oratore, pronuntiavit a se legatos Constantinopolim haud missos esse, ut vel Patriarchæ Ignatii depositionem; vel Photii consecrationem approbarent, nunquamque fore, ut alterutri suum ipse assensum præberet. In eorumdem conciliorum altero, Summus idem Pontifex Joannem, Raveonatensem Episcopum, ad ejus diœcesanorum querimonias, in jus accivit. Cum Joannes Pontifici se non stitisset, eum convenit Nicolaus, damnavitque, ut bona redderet, quæ usurpaverat. *Ibid.*

Concilium Romanum, an. 862.

In hoc concilio proscripta est Theopaschitarum hæresis quæ renasci incipiebat. Erat hæc in eo posita, ut effutiretur sanctæ Trinitatis personas tres, dum mortem subiit Christus Dominus, passas esse. Ejus signifer fuit Petrus Fullo, Pseudo-Episcopus Antiochenus, qui jam a Romano & Constantinopolitano conciliis, an. 483. habitis damnatus fuerat. *Ars purgandi temporum notas*, pag. 195.

Concilium Sylvanectense, an. 863.

Hincmarus, Remensis Archiepiscopus, in hoc concilio Rothadium, Suessionensem Episcopum, a sede removit, propterea quod presbyterum immerito deposuerat; conciliumque Nicolaum Papam rogavit, ut sententiam in Rothadium pronuntiatam confirmaret. *Reg. XXIII. Labb. VIII.*

Concilium Romanum, an. 863.

Nicolaus I. ante Junium mensem concilium hoc celebravit; ac nedum Sylvanectensis concilii preces rationem habuit, sententiam potius, quam illud in Rothadium pronuntiaverat, abrogavit, mandavitque, ut is Romam mitteretur. *Mansi*, Tom. I. *Ars purgandi adscripta tempora*, pag. 195.

Concilium Metense, an. 863.

Conciliabulum quoddam fuit, in quo, præsentibus Papæ legatis, qui ejus jussa non executi sunt, Lotharii cum Veldrada, ipsius concubina, matrimonium approbatum fuit. *Reg. XXIII. Labb. VIII. Hard. V.*

Concilium Vermeriense, an. 863.

Habitum fuit concilium hoc Octobris die 25. coram Rege Carolo Calvo. Princeps hic Rothadio, Suessionensi Episcopo facultatem concessit, ut, quemadmodum Papa jusserat, Romam pergeret. In eodem concilio, monachorum S. Calesii cum Cenomanensi Episcopo, in priorum favorem, litigio finis impositus. *Mansi*, Tom. I. col. 985.

Concilium Schirvaniense, in Armenia, an. 864. vel circiter.

Nestorii & Eutychetis errores damnavit concilium hoc. Edidit etiam canones quindecim qui apud Clementem Galanum leguntur, Tom. I. part. II. pag. 139. *Concilias. Ecclesiæ.*

Concilium Attiniacense, an. 865.

Coactum fuit concilium hoc, Arsenio, Ortensi Episcopo, & Nicolai Pontificis in Gallia legato operam dante. Lotharium Regem jussit synodus Valdradam concubinam deserere, ut Thietbergam uxorem reciperet. In hoc ipso concilio Rothadus Suessionensis innocens agnitus fuit, receptusque tamquam Episcopus. *Mansi*, Tom. I. col. 993.

Concilium Constantinopolitanum, an. 867.

Pseudo-concilium fuit, e Photio confictum, qui perfecit, ut unus & viginti Episcopi arrogatis ejus actis subscriberent, ac deinde falsas mille circiter subscriptiones prioribus addidit. Eo demum temeritatis devenit, ut in Nicolaum Papam anathema pronuntiaret, eumdemque deponeret; in Latinos scripsit, & peculiariter particulam *Filioque*, Symbolo additam impugnavit. *Reg. XXIII. Labb. VIII.*

Concilium Trecense, an. 867.

Concilium hoc, Octobris die 25. celebratum est. Episcopi qui e Ludovici Germanici regno erant, ad illud acciti fuerant; at solum viginti, Caroli & Lotharii ditionibus, eidem interfuere. Longam Epistolam ad Nicolaum Papam scripserunt super Ebbonis, Archiepiscopi Remensis negotio, qui nempe depositus fuerat, & apud Ludovicum Germanicum se receperat, qui eum ad Ildesiensem in Saxonia episcopatum nominaverat. Trecensis concilii patres Papam rogarunt, ut ne eorum quicquam attingeret, quæ ejus decessores statuerant, & ne quem Episcopum, inscia inconsultaque sancta Sede, deinceps deponi

poni fineret; (quod non nisi de falsis decretalibus intelligi potest). Trecense hoc ipsum concilium, per synodicam epistolam, donationem confirmavit, quam presbyter quidam, Adelardus nomine, in Nivernensis Ecclesiæ gratiam ediderat, easque præterea, quæcunque, in ejusdem gratiam, in posterum edi possent. *Regin. XXII. Labb. VIII. Hard. V. Mansi*, Tom. I. col. 997.

Concilium Constantinopolitanum, an. 867.

Imperator Basilius, Macedo nuncupatus, quia in Macedoniæ vico natus erat, origine licet Armenus esset, e Constantinopolitana sede Photium expulit, postridie ejus diei quo ad imperium evectus fuerat, qui scilicet 24. Septembris an. 867. erat. Tum vero S. Ignatium, 23. Novembris die in quam dominica inciderat, revocavit; Photiusque in concilio, paucis post diebus habito depositus fuit. *Pagius*, ad hunc annum.

Concilium Romanum, an. 868.

Summus Pontifex Adrianus II. 4. Octobris die concilium hoc celebravit, in eoque rursus Cardinalem Anastasium damnavit, qui sub Nicolai I. pontificatu deliquerat, &, Adriano Pontifice, prodierat, suorum criminum mensuram cumulans. Non est porro concilium hoc cum eo confundendum quod & ipsum Romæ, ejusdem anni Augusto mense, celebratum fuit. *Mansi*, Tom. I. col. 1001.

Concilium Galliæ, seu Burgundiæ, seu Gallicanum, an. circiter 868.

Cum Imperator Carolus Calvus ad aliquos suarum ditionum episcopatus nominasset, electionum libertatem clerus reclamavit. Re ad sanctam Sedem delata, Summus Pontifex Adrianus II. ab Imperatore stetit, duasque super hoc negotio epistolas scripsit. Ad has responderunt hujus concilii Patres. *Labb. VIII.*

Concilium Pistense, an. 868.

Hincmaro, Laudunensi Episcopo, in hoc concilio tradita est bonorum possessio, quibus a Rege Carolo Calvo spoliatus fuerat. *Mansi*, Tom. primus col. 1001.

Concilium Pistense, an. 869.

Concilium hoc Augusto mense celebratum fuit. In eo capitula tredecim super Ecclesiæ & imperii negotiis edita. *Regin. XXII. Labb. VIII. Hard. V. & Bessinius.*

Concilium Metense, an. 869.

Septembris die 9. concilium hoc habitum est. In eo Carolus Calvus coronatus fuit Lotharingiæ Rex, cum ejus nepos Lotharius obiisset. Quoniam vero Theutgardus, Archiepiscopus Trevirensis, depositus fuerat, ejusque sedes vacabat, Hincmarus Remensis huic concilio præfuit, quod e Trevirensis archiepiscopatus suffraganeis conflatum erat, in eoque legit, a præsulibus rogatus, capitula quatuor ad jus spectantia, quo Remenses Archiepiscopi gaudebant, ut Trevirensem provinciam, metropolitana sede vacante, regerent. *Ibid. & Bouquet*, Tom. VII.

Concilium Romanum, vel Cassinense, an. 869.

Summus Pontifex Adrianus II. concilium hoc celebravit, in quo actum de Rege Lothario, de Gontherio, Coloniensi Archiepiscopo, deque aliis præsulibus, Lotharii partes sectantibus. Imperatricis Engelbergæ, Imperatoris Ludovici II. conjugis precibus victus Pontifex suum tandem assensum præbuit, ut Lotharium Regem in gratiam reciperet; ei communionem etiam administravit, postquam eum tamen jurare jusserat sibi nullum cum Valdrada commercium fuisse, ab eo tempore quo eam Nicolaus I. excommunicationi subdiderat. Adrianus Papa, in eodem concilio, ad communionem laicam Gontharium quoque Coloniensem recepit, cum in suam se depositionem consentire testatus esset. *Mansi*, Tom. primus col. 1005.

Concilium Viennense, in Delfinatu, an. 870.

Habitum fuit ab Adone, Viennensi, in Gallia, Archiepiscopo, Aprili mense, concilium hoc, in quo de monasticis privilegiis actum est. *Reg. XXIII. Labb. VIII. Hard. V. & Mabillonius*, Sæc. IV. Bened. Part. II. pag. 296.

Concilium Coloniense, an. 870.

Concilium hoc quod 26. Septembris die celebratum est, in ordinem redegit disciplinæ capita plura; verum ejus acta perierunt. Mabillonius qui (pag. 143. *Veterum Analectorum*) *Collectionem veterum canonum*, ab Abbone, Floriacensi abbate editam publici juris fecit, canonem qui 56. est, tamquam ad hoc Coloniense concilium spectantem affert; at is sane canon ad aliud concilium, an. 873. in eadem Coloniensi urbe coactum pertinere posset. Per hunc porro canonem vetantur Episcopi quempiam, sine justa & evidenti causa, ecclesiastica communione privare. Prohibet etiam, ne pronuntietur anathema, nisi ob mortale peccatum, nisi reus in antecessum monitus fuerit, denique cum aliqua spes illuceat fore, ut ipse se corrigat; cum tam gravis pœna in eos tantum, qui corrigi nequeunt, locum habere debeat. *Mansi*, Tom. I. col. 1012.

Concilium Compendiense, an. 871.

Hincmarus, Remensis Archiepiscopus, celebravit una cum suis suffraganeis concilium hoc, ut super adjumentis deliberaret, quibus ad officium revocaretur Princeps Carolomanus, qui in patrem Carolum Calvum insurrexerat. Hincmarus Remensis Caroli Magni fautores, & peculiariter Hincmarum Laudunensem anathemati subdidit. *Mansi*, Tomus I. col. 1013.

Concilium Romanum, an. 872.

Summus Pontifex Joannes VIII. habuit concilium hoc, Imperatore Ludovico postulante, qui se Romam contulerat, ut de Adalgisii, ducis Benaventi, tyrannide quereretur. Summus Pontifex Imperatorem Ludovicum a jurejurando absolvit, quo, ab Adalgisio adactus, se obstrinxerat, ut e carcere, in quam is conjectus erat, nullam ultionem sumeret. *Mansi*, Tom. I. col. 1023.

Concilium Sylvanectense, an. 873.

Carolomanus, Regis Caroli Calvi filius, quem pater adegerat, ut ecclesiasticum statum amplecteretur, primum abbatiis spoliatus, tum Sylvanectum relegatus fuit, ob perduellionis crimen. Eum Carolus, ad pontificiorum legatorum preces, libertate donavit; at certior factus eum ad turbas redire, in Sylvanectensi concilio degradatum voluit, erutisque oculis, in Corbiense monasterium conjecit. *Regin. XXIV. Labb. IX. Hard. VI.*

Concilium Ravennatense, an. 874.

Joannes VIII. Pontifex Maximus, septuaginta Episcopis adsistentibus huic concilio præfuit. In eo dissidium quod inter Ursum, Venetiarum Ducem, & Petrum, Gradensem Patriarcham intercesserat, finitum fuit. *Ibid.*

Concilium Romanum, an. 875.

Idem Summus Pontifex hoc concilium habuit, ad finem vergente anno. In eo proposuit, ut Rex Carolus Calvus in Imperatorem eligeretur; quod receptum fuit. *Mansi*, Tom. I. col. 1023.

Concilium Romanum, an. 876.

Idem Papa hoc quoque concilium celebravit, medio circiter Aprili mense, statutumque Formoso, Portuensi Episcopo diem indixit, quo ei se sisteret. *Ibid.*

Concilium Romanum, an. 877.

Habitum fuit concilium hoc 13. Februarii die. In eo confirmata fuit Caroli Calvi Imperatoris electio. *Reg. XXIV. Labb. IX. Hard. VI.*

Conci-

Concilia Compendiensia, an. 877.

Horum conciliorum primum habitum fuit Kalend. Meji, Imperatoris Caroli Calvi jussu, qui S. Cornelii & S. Cyprieni Ecclesiam, se præsente, præsentibusque legatis, in eo dedicatam voluit. Concilium alterum celebratum fuit 8. Decembris die; in hoc Hincmarus, Ramensis Archiepiscopus, Ludovicum Balbum Galliæ Regem coronavit. *Labb. IX. Hard. VI. & Bouquet*, Tom. IX.

Concilium in Neustria, seu Neustriense, an. 878.

Hincmarus, Archiepiscopus Remensis, concilium hoc convocavit, ut adjumenta quæreret, quorum ope Hugonis, spurii Regis Lotharii, ausis absisteret, qui Ludovici II. Germeniæ Regis ditiones vastabat. *Labb. IX. Hard. VI. Edit. Venet.* Tom. XI.

Concilium Romanum, an. 878.

Joannes VIII. concilium hoc una cum Italiæ Episcopis celebravit; in eoque anathemati subdidit Lambertum, Spoleti Ducem, ob mala quæ Romaniæ intulerat, & illaturum se minabatur. *Mansi*, Tom. I. col. 1027.

Concilia Romana, an. 879.

Idem Pontifex intra hunc annum concilia duo celebravit. In uno, coacto Kal. Maji, sibi proposuit dandam operam, ut post Ludovici Balbi mortem Imperator eligeretur; at electio locum non habuit. In altero, quod Augusto mense celebratum fuit, se Basilii Imperatoris sollicitationibus dedidit, qui eum urgebat, ut Photium Constantinopolitanum Patriarcham agnosceret, remisitque Basilii oratores cum legato cui literas Photio faventes tradidit, in quibus eum scilicet Papa *Episcopum, confratrem & collegam* appellat. *Reg. XXIV. Labb. IX. Hard. VI.*

Concilia, Jerosolymitanum, Antiochenum & Alexandrinum, an. 879.

Hæc tria concilia a singulis tribus Orientis Patriarchis habita fuere ad approbandam Photii super Constantinopolitana sede restitutionem. Horum trium conciliorum synodicæ epistolæ, ad Photium & Imperatorem Basilium missæ, lectæ fuere, coram Papæ Joannis VIII. legatis, in concilio, quod eodem anno Constantinopoli celebratum fuit. *Mansi*, Tomus I. col. 1029.

Concilium Romanum, an. 879.

Habitum est concilium hoc 12. Octobris die. In eo depositus Anspertus, Archiepiscopus Mediolanensis, deditque Summus Pontifex ad Mediolanensem Ecclesiam literas, ut alius in ejus locum Episcopus eligeretur. At si depositio locum habuit, eam haud diu perstitisse certum est; is enim Anspertus ipse Carolum Grossum, an. 880. Imperatorem coronavit, eodemque aut superiore anno, in concilio Mediolani habito, quemdam, Attonem nomine, ob sacrilegas invasiones excommunicatione perculit. *Ital. Sac.* Tomus III. *Mansi*, ibid.

Concilium Romanum, an. 881.

Joannes VIII. in hoc concilio Athanasium, Neapolitanum Episcopum communione privavit, qui Italiæ partem vastaverat, ut suæ satis avaritiæ & ambitioni faceret, cum Saracenis inito fœdere. *Hard. VI. & Ughelli* Ital. Sac. Tom. III.

Concilium Telesanum, an. 883. *vel* 873.

Habitum fuit concilium hoc super Judæorum in Christianos querelis. *Labb. IX. Hard. VI.*

Concilium Italicum, an. 885.

Summus Pontifex Adrianus III. hoc concilium habuit, in eoque monasterii S. Sixti Placentini, ab Engilberga, Ludovici II. Imperatoris conjuge nuper extructi fundationem, bulla edita, confirmavit. *Mansi*, Tom. I. col. 1041.

Concilium Italicum, an. 886.

In hoc concilio de bonis, ad S. Martini Turonensis Ecclesiam pertinentibus actum est. *Martenne*, in Thesauro. Tom. IV.

Concilium Cabillonense, an. 886. *vel* 887.

Coactum fuit concilium hoc die 18. Maji, conflatumque ex Episcopis octo qui, collatis studiis curisque, in id incubuerunt, ut pacem statuerent, & alia quædam Ecclesiæ negotia moderarentur. *Regia. XXIV. Labb. IX. Hard. VI.*

Concilium Nemausense, seu de Portu, an. 887.

Coegit concilium hoc 17. Novembris die Theodardus, Archiepiscopus Narbonensis. In eo depositi Episcopi duo, qui intrusi fuerant. *Ibid. & Edit. Venet.* Tom. XI.

Concilium Urgelitanum, an. 887.

Hoc in concilio, duorum qui intrusi fuerunt, Episcoporum de quibus modo, confirmata est depositio; in eoque Frodoinus, Episcopus Barcinonensis, subucula tantum tectus, nudisque pedibus veniam petiit, propterea quod unum ex iis duobus Episcopis initiaverat. D. *Vaissette*, Histor. de Lang. Tomus II. pag. 526.

Concilium Agaunense, an. 888.

In hoc concilio Rodulphus renuntiatus coronatusque fuit Transjuranæ Burgundiæ Rex. *Labb. IX. Hard. VI. Hartzeim II.*

Concilium Ticinense, an. 889.

Habitum est concilium hoc sub Joanne, Ticinensi Episcopo, qui Romæ gubernator fuit, quo tempore Adrianus III. in Galliam se contulit. Guidonis, Italiæ Regis electionem hæc synodus confirmavit, & sex super disciplina canones edidit. *Edit. Venet.* Tomus XI.

Concilium Valentinum, in Delphinatu, an. 890.

Arelatensis, Ebroduneosis & Viennensis provinciarum Episcopi in hoc concilio Ludovicum, Bosonis qui se Provinciæ Regem statuerat, filium Arelates Regem elegerunt sacraruntque. *Hartzeim*, Concil. German. Tom. II.

Concilium Forcheimense, an. 890.

Sundetholdus, Archiepiscopus Moguntinus, habuit, mense Majo, concilium hoc. In eo, petente Bisone, Pederbornensi Episcopo, confirmata fuit Heresfemensis monasterii fundatio. Deinde vero Rex Arnoldus, Episcopi, laicique proceres hujus principis spurios filios duos, Zwentiboldum & Ratoldum, legitimis hæredibus deficientibus, ejus successores renuntiarunt. *Ibid.*

Concilium VVormatiense, an. 890.

Versatum est concilium hoc super Archiepiscoporum Coloniensis & Hambergensis querela de edita Hamburgensis archiepiscopatus ad Bremensem Ecclesiam translatione. Hamburgum scilicet, quæ in inferiore Saxonia sita est, Hanseaticæ urbis Germaniæ titulum olim gerebat; & erat episcopatus qui tamquam suffraganeus Coloniensi archiepiscopatui suberat, S. Willahadus ejus primus Episcopus fuit; cumque Normanni an. 845. Hamburgum vastassent, Sanctus Anscharius qui tunc ejus Episcopus erat, se Bremam recipere coactus fuit. Ecclesias duas, Hamburgensem & Bremensem, an. 849. sub uno eodemque præsule Imperator Carolus Calvus conjunxit. De hac conjunctione Colonienses Archiepiscopi vehementer conquesti sunt; atque Herimannus, cognomento Pius, qui an. 895. eam sedem tenebat, a Triburiensi concilio, eodem anno celebrato decretum obtinuit, a Papa Formoso deinde firmatum, quod Ecclesias Bremensem & Hamburgensem Coloniensi metropoli subesse jubebat. Hoc tamen decretum a Sergio, Formosi successore revocatum fuit. *Reg. XXIV. Labb. IX. Hard. VI. & Histor. Eccles. Germaniæ*, Tom. II.

Concilium Magduni ad Ligerim, ſeu Magdunenſe, an. 891.

Concilium hoc ſuper electione Abbatis S. Petri-Vivi Senonenſis congregatum fuit. Vetitus in eo Wolterius, tunc Archiepiſcopus Senonenſis, ne quem alium S. Petri-Vivi Abbatem initiaret, præter eum, quem monachi nominaſſent. *Ibidem*, & Bouquet, Tom. IX.

Concilium Remenſe, an. 893.

Fulalius, Remenſis Archiepiſcopus, qui huic concilio præfuit, in eo renuotiatum voluit, ſacravitque ipſe Galliæ Regem Carolum III. cognomento Simplicem, 14. circiter annos natum, Ludovici Balbi filium poſthumum, 28. Januarii die. Concilium Balduino, Balgii Comiti anathema minitatum eſt, ſi ecclefiaſtica bona uſurpare pergeret. *Ibid.*

Concilia Conſtantinopolitana, an. 893.

Concilia duo, hoc anno, Conſtentinopoli habita ſunt. In primo, electus monachus, Antonius Caulеas nomine, morum ſanctitate commendandus, ut patriarchalem Conſtantinopolitanam ſedem occuparet, quæ per Stephani, fratris Imperatoris Leonis VI. cognomento Sapientis, mortem vacabat. Concilium alterum Photiani ſchiſmatis extinctionem propoſitem habuit. *Manſi*, Tom. I. col. 1079.

Concilium Cabillonenſe, an. 894.

Habitum eſt Kal. Maji concilium hoc. In eo diſcuſſum eſt Geofriddi, Flaviniacenſis monachi negotium, quem publicus rumor Adelgario, Auguſtodunenſi Epiſcopo venenum propinaſſe ferebat. Cum vero nec probatio, nec accuſator in Geofriddum comperiretur, eum concilium innocentem pronuntiavit. *Reg. XXIV. Labb. IX. Hard. VI.*

Concilium Juncherienſe, an. 894.

Juncaria, Junicaria, Juniaria oppidum eſt ad Montis-Peſſulani diœceſim ſpectans. Eo loci concilium an. 894. habitum fuiſſe nos docet Mabillonius in *Annal. S. Bened.* Tom. IV. pag. 531.

Concilium Romanum, an. 898.

Summus Pontifex Theodorus in hoc concilio clericos a Formoſo initiatos redintegravit, quos ejus deceſſor Stephanus depoſuerat; e ſuis ſedibus expulſos Epiſcopos revocavit, & ad Eccleſiæ conciliationem incubuit. *Manſi*, Tom. I. col. 1081.

Concilium Ovetanum, ſeu Ovetenſe, an. 900.

Concilium hoc habitum fuit prima poſt Paſche dominica die Aprilis 27. coram Alphonſo Rege, Regina ejus conjuge, eorumque filiis. In eo Uvetana Eccleſia in metropolim erecta eſt, & Hermenegildus qui eam regebat, primus ejuſdem Archiepiſcopus fuit. Epiſcopi ſeptemdecim, e quibus concilium conſtabat, ſaluberrimas, ad Eccleſiæ bonum, & ad regni politiam, ſanctiones ediderunt. At ex hujus concilii actis non niſi compendium ſupereſt, quod Epiſcopus Sampirius in ſua *Hiſtoria* reliquit. Concilium hoc Pagius ad 7. Maji diem an. 877. refert. *Edit. Venet. Ferrieres*, & *Ars purgandi temporum notas*, 198.

Concilium Remenſe, an. 900.

Julii die 6. celebratum eſt concilium hoc. In eo Archiepiſcopi Fulchii interfectores excommunicationi addicti fuere. *Labb. IX. Hard. VI.* & D. Bouquet VIII. pag. 93.

Concilium Lateranenſe, an. 900.

Habuit Summus Pontifex Benedictus IV. hoc concilium, Auguſto menſe. Argrimus, Lingonenſis Epiſcopus ei ſe ſiſtit, petendi gratia, ut in ſuam ipſe ſedem reſtitueretur, e qua ſeditioſorum hominum vi pulſus fuerat. Ejus poſtulatis concilium annuit. *Edit. Venet.* Tom. XI.



CON-



C O N C I L I A
D E C I M I S Æ C U L I.

Concilium Attilianum, *an.* 902.

Ttilium, seu Asilium, seu Asilanum, quemadmodum nuncupatur ab auctore *Artis purgandi temporum notas*, in Narbonensis urbis aerritorio situs vicue est. Rollangius, Archiepiscopue Arelatensis, & Arnuitus, Archiepiscopus Narbonensis, utriusque comprovincialibus adsisteotibus, eo in loco, an. 902. concilium habuerunt, in quo per examen judicii, videlicet, per ignis & aquæ probationem, litigio finis impositus inter Terbaldum, presbyterum titulaium, seu curatum Sanctæ Mariæ de Vico, cui cognomen Ecclesiæ *Quadraginta*, & diaconum Theodoricum qui eam Ecclesiam volebat alteri sanctæ Eulaliæ Cruziensis subdere. Porro ecclesia sanctæ Mariæ de Vico, cognomento Quadraginta, ita nuncupata est, quia dedicata sub invocatione sanctæ Virginis & quadraginta Martyrum qui ibidem sepulti sunt. Erat olim parochialis ecclesia; hodie virorum abbatia est sub S. Augustini regula, atque ad regulares Gallicæ congregationis canonicos spectat. Cœpit, ut serius, sub annum 961. canonicalis seu cœnobialis ecclesia esse; quandoquidem Raymundus Primus, Burgundiæ comes, & Occitaniæ marchio, in suo *Testamento* cui hic annus 961. adscriptus est, ecclesiam, Quadraginta dictam, inter canonicales, seu cœnobiales ecclesias nominat, quas legatis donat. Attilianum concilium donationes quoque, quibus auctum S. Stephani Divionensis monasterium, itemque Carliacensis monasterii in Matisconensi diœcesi privilegia confirmavit. *Edit. Venet. Tom. XI. Martenne*, Anecdot. nov. Tom. IV. col. 63. *Gall. Christ. Tom. VI.* pag. 192. Spicil. Tom. I. pag. 520.

Concilium Romanum, *an.* 904.

Benedictus IV. coram Imperatore Ludovico IV, concilium hoc, Februario mense, in suis Lateranensibus adibus celebravit. In eo de ecclesiasticis nonnullia negotiis actum, perfectumque, ut Lucensi Ecclesiæ bona quædam quibus spoliata fuerat, redderentur. *Mansi*. Tom. I. col. 1093.

Concilium Anglicanum, *an.* 905.

Cum Papa Formosus litteras minarum plenas ad Eduardum, Angliæ Regem misisset, nisi in Ecclesiis quæ vacabant, Episcopos eligendos curaret, concilium Princeps in hanc rem convocavit. Ei Plegmundus, Archiepiscopus Cantuariensis, præfuit, omnibusque vacantibus episcopalibus Ecclesiis Episcopi dati sunt. *Angl. I.*

Concilia Constantinopolitana, *an.* 906.

Horum conciliorum, seu potius conciliabulorum primum, medio circiter Januario mense, Nicolaus Patriarcha, cognomento Mysticus celebravit. Damnavit concilium hoc quartas nuptias, huic decreto occasionem præbuit Imperator Leo, cognomento Sapiens, qui cum femina, Zoe nuncupata, quartas nuptias inierat.

Eorumdem conciliabulorum alterum, eodem Januario mense ad finem vergente, coactum fuit. In eo, Leone Imperatore operam dante, Nicolaus Patriarcha depositus, in ejusque locum Euthymius suffectus fuit. Exul deinde Nicolaus ad Hyeram insulam missus fuit; at Imperator, an. 911. jam jam moriturus, eum revocavit; adeoque Nicolaus ad usque 15. Maji diem an. 925. in sede perstitit. *Edit. Venet.* Tom. XI. *Oriens Christ.* Tom. III.

Concilium Barcinonense, *an.* 906.

Arnustus, Archiepiscopus Narbonensis, huic concilio præfuit. In eo editæ super disciplina sanctiones plures quæ ad nos usque non pervenerunt. Ausonensis Vici Episcopus in hac synodo de annuo censu questus est, quem ejus Ecclesiæ Narbonensis Episcopus imposuerat, dum assensus est, ut episcopalis sedes ibidem restitueretur. Super hac querela in Sancti-Tiberii concilio factum jus. *Labb. IX. Edit. Venet. XI. Mansi, I.* col. 1101.

Concilium Tiberiense, *seu apud S. Tiberium*, *an.* 907.

Sanctus-Tiberius, seu Sanctus-Tuberius & Tibertus est vetus vicus in Occitania, Agatham inter & Pezenam situs. Ibi extat Benedictinorum abbatia; & in hac quidem concilium de quo hoc loco agitur, habitum est. In eo Ausonensis Ecclesia quoad Narbonensem libera renuntiata. Hoc illud ipsum concilium est, quod *Ferreras*, hoc anno, Barcinone ponit. *Labb. IX. Hard. VI. Edit. Venet. XI. D. Vaisette, II.*

Concilium Jonquierense, *an.* 909.

Habitum est concilium hoc die 3. Maji; & comes Suniarius a censuris in quas inciderat, in eodem absolutus fuit. *Edit. Venet.* Tom. XI.

Concilium Constantinopolitanum, *an.* 911.

Hoc in concilio Nicolaus Patriarcha suæ sedi redditus fuit. *Pagius*.

Concilium Turonense, *an.* 912.

Decretum fuit in hac synodo, ut festum regressus reliquiarum S. Martini Turonensem in urbem 13. Novembris die celebraretur. *Labb. IX.*

Concilium Cabillonense, *an.* 915.

Concilium hoc in S. Marcelli ecclesia habitum fuit. Concilii jussu redditum est rusticum prædium quod presbyter quidam, Yvo dictus, super S. Clementis ecclesia usurpaverat. Comes quoque Matisconensis in eodem concilio bona restituit, quæ Ecclesiæ ademerat. *Regin. XXIV. Labb. IX. Hard. VI.*

Concilium Altheimense, *an.* 916.

Altheimum, seu *Altaheimum* erat olim pagus in ea Rhetiæ regione, quæ Helvetiæ ad meridiem est. Habitum fuit hoc in loco concilium de quo egimus, 20. Septembris die, coram Imperatore, seu Rege Conrado, a Summi Pontificis Anastasii III. legato. In eo, qui sequuntur, canones editi:

1. & 2. Qui cum excommunicatis communicaverint, ferent & ipsi excommunicationis pœnam.

3. Episcopi seu Presbyteri populis exemplo erunt, itemque diaconi, & universus clerus, nisi deponi velint.

4. Nullus Episcopus communione cum eo jungetur, qui anathemati subeրit.

5. Episcopi qui ad Synodum acciti fuerint, ad eamque pergere recusaverint, depositi erunt, usque eo dum ad reddendam suæ recusationis rationem accedant.

6. Episcopi qui ad sanctum concilium appellati fuerint, renuerintque vel ei se ipsi sistere, vel substitutos ad illud mittere, acriter arguentur, cogenturque recusationis rationem reddere; ac si rursus se pertinaces exhibuerint, interdicti erunt, quoad Romam pergant, suas ut excusationes Papæ, sanctæque Ecclesiæ significent.

7. Clericus qui suam ecclesiam, & servus qui suum dominum deseruerint, uterque communione privabuntur, quoad is quidem ad suam ecclesiam, hic vero ad suum dominum reversi fuerint.

8. Captivus quem dominus libertate donaverit, erudieritque & ad sacerdotium usque promoverit, quique deinde officium suum obire renuerit, communione destituetur, donec id reddat, quod benefico domino debet. At si contigerit in sua eum pertinacia persistere, accusabitur apud Episcopum qui eum ordinavit, ut degradetur. *Concil. Germ.* Tom. II.

Conci-

Concilium Constantinopolitanum, an. 920.

Concilium hoc, Summo Pontifice Joanne X. Ecclesiam regente, & Constantino Porphyrogenito imperium administrante, a Papæ legatis & Patriarcha Nicolao, Julio mense, habitum fuit. In eo vetitum, ne quartæ nuptiæ contraherentur, & Imperatori Leoni, an. 911. vita functo, concessa est culpæ remissio, quam quoad caput hoc perpetraverat. Ita reddita pax Constantinopolitanæ Ecclesiæ quæ quarti conjugii ab Imperatore Leone initi occasione in duas partes abierat. *Mansi*, Tom. I. col. 1108.

Concilium Troslejanum, seu Trolianum, an. 921.

Hervæus, Remensis Archiepiscopus, hoc concilium habuit, in quo, ad Regis preces, excommunicationem sustulit, qua vir princeps, Ethbaudus nomine, ob usurpata nonnulla Ecclesiæ bona, irretitus obierat. *Reg. XXV. Labb. IX. Hard. VI.*

Concilium Carliense, an. 926.

In hujus Abbatiæ gratiam. *Ibidem.*

Concilium Duisburgense, an. 927. vel 928.

Duisburgum est Germaniæ urbs in Cliviensi Ducatu, ad Roerium flumen. Concilium quod an. 927. vel 928. ibi celebratum fuit, S. Bennonem, Metensem Episcopum, propositum habuit. Cum enim scelesti quidam homines ei oculos concussissent, ineptumque suis obeundis functionibus reddidissent eos concilium pro merito punit; quod autem ad S. Bennonem attinet, se sanctus præsul episcopatu abdicavit, abbatia, ut subsisteret, eidem collata. *Ibid. & Germania Historia Ecclesiastica.*

Concilium Trevirense, an. 927.

Ruotgerius, seu Rogerius, Archiepiscopus Trevirensis, una cum suffraganeis concilium hoc celebravit. In eo edita ad cleri reformationem decreta plura, probatusque Ruotgerii super eadem re liber; at nobis nihil horum superest. *Conc. Germ.* Tom. II.

Concilium Altheimiense, an. 931.

In hoc concilio editi fuere capitula numero triginta septem, quæ nobis quidem non amplius supersunt. *Pagius, Mabillonius*, Annal. Tom. III. pag. 407.

Concilium Ratisbonense, an. 932.

Concilium hoc, 14. Januarii die celebratum, ex quinque tam Archiepiscopis quam Episcopis, uno corepiscopo, Abbate itidem uno, pluribusque inferioris ordinis ecclesiasticis viris conflatum fuit. In eo Episcopi cohortationes habuere, quæ super fide ac moribus versabantur; inter eos etiam convenit de spiritalibus quibusdam subsidiis quæ sibi mutuo post mortem præstarent. Huic concilio adscripta est hæc temporis nota: *Anno ab Incarnat. Dom.* DCCCCXXXII. *Indict.* V. XIX. *Kalend. Febr. regnante Arnolfo venerabili Duce, an.* 10. hi porro characteres omnes, e novo stilo, an. 932. congruunt, & quod inde consequitur, annum tunc temporis in Germania a natali die Christi Domini, vel a Kal. Januariis cœpisse probant. *Hartzheim*, Concil. Germ. Tom. II. *Mansi*, Supplem. Tom. I. *Ars purgandi adscripta tempora*, pag. 199.

Concilium Dingelfindense, an. 932.

Dingelfinda in Ratisbonensi diœcesi est. Eo loci an. 932. concilium habitum, in quo actum de cleri reformatione. *Ibid.*

Concilium Fimosiense, seu apud Sanctam Macram, an. 935.

Eo spectavit concilium hoc, ut ecclesiasticorum bonorum raptores reprimeret, eosque præterea, qui loca sancta diruebant. *Reg. XXI. Labb. IX. Hard. VI.*

Concilium Suessionensem, an. 941.

In hac synodo Artaldus, Archiepiscopus Remensis depositus fuit, ut in ejus locum sufficeretur Hugo, Herberti, Veromandueni comitis filius, viginti non amplius annos natus, qui Remis initiatus fuit. Artaldus, decursu temporis, suam rursus sedem conscendit. *Labb. IX. Edit. Venet. XI.*

Concilium Landaffense, an. 943.

Rex Nonguius in hoc concilio restituit Episcopo Patrio quicquid ejus Landaffensi Ecclesiæ sustulerat, eique præterea suorum prædiorum unum largitus est. *Pagius.*

Concilium Londinense, an. 944.

Convocavit Rex Edmundus ad Paschatis tempus concilium hoc, quod quidem mixtus ex ejus regni Episcopis & proceribus cœtus fuit. In eo, quæ sequuntur, sanctiones editæ;

1. Personæ Deo sacræ castitatem suo statui congruam servabunt; secus ei pœnæ suberunt, ut suorum temporalium bonorum jacturam faciant.
2. Solventur decimæ, sub excommunicationis pœna.
3. Si regis famulus homicidium patraverit, non ei se sistet, nisi postquam sui criminis pœnitentiam egerit, ex Episcopi suique confessarii judicio.
4. Si cui pravum cum virgine Deo sacra commercium fuerit, is quidem tamquam ob homicidium, pœnitentiam aget; eadem erit adulteri ratio.
5. Episcopus Ecclesiarum reparationes suis impensis perficiet.
6. Perjuri & venefici, nisi pœnitentiam egerint, in omnem æternitatem e Deo rejicientur. *Reg. XXV. Labb. IX. Hard. VI. Angl. I.*

Concilium Elnense, an. 944.

In hoc concilio de Gerundensi & Urgellitano Episcopis actum est. *Aguirre*, Tom. III.

Concilium Verdunense, seu Virdunense, an. 947.

Super iis qui Remensem Ecclesiam sibi arrogabant, Artaldo scilicet & Hugone, hoc concilium versatum est. *Reg. XXV. Labb. IX. Hard. VI.*

Concilium Asturicense, an. 946. seu 947.

Habitum fuit concilium hoc coram Remiro II. Legionis rege, prima Septembris die. In eo editæ nonnulla quoad disciplinam statuta quæ periere, quemadmodum ejusdem concilii acta cætera, quorum nihil superest nisi memoria in quadam Asturicensis Ecclesiæ charta. *Ferreras*, Tom. III. pag. 60.

Concilium Narbonense, an. 947.

Aymericus, Archiepiscopus Narbonensis, 27. Martii die, concilium hoc celebravit. In eo de Ecclesiasticæ disciplinæ in provincia restituendæ rationibus deliberatum est. *Gallia Christ.* Tom. VI. *D. Vaissette*, Hist. Occitaniæ, Tom. II. pag. 81.

Concilium Mosomense, an. 948.

Mosomium est Galliæ urbs, in Campania, ad Remensem diœcesim spectans. In ea habita fuere concilia tria, quorum primum die 13. Januarii an. 948. in S. Petri ecclesia quæ in suburbio est, celebratum fuit. Ei præfuit Robertus, Archiepiscopus Trevirensis, quemadmodum, superiore anno, Verodunensi præfuerat. In eo statutum fuit, ut Artoldus Ecclesiasticam communionem, & Remensis sedis possessionem servaret, & Hugo utraque destitueretur, quoad se purgaturus ad generale concilium accederet, quod Kalendis Augustis indictum erat. *Regin. XXV. Labb. IX. Hard. VI.*

Concilium Laudunense, seu Abbatia S. Vincentii Laudunensis, an. 948.

Ad hoc concilium Hugo, Parisiensis comes, accitus fuit, quæ Ludovicum Regem transmare, & Episcopos ferre coegerat. *Ibid.*

Concilium Trevirense, an. 948.

Inchoatum fuit concilium hoc 6. Septembris die, & triduum perduravit. Ei Marinus, Papæ legatus, Robertus, Archiepiscopus Trevirensis, & Galliarum plures Episcopi interfuerunt. In eo pronuntiata est in Hugonem, Parisiensem comitem excommunicationis sententia, quoad resipisceret. Arrogati quoque Episcopi

fcopi duo quos Hugo, Remenfis Archiepifcopus initiaverat, in hoc concilio communione privati funt, *Ibidem.*

Concilium Londinenfe, an. 948.

Convocatum fuit concilium hoc ab Edredo Rege ad 8. Septembris diem, conflatumque e totius Angliæ præfulibus, proceribufque, ut de regni negotiis ibidem agerent. Rebus omnibus ad finem perductis, Rex Croylandenfem abbatiam Turquetello, fuo cancellario contulit, qui epifcopatus duos recufaverat. *Ibid. & Angl. I.*

Concilium Romanum, an. 949.

Summus Pontifex Agapitus II. quem veterum auctorum nonnulli, ut ab Agapito Primo diftinguant, Agapitum juniorem nuncupant, habuit concilium hoc, quod Ingelheimenfe & Trevirenfe concilia duo confirmavit. *Ibidem*

Concilium apud S. Theodoricum, an. 953.

Concilium hoc quod etiam Remenfe concilium dicitur, quia S. Theodoricus ex ea diœcefi eft, eo fpectavit, ut ecclefiafticorum bonorum ufurpationes impediret. *Ibid.*

Concilium Ravennatenfe, an. 954.

Quod fynodus apud Sanctum Theodoricum habita fibi propofuerat, idem hæc ipfa propofitum habuit. *Ibidem.*

Concilium Landaffenfe, an. 955.

Diaconus quidam, Illius nomine, cum rufticum qui eum in digito fauciaverat, occidiffet, in Ecclefiam confugit. Eum homines fex e regis Nouguifii domo infecuti funt, & ad altaris pedem contrucidarunt. Cum porro Landaffenfis Epifcopus Pater dictus, clerum fibi fubditum coegiffet, Rex Nouguifius huic cœtui adfuit, & in judicium confenfit, quod in reos latum fuit, quodque eos damnabat, ut fex menfium fpatio in carcere detinerentur, fuaque ipfi bona omnia Ecclefiæ conferrent, quam per diaconi necem polluerant. Pater unus & unicus Epifcopus, cum presbytero & diacono, huic judicio fubfcripfit; ut proinde cœtus hic haud concilium fuiffe videatur, quamvis in vulgaribus Collectionibus id nominis præferat. *Ibid. & Angl. I.*

Concilium Burgundiæ, an. 955.

Concilium hoc fuper Ecclefiæ bonis verfatum eft. *Ibidem.*

Concilium Ingelheimenfe, an. 958.

Celebratum fuit concilium hoc, Pafchalium feftorum tempore, Guillelmo, Moguntino Archiepifcopo, præfide. In eo fubftitutus fuit Fridericus Chiemganenfis Heroldo, Salisburgenfi Archiepifcopo, quem Henricus, Imperatoris Othonis frater vifu fpoliaverat, quia Liutolfi Principis in patrem perduellioni faverat. *Concil. Germ.* Tom. II.

Concilium Romanum, an. 962.

Joannes XII. Pontifex maximus Othoni Imperatori, quem Romam vocaverat, imperialem coronam tribuit in concilio quod, hac occafione, Februario menfe an. 962. celebravit. In hoc concilio Romanæ Ecclefiæ privilegia confirmavit Otho per diploma cui omnes Epifcopi qui concilio aderant, fubfcripferunt. In eodem confirmata etiam fuit Magdeburgenfis Ecclefiæ in archiepifcopatum, & Merfeburgenfis in epifcopatum erectio. *Muratorius*, Rerum Ital. Tom. I. Part. II. *Manfius*, Tom. I. col. 1135.

Concilium Conftantinopolitanum, an. 963.

Patriarcha Polyeuctus huic concilio præfuit, quod fub Septembris finem habitum fuit fuper matrimonii validitate, quod Imperator Nicephorus Phocas inierat cum Theophanone quam Imperator Romanus II. junior dictus, viduam reliquerat. Hoc matrimonium fynodus, fecus ac Patriarcha fentiebat, validum pronuntiavit. *Regia. XXXV. Labb. IX. Hard. VI. & Edit. Venet. XI.*

Concilium Romanum, an. 963.

Concilium hoc ab Imperatore Othone coactum fuit, ad Romanorum preces, & a 6. ad 22. ufque Novembris diem perduravit. In eo Joannes Papa XII. de pluribus criminibus accufatus, cum cœtui fe fiftere noluiffet, depofitus fuit. In ejus loco pofitus Leo VIII. qui fanctam Sedem tenuit ad mortem ufque, quæ anno uno & menfe quarto ab ipfius electione contigit.

Legitimum, necne, fuerit concilium hoc, controvertitur inter auctores, qui etiam fuper Joannis XII. depofitione, fuperque Leonis VIII. electione inter fe digladiantur. Baronius, Pagius, aliique cœtum hunc inter conciliabula rejiciunt; Cardinalis Turrecremata & Fleurius eumdem, cum veteribus, pro vero concilio habent, ac de Leone VIII. tamquam de legitimo Papa loquuntur. Conveniat tamen, neceffe eft, ejus electionem canonibus contrariam fuiffe, quoniam a fimplicis laici ftatu ad pontificale folium uno veluti ictu gradum fecit.

Concilia Romana, an. 964.

Hoc anno 964. habita funt Romæ concilia duo; Joannes Papa XII. Februarii die 26. eorum primum celebravit, in eoque Leonem VIII. abfentem depofuit.

Alterum, inter S. Joannis Baptiftæ & S. Petri feftos dies a Leone VIII. celebratum fuit. In eo viciffim Leo depofuit & ipfe Benedictum V. qui poft Joannis XII. mortem electus fuerat. Benedictus in exilium miffus. Concilium ex Italiæ, Lotharingiæ & Saxoniæ Epifcopis conflatum, qui omnes Othoni addicti devotique erant, decretum edidere, quo Leo, cum univerfo clero populoque Romano, Othoni ejufque in imperio fucceffloribus eam facultatem conceffit confirmavitque, ut fibi ad Italiæ regnum fucceflorem eligerent, Papam ftatuerent, & inveftituram quam vocant, Epifcopis impertirentur; adeoque, fine eorum confenfu, nec patricius, nec Papa, nec Epifcopus eligi poffent; & hæc quidem omnia, excommunicationis, perpetui exilii, & mortis indicta pœna. Pofteriora hæc concilia duo tamquam legitima non recipiuntur. *Reg. XXV. Labb. IX. Hard. VI.*

Concilium Colonienfe, an. 965.

Habitum fuit concilium hoc, Imperatore Othone, Rege Othone ejus filio, & Lothario, Gallorum Rege præfentibus. Ei Brunno, Colonienfis Archiepifcopus præfuit, in eodemque confirmata eft Collegiatæ Sancti Martini Leodienfis Ecclefiæ fundatio. *Martenne*, Veter. Monumen. Tom. VII. *Manf.*, Tom. I. col. 1143.

Concilium Romanum, an. 967.

Joannes Papa XIII. habuit Januario menfe coram Imperatore Othone primo concilium hoc. Nobis hujus concilii nihil fupereft præter diploma ab Imperatore editum, cum cœtus approbatione, in Sublacenfis abbatiæ gratiam: At Muratorius putat titulum metropolis totius Venetæ ditionis Gradenfi Ecclefiæ in hoc concilio confirmatum fuiffe. Autumat præterea Sigonius in hoc ipfo concilio propofitam fuiffe legis abolitionem, quæ mandabat, ut publica acta omnia folemni jurejurando confirmarentur, utpote quæ perjuriorum fons & origo effet; verum ad aliud concilium negotium remiffum effe. Sane lex hæc abrogata reapfe non fuit nifi an. 983. in principum virorum conventu quem Imperator Otho II. habuit, cum a funefta in Græcos expeditione rediiffet. *Muratorius*; *Manfius*, Tom. I. *Artis purgandi temporum notas*, pag. 200.

Concilium Ravennatenfe, an. 967.

Idem Joannes Papa XIII. hoc quoque concilium habuit Aprili menfe, coram imperatore Othone Primo. In eo Summus Pontifex erectionis archiepifcopatus Magdeburgenfis Bullam edidit, & Imperator Ravennæ urbem & territorium Papæ reddidit. Heroldus, Archiepifcopus Salisburgenfis in hoc ipfo concilio depofitus fuit, & depofitionis actus 25. Aprilis die a quinquaginta feptem Epifcopis, in numerum relato a fummo ipfo Pontifice fubfcriptus fuit. Imperator poft Papam, ac deinceps Epifcopi fubfcripferunt. *Reg. XXV. Labb. XI. Hard. VI. Manf. I.*

Concilium Romanum, an. 967. & 968.

Concilium hoc a Papa Joanne XIII. coram Imperatoribus Othone Primo, & Othone Secundo ejus filio, labente an. 967. inchoatum, & 968. ineunte absolutum fuit. Nobis hujus concilii nihil superest præter tria privilegia a Joanne XIII. concessa: primum, ut peculiarem Ecclesiam sub sanctæ Sedis patrocinio poneret; alterum, ut e Trevirensis Archiepiscopi jurisdictione monachos abbatiæ S. Maximini ejusdem urbis eximeret; Tertium, ut Messenii, quæ Misniæ metropolis, episcopatum erigeret. *Mansi*, Supplem. Tom. I. col. 1149.

Concilium Ravennatense, an. 968.

Celebravit Joannes Papa XIII. concilium hoc, Octobris mense, coram Imperatore Othone Primo. In eo Summus Pontifex supra omnes Germaniæ episcopatus primatum cum pallii deferendi jure Adalberto, Magdeburgensi Archiepiscopo, ejusque successoribus contulit. Eidem Adalberto Atto, Moguntinus Archiepiscopus supra Moguntini Archiepiscopatus nonnullas Ecclesias jurisdictionem & ipse cessit. Denique concilii Patres inter Alberstadiensem & Magdeburgensem Ecclesias peculiari cuidam permutationi subscripserunt. *Pagius*, *Mansius*, Suppl. Tom. I. col. 1155.

Concilium Romanum, an. 968.

Joannes XIII. Mindani episcopatus fundationem quam an. 335. Henricus, dictus Auceps instituerat, ratam habuit. *Concil. Germ.* Tom. II.

Concilium Constantinopolitanum, an. 969.

Convocavit Imperator Nicephorus cœtum hunc, qui, si proprie loqui volumus, disputatio seu collatio quædam fuit inter Catholicos ex una parte, Polyeucto, Constantinopolitano Patriarcha præside, & Jacobitas ex alia, quorum agmen Joannes, Patriarcha Jacobita Antiochenus ducebat. Cœpit collatio hæc, majoris hebdomadæ tempore, & martis die, seu feria tertia post Paschatis octavam desiit. Ejus non alia nobis acta suppetunt, quam Patriarchæ Joannis ad Mennam, Alexandriæ Cophtum Patriarcham synodica epistola. Allemani, Biblioth. Orient. Tom. II. pag. 133. *Mansi*, Tom. I. col. 1159.

Concilium Romanum, an. 969.

In hoc concilio Joannes XIII. 26. Maji die Beneventi episcopatum in Archiepiscopatum erexit. *Labb. IX. Hard. VI.*

Concilium Romanum, an. 971. vel 972.

Idem Summus Pontifex 29. Aprilis die concilium hoc celebravit, in eoque monachorum institutionem confirmavit in Muzoniensi abbatia, ad Remensem diœcesim spectante, in regularium canonicorum locum, qui prius ibidem erant. *Gall. Christ.* Tom. VIII. *Mansi*, Tom. I. col. 1175.

Concilium Compostellanum, an. 971.

Habitum fuit concilium hoc 29. Novembris die. In eo Cæsarius, Montis-Serrati abbas, Tarraconensis Archiepiscopus electus sacratusque fuit, obsistentibus licet Archiepiscopo Narbonensi & Hispaniarum Episcopis qui eum sibi metropolitanum habebant. *Pagius*, ad an. 900. n. 8. *Mansius*, Tom. I. col. 1173.

Concilium apud Montem Sanctæ-Mariæ, an. 972.

Adalberonus, Remensis Archiepiscopus, Majo mense, concilium hoc, ad Montem Sanctæ-Mariæ *de Tardenois*, in Suessionensi diœcesi celebravit. In eo facta est Bullæ Joannis XIII. ad Monachorum in Mouzonensem abbatiam inductionem lectio. *Mabillonius*, Annal. Tom. tertius pag. 622. *Regin. XXV. Labb. IX. Hard. VI.*

Concilium Ingelheimense, an. 972.

S. Udalricus, Episcopus Augustanus, hoc in concilio petiit, ut sibi liceret episcopatum nepoti cedere, & se in monasterium recipere; at ejus votis concilium obstitit. *Ibid.*

Concilium Marzoliense, an. 973.

Hoc, in Parmensi diœcesi, Marzolii concilium, qui locus in præsentia ad Mutinensem Ducatum spectat, Honestus, Ravennatensis Archiepiscopus convocavit. Hujus concilii tum tempus, tum argumentum, seu causa, in variis quæ prodierunt, ejus editionibus varia sunt. Editio Rubei, seu Rossi qui ejus acta in sua *Ravennatensis Ecclesiæ Historia* retulit, ea ponit anno primo Benedicti Papæ VI. Imperatoris Othonis II. anno sexto, 9. Septembris die, & Indictione II. Editio Sillingardi qui ea rursus in lucem emisit, iis pro chronologicis notis tribuit Incarnationis an. 973. & primum pontificatus Benedicti VI. octavum imperii Othonis, tertium Episcopatus Honesti, metropolitani Ravennatensis. Ad hujus autem cœtus causam quod attinet, ea quidem, e Sillingardi editione, contentio fuit inter Episcopos duos, Adalbertum Bononiæ, & Ubertum Parmæ, super quibusdam dominiis, quæ posterior præsul possidebat, quæque sibi præsul alter, tamquam ad suam Ecclesiam pertinentia, vindicabat. In Rubei vero, seu Rossi editione, cœtui causam præbuere nobiles viri qui suarum familiarum prædia quorum dominium Otho, cognomento Magnus, iisdem contulerat, a Parmensi Episcopo repetebant. In hac lectionum varietate, P. Labbæus ex uno conficit concilia duo, unum Marzolii; alterum Mutinæ. *Ars purgandi temporum notas*, pag. 200.

Concilium Berhamense, an. 973.

In hoc concilio sacratus fuit Edgarius Angliæ Rex. *Angl. I.*

Concilium Romanum, an. 975.

Benedictus Papa VII. in hac synodo Bonifacium Franconium excommunicationi subdidit, propterea quod sanctam Sedem usurpaverat. In eodem confirmavit etiam Trevirensium Archiepiscoporum jura, peculieriter supra Quatuor Coronatorum ejusdem urbis Ecclesiam. *Edit. Venet.* Tom. XI. *Mansi*, Tom. I. col. 1181.

Concilium Vintoniense, an. 975.

S. Dunstanus, Cantuariensis Archiepiscopus, habuit concilium hoc, in intervallo regnorum Edgerii & Eduardi ejus filii natu maximi, dicti Martyris, tametsi non occubuerit fidei causa, sed quia, Elfridæ novercæ jussu proditus, suarum virtutum gratia in Sanctorum numerum relatus fuit. Eo spectavit hoc Vintoniense concilium, ut litigium finiret, quod animos dividebat clericos inter & monachos qui iis substituti fuerunt, & contra quos clerici redire volebant. Concilii judicium a monachis fuit. *Reg. XXV. Labb. IX. Hard. VI. Angl. I.*

Concilium Kyrtlingtoniense, an. 977.

Huic concilio Sanctus Dunstanus, Cantuariensis Archiepiscopus præfuit, eidem Rex Eduardus interfuit. Qua de re in eo actum fuerit, haud in comperto est. *Angl. I.*

Concilium Calnense, an. 977.

Calne regium in Anglia oppidum erat. Ibi frequens concilium an. 977. celebratum fuit. Ei Sanctus Dunstanus præfuit, regni compluribus Episcopis, clericis virisque nobilibus adsistentibus. Propositum id fuit, ut monachi ex Ecclesiis quas possidebant, expellerentur, in totumque locum clerici quorum bene multi conjugati erant, substituerentur. Fuit acriter utrinque discussa res; at S. Dunstani auctoritas in monachorum favorem pervicit. In Conciliorum editione quæ Venetiis prodiit, concilium hoc an. 978. collocatum occurit. *Ibid.*

Concilium Ambresbiriense, an. 977.

Ambresbiria, seu Sanctus-Ambrosius locus est in Vintoniensi diœcesi. Ibi an. 977. habita est synodus cujus nihil superest præter nomen; at ejus idem ac concilii Calnensis argumentum fuisse creditur. *Ibidem.*

Conci-

Concilium Ingelheimense, an. 980.

Concilium hoc coram Imperatore Othone II. habitum fuit. In eo edita fuere quoad disciplinam decreta plura quæ ad nos usque non pervenerunt; in eodem confirmata est abbatiarum Malmediensis & Stavelensis sub eodem abbate conjunctio. Ad exitum porro perductis omnibus concilii negotiis, Egebertus, Archiepiscopus Trevirensis, cœtui significavit e se detectum fuisse Sancti Celsi corpus, qui ex ejus decessoribus unus, an. 43. ut fertur, occubuit. *Hartzeim*, Concil. Germ. Tom. II. *Mansi*, Suppl. Tom. I. col. 1185.

Concilium Remense, an. 987.

In hoc concilio Arnoldus, Regis Lotharii naturalis filius, Caroli, Lotharingiæ Ducis nepos, ac tum quidem Laudunensis canonicus excommunicatione perculsus fuit. Ejus excommunicationi causam præbuit commercium consensusque cum principe patruo qui Galliam vastabat, ut ejus solium obtineret. Eum quamprimum Adalberonius, Laudunensis Episcopus ab hac sententia liberavit; electusque fuit Remensis Archiepiscopus in concilio Remis habito, Januario mense sequentis anni, Ugoni Capeto Rege, ejusque filio Roberto præsentibus. *Edit. Venet.* Tom. XI. *Mansi*, Tom. I. col. 1193.

Concilium Sylvanectense, an. 990.

Habitum est Julio mense concilium hoc. In eo confirmata fuit, quam Arnoldus, Remensis Archiepiscopus tulerat, in eos excommunicatio, qui Remensi urbe potiti erant; atque is quidem erat Arnoldus ipse qui operam contulerat, ut ejus archiepiscopalis urbs caperetur, Hugone Capeto prodito, cui fidelitatis jusjurandum obstrinxerat. *Mansi*, ibid.

Concilium Romanum, an. 989.

Joannes Papa XV. concilium hoc celebravit. Sanctus Adalbertus, Pragæ Episcopus, quæ Bohemiæ metropolis, se abdicandi veniam petiit, quæ eidem negata fuit. *Labb. IX.*

Concilium Narbonense, an. 990. vel circiter.

Ermengardus, Narbonensis Archiepiscopus, huic concilio præfuit. Laici plures domini adfuere cœtui, in quo deliberatum fuit, quemadmodum ecclesiasticorum bonorum usurpationes reprimerentur. In vulgaribus Collectionibus occurrit, super eodem negotio, an. 994. Narbonense concilium alterum; at unum idemque, perperam multiplicatum, concilium est.

Concilium Cantuariense, an. 991.

Siricius, Archiepiscopus Cantuariensis, concilium hoc celebravit. In eo statutum, ut Danis tributum solveretur. *Angl. I.*

Concilium Remense, seu Sancti-Basilii (trium leucarum spatio Remis procul.) an. 991.

Seguinus, Archiepiscopus Senonensis, concilium hoc, 17. Junii die, celebravit. Rex Hugo Capetus qui eidem interfuit, Episcopos qui cœtum conflarunt, adegit, ut Arnoldum, Remensem Archiepiscopum, tamquam proditorem deponerent, in ejusque locum Gerbertum sufficerent. (*Gallia Christ.* Tom. VIII.) Concilium hoc in vulgaribus Collectionibus ad an. 992. refertur.

Concilium Aquisgranense, an. 992.

In hoc concilio vetitum est, ne adventus tempore, a Septuagesima ad Pascha usque, perque dies quatuordecim qui S. Joannis festum diem antevertunt, nuptiæ celebrarentur. *Concil. Germ.* Tom. II.

Concilium Remense, an. 993.

Gerbertus, Remensis Archiepiscopus, coegit concilium hoc, ut ecclesiasticorum bonorum usurpatores cohiberet. *Fabricius.*

Concilium Ansanum, seu Ansense, an. 994.

Ansa est parva urbs a Lugduno leucis quatuor. Burchardus, Archiepiscopus Lugdunensis, aliique præsules decem concilium hoc eo in loco celebrarunt, in quo, ad S. Odilonii, Cluniacensis abbatis petitionem, ejus abbatiæ possessiones confirmarunt. In eodem præterea concilio canonici in Sancti Romani ecclesia instituti, seu restituti fuere. Edita deinde sunt ad disciplinam spectantia statuta novem; quorum secundum mandat, ut Sanctæ hostiæ quæ in Ecclesia servantur, singulis diebus dominicis renoventur. Septimum vetat, ne die sabbati post nonam laboretur; & octavum laicis præcipit, ut abstineant, vacent feria quarta, jejunent feria sexta, feriisque secunda, quarta, & sexta, siquidem possunt, Missam audiant. Conciliorum editiones Ansæ ponunt concilia duo, unum an. 990. alterum an. 994. sed inepte prorsus ac perperam; unum enim & unicum, hoc nempe an. 994. ponendum est, ut probat Mansius, Tom. I. col. 1197. his quæ sequuntur, rationum momentis nixus. Primo, Concilii quod anno 990. tribuitur, inscriptio falsa est, quia ei adscribitur Indictio II. quæ an. 989 est. Secundo, Ansensis concilii Patres testantur se audisse non sine mœrore Sancti Maguoli mortem quæ non nisi an. 994. contigit, quemadmodum ad an. 993. Pagius ostendit. Denique Ledbaldus, Episcopus Matisconensis, Miloni successor, inter Ansensis concilii Patres recensetur; & Milonius in eorum numero ponitur, qui Remensi concilio, an. 991. habito interfuerunt. Ergo Ansenso concilium cui Ledbaldus adfuit, arrogatum concilium esse non potest, quod an. 990. habitum fuerit.

Concilium Veronense, an. 994. vel 995.

Huic concilio causam præbuit dissidium quod inter Joannem, Aquilejensem Patriarcham, & Otbertum seu Othelbertum, Episcopum Veronensem contigerat, super nonnullis ecclesiis, in urbe ipsa Veronensi existentibus, quarum presbyteri Episcopo parere recusabant, prætexentes se ab Aquilejensi tantum Patriarcha pendere. Concilium in Episcopi favorem judicavit, statuitque, ut earum ecclesiarum presbyteri Veronensi Episcopo obsequerentur, cum eos ad synodos, ad publicas processiones, &c. vocaret. Muratorius, in Dissert. med. ævi, Tom. XV. col. 1003. *P. de Rubeis*, in Monum. Ecclesiæ Aquilejensis, pag. 485. *Mansi*, Tom. I. col. 1199.

Concilium Mouzonense, an. 995.

Leo, Joannis Papæ XVI. legatus concilium hoc, 2. Junii die, cum quatuor Episcopis celebravit. In eo Gerbertus, Remensis Archiepiscopus jussus est a divino officio abstinere ad concilium usque, quod ea in urbe ad mensem Julium indictum fuerat. At cum illud Remense concilium haud tam cito habitum fuerit; Remensis Archiepiscopus Gerbertus permansit, & Aureliani Arnoldus carceri addictus, quoad Hugo Capetus in vivis fuit. *Fleurius*, *Regin. XXV. Labb. IX. Hard. VI.*

Concilium Sancti-Dionysii, an. 996.

Habitum est concilium hoc mense Majo super decimis, quas monachis & laicis a quibus possidebantur, adimi jubebat.

Concilium Romanum, an. 996.

Celebravit Gregorius Papa V. concilium hoc, præsente Imperatore Othone III. In eo usurpatores bonorum Ecclesiæ Cameracensis excommunicatione perculsi, ad Herluini querelas, quem Summus Pontifex haud ita pridem ejus ecclesiæ Episcopum consecraverat. P. Mansius huic concilio tribuit Imperatoris Othonis III. diploma quod monasterii S. Petri, Apostolorum principis, quod in loco, Brumio dicto, in Lunensi diœcesi situm est, bona & privilegia confirmat. Nec desunt Scriptores a quibus Electorum septem, ad Imperatoris electionem, constitutio huic ipsi concilio tribuatur. At hæc opinio sustineri non potest, quoniam certum est Fridericum II. qui 13. Decembris die an. 1250. Florentini in Apulia supremum diem obiit, non a septem Electoribus, sed ab omnibus Germaniæ Principibus qui Ertortium, seu

Bambergam, ſeu Confluentiam cooveoerant, ſemel, iterum ac tertio Romanorum Regem & Imperatorem electum fuiſſe. Doctiorum ergo Germaniæ Scriptorum ſenteotia, Electorum inſtitutio ſub Friderico II. initium habuit abſque ullo diplomate quò ſtatueretur, ſed veluti ſenſim, tacitaque omnium imperii ordinum cooſenſione; quoad poſt aliquas mutationes, per celebrem Bullam Auream firmata fuit; quæ quidem Bulla 29. Decembris die Nurembergæ, an. Chriſti Domini 1356. regni Imperatoris Caroli IV. an. 7. ſiquidem kujus Principis regnum non niſi ab an. 1349. numeretur, quo anno ſe rurſus Aquiſgrani a Colonienſi Archiepiſcopo ſacratum voluit. Eſt Bulla hæc juriſconſulti Bartoli opus. Ea ſtatuit electionis Imperatorum formam, itemque Electorum munia, jura, privilegia, & bos quidem ad ſeptenarium numerum redigit. Nuncupatur autem Bulla Aurea per excellentiam, propterea quod Orientis Imperatores ſua olim edicta anreo ſigillo quod *Bulla* appellabatur, obſignata volebaot. Quamvis ea ſit Bartoli opus, eadem tamen nec ab ipſo concinoata, nec publici juris facta eſt oiſi imperii procerum omniumque ordinum ſententia conſenſuque. Vide *Ducangium*, Tom. III. pag. 31. verbo *Electores*.

Concilium Ticinenſe, an. 997.

Gregorius Papa V. celebravit concilium hoc, in quo anathemate perculit Creſcentium conſulem cum Philagato, Placentiæ Epiſcopo quem Creſcentius eodem anno Antipapam, ſub Joannis XVII. oomine, eligendum curaverat. *Reg. XXV. Labb. IX. Hard. VI.*

Concilium Romanum, an. 998.

Concilium hoc ab eo differt, quod, eodem anno, Romæ habitum fuit, & in quo Gregorius Papa V. Roberti, Galliæ Regis cum Bertha, Eudeſii, Bleſenſis comitis vidua matrimooium, ob conſanguinitatem & affinitatem ſpiritalem, nullum & irritum pronuntiavit. *Baluzius*, Tom. III. Miſcellan.

Concilium Romanum, an. 999.


Contra Giſlerium, Mersburgenſem Epiſcopum hæc ſynodus habita eſt. *Reg. XXXV. Labb. IX. Hard. VI.*

Concilium Geneſnenſe in Polonia, an. 999.

Imperator Otho III. in hoc concilio confirmavit erectionem, an. 965. editam Epiſcoporum ſeptem in Illyricorum regione, Boemia ſcilicet & Poloniæ parte. P. Manſi qui concilium hoc ad an. 1000. refert, addit in eo Gneſnam in archiepiſcopalem urbem erectam fuiſſe. *Manſi*, Tom. I. col. 1215.

Concilium Quintiliburgenſe, an. 999.

Concilium hoc ſub Paſcha celebratum fuit, In eo deountiatum Geſilerio, Magdeburgenſi Archiepiſcopo, ut Mersburgenſem epiſcopatum relinqueret, quem cum ſuo ſimul archiepiſcopatu retinebat. Ei deinde jus idem io Aquiſgranenſi concilio iodictum fuit; is vero eluſit utrumqoe. Concilium hoc, in Tomo ſecundo *Conciliorum Germaniæ*, *Magdeburgenſe* ouncupatur. Illud P. Manſi an. 1000. collocat, inquit Auctor *Artis purgandi temporum notas*. Verum ſi concilium hoc Manſius an. 1000. ponit, id ſane non præſtat ſui ad *Labbeana concilia* Supplementi Tomus I, col. 1213. ibi eoim de concilio ſolum loquitur quod *Magdeburgenſe* nuncupat, an. 999. celebratum, & quod alia de cauſa, ac Quintiliburgenſe coactum vult. Ait ergo Geſilerium, Magdeburgenſem Archiepiſcopum habuiſſe concilium ſub anni 999. initium, occaſione raptus Luitgardes, Marchionis Ekikardi filiæ, quam e Quintileburgenſi monaſterio ſuſtulerat Werinbardus, Turingiæ comes, ejus ſponſus. Cum ambo ſponſi ſe concilio ſtitiſſent, nobilis adoleſcens cœtui, prout congruebat, ſe ſubdidit, & puella teſtata eſt ſibi in votis eſſe, ut eidem nuberet; & ita quidem libari relicti ſunt. Id memorat Maoſius, ſecutus *Annaliſtam Saxonem*, quem Echartus edidit in *Corp. Hiſtor.* Tom. I.



CON-



CONCILIA

SÆCULI UNDECIMI.

Concilium Romanum, *an.* 1001.



Ilvester Papa II. Gerbertus antea dictus, obscura familia in Alvernia natus, & Gallorum primus, qui sanctam Sedem tenuerunt, habuit die 6. Januarii concilium hoc, adsistentibus ex Italis septemdecim, & e Germania tribus Episcopis, coram Imperatore Othone III. S. Bernuardus, Hildesheimensis Episcopus, confirmatus in hac synodo fuit in Gandersheimensis monasterii possessione, de qua Villigisius Moguntinus cum eo contendebat. *Reg. XXV. Labb. IX. Hard. VI.*

Concilium Poldense, propa *Brandeburgum*, *an.* 1001.

Julii die 22. concilium hoc Papæ Silvestri legatus habuit, in quo de eodem negotio, atque in superiore concilio, actum est. Synodi Patres Moguntinum Archiepiscopum hortati sunt, ut Gandersheimense monasterium S. Bernardo remitteret; sed Archiepiscopum obsequi renuentem Papæ legatus ab omni episcopali functione suspendit. *Hard. Tom. VI.*

Concilium Francofortense, *an.* 1001.

Concilium hoc post Assumptionis festum diem super eadem re celebratum fuit. In eo negotium ita compositum, ut nec Villigisius Moguntinus, nec Bernuardus Hildesheimensis super Gandersheimensi abbatia jus ullum obirent ad usque sequentis anni Pentecostes octavam diem, qua die præsules Frislavium convenirent. *Ars purgandi temporum notas*, pag. 201.

Concilium Romanum, *an.* 1002.

Habitum fuit concilium hoc 3. Decembris die, super abbatia Perusiensi quam Episcopus Conon Papæ cedere coactus fuit, ut pacem cum abbate obtineret. *Reg. XXV. Labb. IX. Hard. VI.*

Concilium apud Theodonis Villam, *an.* 1003.

Henricus II. Germaniæ Rex, huic synodo interfuit. In ea damnatum, præsente ipso, consanguinitatis causa, matrimonium quod Conradus, Carinthiæ Dux, cum Mathilde, Conradi, Burgundiæ regis, filia contraxerat. *Concil. Germ.* Tom. III.

Concilium Constantiense, *an.* 1005.

Damnatæ proscriptæque hac in synodo litteræ quæ, famis Germaniam vastantis occasione, tamquam a cælo allatæ venditabantur. *ibid.*

Concilium Arneborchiense, *in Brandeburgensi regione*, *an.* 1005.

Adfuit huic concilio Rex Henricus II. In eo vetitum, ne nuptiæ dignitati contrariæ celebrarentur, ne Christifideles ethnicis venderentur; ne denique violarentur justitiæ leges. *Ibid.*

Concilium Tremoniense, *an.* 1005. *seu* 1006.

Tremontium, vulgo *Dormont* seu *Tremone* est in Westphalia. Eo loci quatuordecim Episcopi, in concilii modum, Julii die 7. Rege Henrico II. & Regina Cunegunda præsentibus, convenere. Ibi præsules acriter Rex increpuit, qui illicita conjugia aliosque abusus tolerarent. Periere hujus concilii canones; ejus unus & unicus actus superest, per quem de quibusdam jejuniis aliisque spiritalibus subsidiis mutuo post mortem sibi exhibendis inter synodi Patres convenit. *Concil. German.* Tom. III. *Mansi*, Tomus I. col. 1217.

Concilium Romanum, *an.* 1007.

Joannes Papa XVIII. ad Bambergensis episcopatus erectionem confirmandam, in hoc concilio Bullam edidit. *Edit. Venet.* Tom. XI.

Concilium Francofurtense, *an.* 1007.

Villigisius, Archiepiscopus Moguntinus, habuit concilium hoc, adsistentibus Episcopis triginta sex, qui super Bambergensis episcopatus erectione a Summo Pontifice editam receperant confirmaruntque. Ditmari, Baronii, Bollandistarum, & anonymi auctoris *Vitæ S. Henrici*, auctoritate nixus apte probat Mansius agnoscenda esse concilia duo, super Bambergensis episcopatus erectione, Francofurti celebrata, unum an. 1006. alterum an. 1007. Idem auctor recipit etiam concilium an. 1006. Parisiis habitum ad donationis confirmationem, quam in gratiam Canonicorum Cathedralis ecclesiæ ejusdem urbis, eorum Episcopus Raynoldus ediderat, quamque Joannes XVIII. per Bullam firmaverat; porro Bullam hanc deprompsit Mansius ex pag. 26. *Appendicis* Tom. VII. *Gallia Christiana*, cujus Operis auctores eam se nactos testantur in Chartulariis Ecclesiæ Parisiensis, lib. XIX. cap. 11.

Concilium Aquilejense, *an. circiter* 1007.

Joannes, Aquilejensis Patriarcha, concilium hoc una cum suis suffraganeis celebravit, ut Bambergensis episcopatus erectionem approbaret. Rex S. Henricus qui deinde Imperator evasit, eam erectionem vehementer optabat. Henricus, seu Harzelinus, Archiepiscopus Wirtzburgensis initio quidem ei refragatus est: at cum regiis votis quamprimum annuisset, litteræ quæ ejus assensum testabantur, & Francofurtensis concilii acta ad universos & singulos, per Principis ditiones, Episcopos missa fuere. Joannes Aquilejensis, iis litteris vix acceptis, suos haud cunctatus suffraganeos coegit, ratumque cum iis habuit, quicquid in Francofurtensi concilio actum fuerat, ac synodicam ad Wirtzburgensem Archiepiscopum epistolam misit. *Mansi*, Tom. I. col. 1223.

Concilium Kalense, *seu Kalensis Palatii*, *an.* 108.

Habitum fuit concilium hoc coram Roberto Rege, & quidem in regiis ejusdem ædibus. In eo Leothericus Senonensis, Fulbertus Carnotensis aliique præsules donationes confirmerunt, quibus religiosus is Princeps S. Dionysii abbatiam locupletaverat. *Labb. IX. Hard. VI.*

P. Mansius sequenti an. 1009. Mediolani concilium ponit, in quo Arnoldus, Mediolanensis Archiepiscopus, deposuit excommunicavitque Oldericum, Astæ Pompejæ episcopali sedi a Rege Henrico II. impositum, ex ea pulso legitimo Episcopo, propterea quod Arduino, Eporediæ marchioni faveret, qui Februarii die 15. an. 1002. se Italiæ Regem coronandum curaverat. At id conciliari non potest seu cum Henrici II. Regis historia, qui quidem non nisi an. 1013. iterum in Italiam venit; seu cum Ughellio qui solum an. 1024. super Astæ Pompejæ sede Oldericum, seu Aldericum, Alricum, Alericum collocat. Cæterum probabilius est eum Oldericum quem Mansius ab Henrico Rege II. Astensi sedi impositum fuisse pro certo habet, non alium esse quam acerrimum ipsum Arduini fautorem, quoniam ejus nepos erat, ut testatur Ughellius, *Italia Sacra* Tom. IV.

Concilium Moguntinum, *an.* 1011.

Henricus Rex II. & Theodoricus Luxemburgensis qui Metensis Episcopus & S. Cunegundæ Imperatricis frater erat, huic concilio cum Henrico Duce, altero ejusdem Imperatricis fratre adfuerunt. Matronæ

Principia fratres duo non id probarunt quod in concilio actum fuit, & indignati recesserunt, pace tamen ad tempus inita. Id unum nobis Saxonicus annalium scriptor super hoc concilio tradit. *Mansi*, Tomus I. col. 1225.

Concilium Confluentinum, *an.* 1012.

Convocavit Henricus II. Rex post S. Martini festum diem concilium hoc, eo animo, ut Theodericum, ceterosque perduelles præsules in eo damnandos curaret, nisi ad officium redirent. Theodoricus in synodo a Missæ celebratione, quoad se purgasset, interdictus fuit. *Mansi*, Tom. I. col. 1227.

Concilium Romanum, *an.* 1014.

Benedictus Papa VIII. hanc synodum celebravit coram Henrico Rege II. qui tunc in Italia versabatur, quique Benedictum in suam sedem restituerat. In ea synodo, itemque in altera quæ eodem anno Romæ habita, nonnulli Papæ adversarii depositi fuere. *Ibid.*

Concilium Veronense, *an.* 1014.

Habitum est concilium hoc a Benedicto Papa VIII. ad finienda litigia quæ Aquilejensem & Gradensem Patriarchas in contrarias partes trahebant. Haud tamen constat iis dissidiis reapse finem in hoc concilio impositum esse. *Mansi*, Tom. I. col. 1229.

Concilium Aquilejense, *an.* 1015.

Huic concilio proposita fuit donationis confirmatio, quam Joannes, Aquilejensis Patriarcha, in gratiam Canonicorum S. Stephani Foro-Liviensis ediderat. *Ibid.*

Concilium Mediolanense, *an.* 1015.

Arnoldus, Archiepiscopus Mediolanensis, celebravit concilium hoc in Alricum, Arduini, Italiæ Regis patruum, quem is princeps Astæ Pompejæ Episcopum nominaverat, & Benedictus VIII. deinde consecraverat. Arnoldus, Imperatoris Henrici II. acer fautor, ac proinde Arduini ejus æmuli adversarius, perfecit, ut Alricus, tamquam intrusus, anathemati subderetur, Papæ approbatione nihil obstante, propterea quod Astæ Pompejæ sedem sine sui Metropolitani consensu conscendisset. Neque id fuit Arnoldo satis, qui armatus Alricum ejusque fratrem Mangifridum, Segusii marchionem persecutus expugnavit, coegitque facere sibi satis ignominiosum in modum, quo suæ indolis duritiem & arrogantiam simul exhibuit. Sunt hæc ipsa verba (post *Arnulphum*, *Histor. Mediol.* lib. 1. cap. 18.) docti Auctoris *Artis purgandi adscripta tempora*; ut proinde non modo Mansius qui concilium de quo hoc loco agitur, an. 1009. ponit, sed etiam Ughellius qui Alricum, Astæ Pompejæ Episcopum ait Arduini Italiæ Regis nepotem, non patruum fuisse, corrigi debeant.

Concilium Ravennatense, *an.* 1016.

Concilium hoc distinguendum ab eo est, quod an. 1014. habitum fuit, & de quo Tom. II. *Analysis Conciliorum* locuti sumus. Certum est in hoc concilio de quo modo agimus, clericos ab Adalberto initiatos, qui Ravennatensi sede positus erat, ad novum examen usque, suspensos fuisse; & quemvis id nos concilio, an. 1014. celebrato tribuerimus, rem tamen hanc ad hoc usque protrahi necesse est, ex Conciliorum editione, Venetiis edita, Tom. XI.

Concilium Aurelianense, *an.* 1017.

Habitum est concilium hoc in Manichæos hæreticos duos qui Regis Roberti jussu flammis addicti fuere, *Labb. IX. Hard. VI.*

Concilium Noviomagense, *an.* 1018.

Martii die 16. celebratum fuit concilium hoc. In eo damnatum incestum conjugium quod cum Irmingarda consanguinea Gallus quidam vir nobilis, Otto dictus, inierat; in eodem mandatum præterea, ut Christi Domini corpus ad presbyteri sinistram partem, & calix ad ejus dexteram, Missæ tempore, collocaretur. *Concil. German.* Tom. III. *Mansi*, Tom. I. col. 1239.

Concilium Goslariense, *an.* 1018.

Quadragesimali tempore habitum est concilium hoc. In eo conjuges duo, consanguinitatis causa, sejuncti fuere; in eodemque definitum fuit servi filios, qui liberam conjugem duxerit, servituti cum matre obnoxios fore. *Edit. Venet.* Tom. XI. & *Concil. German.* Tom. III.

Concilium Airiacense, *seu Airiacum*, *an.* 1020.

Airiacum, seu Airium, seu Arisium oppidum est in Burgundia, ad Autissiodorensem diœcesim spectans. Habitum in eo concilium cujus tempus incertum est. Illud Lebeufus an. 1015. collocat; Mansius an. 1022. seu 1023. Ei præfuit Leutherius, Archiepiscopus Senonensis; Robertus Rex adfuit, & in eo de pace cum Burgundiæ Duce actum. Putat Lebeufus ab hoc concilio cœpisse consuetudinem quæ XI. sæculo obtinuit, ut Sanctorum in cælis cum Christo regnantium thecæ ad concilia deferrentur. *Labb. IX. Hard. VI. Mansi*, Tom. I. col. 1245.

Concilium Bambergense, *an.* 1020.

In hoc concilio, Paschatis festis diebus habito, Benedictus VIII. coram septuaginta duobus Episcopis, Bambergensis Ecclesiæ privilegia confirmavit. Probat Muratorius hanc synodum reapse an. 1020. non autem 1019. ut Pagius contendit, habitam esse.

Concilium Ticinense, *seu Papiense*, *an.* 1020.

Idem Summus Pontifex, Kal. August. ejusdem an. 1020. concilium hoc celebravit, in quo decretum, in septem articulos distributum, ad cleri reformationem, edidit. Illud confirmavit Imperator Henricus II. ac temporales pœnas in transgressores addidit. *Edit. Ven.* Tom. IX.

Concilium Germanicum, *an.* 1022.

De hujus concilii tum loco, tum causa haud certo constat; id unum, teste Saxonico annalium auctore chronographoque, in comperto est, illud ex ingenti Episcoporum numero conflatum fuisse, eidemque Imperatorem Henricum II. adstitisse. Hinc illud consequens fit, concilium hoc cum Selingstadiensi, quod, referente Solerio in Opere quod inscripsit *Acta Sanctorum*, die 14. Julii, habitum fuit, confundendum non esse, quandoquidem Julii die 23. adhuc Lucæ Imperator erat, ut ex ejus Diplomatum uno perspicitur, &, quod inde consequitur, Selingstadiensi concilio quod undecima Augusti die celebratum est, interesse non potuit. Bene vero nihil obstat, quin concilium de quo agitur in præsentia, illud ipsum fuerit, quod eodem anno Aquisgrani, coram Imperatore, celebratum est. In eo actum de finiendo litigio quod Peregrinum, Coloniensem Archiepiscopum inter, & Durandum, Leodiensem Episcopum intercedebat, super Borcetiensi monasterio quod posteriori adjudicatum fuit.

Concilium Airiense, *an.* 1023.

Leutherius, Archiepiscopus Senonensis, habuit concilium hoc coram Roberto Rege, super ejusdem Principis pace cum Burgundiæ duce, & quidem an. 1022. vel 1023. ut numerat Mansius, Tom. I. col. 1245. Illud Labbæus ad an. 1020. refert, Lebeufus vero ad 1015. Autumat idem auctor Sanctorum thecas ad concilia deferendi moram ab hoc concilio cœpisse; quem tamen a medio nono sæculo Mansius repetit.

Concilium Aquisgranense, *an.* 1022. *seu* 1023.

Eo spectavit hæc synodus, ut Peregrini, Coloniensis Archiepiscopi, & Durandi, Leodiensis Episcopi dissidium finiret, super Borcetiensi monasterio quod Leodiensi præsuli adjudicatum fuit. *Reg. XXV. Labb. IX. Hard. VI.*

Concilium Moguntinum, *an.* 1023.

Aribonus Moguntinus, Pentecostes festis diebus hoc nationale concilium habuit, in quo absona plura correxit, in ordinemque redegit. In id etiam incubuit, at frustra, ut Othonem, Hamersteinensem comitem ab Irmengerda sejungeret, quacum haud legitime conjunctus erat. Contendit Mansius concilium hoc an. 1020. habi-

habitum esse, & Archiepiscopum Erkemboldum, Ariboni decessorem ei præfuisse. *Mansi*, Tom. I. col. 1241.

Concilium Pictaviense, an. 1023.

Versata est hac synodus super S. Martialis Lemovicensis apostolatu, de quo tamen nihil definitum fuit. *Pagius*, ad hunc ann.

Concilium Pampelonense, an. 1023.

Celebratum fuit concilium hoc coram Rege Sanchio, & Episcopalis sedis quæ ob Saracenorum incursiones ad Leriense monasterium translata fuerat, in Pampelonensi urbe restitutionem propositum habuit. In eo mandatur, ut Pampelonensis Episcopus a Leriensibus monachis sumatur, & a Provinciæ Episcopis eligatur. Baronius & Lebbæus hoc concilium an. 1032. habitum volunt; at ad an. 1023. referendum esse probat Mabillonius, *Annal.* lib. IV.

Concilium Parisiense, an. 1024.

In hac synodo S. Martialis Lemovicensis Apostoli titulo insignitus fuit. *Pagius*, ad hunc annum.

Concilium Francofurtense, an. 1027.

Godoardo, Imperatoris Conradi II., cognomento Salici, Fratri clericalis tonsura in hoc concilio collata est; & Sophia, Gendersheimensis Abbatissa, suas moniales recipere jussa est. *Labb. IX. Hard. VI. Mansi*, Tom. I. col. 1247.

Concilium Romanum, an. 1027.

Aprilis die 6. coram eodem Imperatore Conrado, compluribusque præsulibus adsistentibus, Joannes Papa XIX. concilium hoc celebravit. In eo litigium quod inter Aquilejensem & Gradensem Patriarchas jampridem fervebat, utra nempe sedes primas teneret, pro Aquilejensi Patriarcha finitum fuit. In eodem præterea statutum nunquam fore, ut Ravennatensis Ecclesiæ in pontificalibus negotiis Mediolanensi præstaret. *Mansi*, Tom. I. col. 1249.

Concilia Constantinopolitana, an. 1027.

Celebravit hoc anno Alexius Patriarcha concilia duo; primum, Januario mense, in quo editæ super disciplinæ sanctiones plures; alterum, mense Novembri, in quo actum de monasteriorum charisticariis seu donatariis, quorum abusus damnatus est, in eo positum, ut eorumdem cœnobiorum dominium venderetur, aut transferretur. *Ceillerius*, Tom. XXIII.

Concilium Elnense, in Ruscinonensi Comitatu, an. 1027.

Actum est in hoc concilio de pace, deque aliquibus disciplinæ capitibus; mandatumque peculiariter, ut a Sabbati hora nona ad feriæ secundæ primam usque, nemo adversarium aggrederetur, divinumque officium in eorum gratiam, qui excommunicationi subessent, ad eorumdem scilicet resipiscentiam a Deo obtinendam, trium mensium spatio perageretur. *Hard. VI.*

Concilium Carrofense, in Pictaviensi Provincia, an. 1027. vel 1028.

In Manichæorum errores, qui se in Galliis diffeminabant, & ad pacis confirmationem hæc synodus habita est. *Reg. XXV. Labb. IX. Hard. VI. Pagius*, ad an. 1027.

Concilium loci prope Moguntiam, qui Geizleten̄sis dictus, an. 1028.

Quidam de comitis Sigefriddi proditione accusatus se per ferri calidi probationem purgavit, ac sospes & incolumis egressus est, hujus de quo agimus, concilii judicio. *Ibid.*

Concilium Constantinopolitanum, an. 1029.

Imperator Romanus III. dictus Argyrius, cum ad eum accusatio in Joannem Abdonem, Jacobitam Antiochiæ Patriarcham, delata esset, eum cum quatuor Episcopis tribusque monachis Constantinopolim duci jussit, ubi a Græcorum præsulum synodo damnati fuere. Joannes Abdon biennio post in exilio mortem occubuit. *Allemanius*, Biblioth. Orient. Tom. II. pag. 150. *Mansi*, Tom. I. col. 1251.

Concilium Palithense prope Moguntiam, an. 1029.

In hoc concilio Aribonus, Archiepiscopus Moguntinus, tandem aliquando recessit a juribus quæ sibi in Gendersheimense Monasterium arrogabat, ejusque jurisdictionem Hildesheimensi Episcopo dereliquit. *Concil. German.* Tom. III.

Concilium Pictaviense, an. 1030.

In hoc concilio de Ecclesiasticis bonis actum. *Martenne*, Thesaur. Tom. IV.

Concilium Triburiense, seu Teuverense prope Moguntiam, an. 1035. vel 1036.

Concilium hoc, Bardonii Oppershoveniensis, Moguntini Archiepiscopi tempore, celebratum fuit. In eo renovati veteres canones, noviqua nonnulli veteribus additi, quorum unus mandat, ut si qua monialis ad monasterium migrare velit, in quo regula accuratius servetur, mutatio hæc ei concedatur; minime vero, si ad mitius molliusque monasterium transire voluerit. *Reg. XXV. Labb. IX. Hard. VI. Concil. Germ.* Tom. III.

Concilium Tremoniguesiense, seu inter-Ambas-Aquas, in Ruscinonensi Comitatu, an. 1035.

Versatum est concilium hoc super S. Michaelis Cuxanensis Abbatia. *Mabillonius*, Annal. Tom. IV. pag. 730.

Concilium Pictaviense, an. 1036.

Egit hæc synodus de pace ac disciplina. *Reg. XXV. Labb. IX. Hard. VI.*

Concilium Trevirense, an. 1037.

Exuviarum S. Materni translatio huic concilio caussam præbuit. *Concil. Germ.* Tom. III.

Concilium Italicum, an. 1038.

Concilium hoc quod fortasse Romæ habitum, super dissidio versatum est, quod inter Aribertum, Archiepiscopum Mediolanensem, & Imperatorem Conradum, Salicum dictum intererat. Præsul hic in Salonensi cœtu de perduellione accusatus, arroganter respondit; tantum abfuit, ut satis Imperatori facere conaretur, qui, ob hanc caussam, eum Aquilejensis Patriarchæ excubiis traditum voluit. Ergo Benedictus Papa IX. an. 1038. super hac re concilium coegit, in eo Aribertum anathemate perculit, tum vero deposuit. *Saxonicus Annalium* scriptor, ad hunc ann. *Mansi*, Tom. I. col. 1265.

Concilium Romanum, an. 1039. *seu* 1040.

Benedictus Papa IX. celebravit concilium hoc, in eoque Beratislaum, Boemiæ Ducem ei pœnæ subdidit, ut suis impensis monasterium construeret, propterea quod, in Gnesnensis urbis vastatione, S. Adalberti, ejusque fratris S. Gaudentii, aliorumque nonnullorum martyrum exuviae illinc sustulerat. Dux haud reluctans paruit, & Belezlanensi in urbe, monasterium, in S. Winceslai martyris honorem, erigendum curavit.

Concilium Venetum, an. 1040.

Concilium hoc coram Duce Flabaniano habitum fuit. In eo restituta est *Treuga Dei*, editique canones plures quorum non nisi compendia nobis suppetunt. Eorum canonum unus Diaconatum vicesimo sexto, & Presbyteratum tricesimo ætatis anno suscipiendos statuebat. *Edit. Venet.* Tom. XI. *Art purgandi temporum notas*, pag. 103.

Concilium Bituricense, an. 1040.

In hoc concilio de S. Sulpitii Abbatia actum est. *Gall. Christ.* Tom. II. pag. 41.

Conci-

Concilium Venetense, an. 1040.

Concilium hoc super disciplina versatum est. *Reg. XXV. Labb. IX. Hard. VI.*

Concilium Talusiense, in Elnensi diœcesi, ad Ruscinonensem Comitatum spectante, an. 1041.

Guifriddus, Archiepiscopus Nerbonensis, hanc synodum celebrevit, in qua stetuta fuit *Tregua Dei*, quæ mandebat, ut e feriæ quartæ vespertino tempore ed subsequentis feriæ secundæ metutinum tempus usque, nemo unus quicquam per vim sumeret, ullam injuriem ulcisceretur, ullumve ex cautione pignus exigeret. Quicunque hoc mandatum violasset, legum pactionem solvere, tamquem morte dignus, eut excommunicetione plecti, & in exilium agi debebet. Concilium hoc Balutius ed en. 1045. & Cossertius ed 1065. perperam referunt. Plura in Galliis concilia, hoc ipso en 1041. superque eodem negotio hebite sunt. *Gall. Christ.* Tom. VI. pag. 34. *D. Vaissette*, Hist. Occitaniæ, Tom. II. pag. 608.

Concilium Cesenense, in Romandiola, an. 1042.

Joennes, Cesenæ Episcopus, petfecit, ut in hoc concilio quod 2. Junii die bebitum fuit, consilium epproberetur, in quo ipse erat, ut in ejus ceibedreli Ecclesie communis vita institueretur. *Labb. IX. Hard. VI. Ugh.* Tom. II.

Concilium Sancti Ægidii, in Occitania, an. 1042.

Episcopi viginti duo, Kal. Septembris, concilium hoc celebreruot, io eoque tres canones ediderunt; in eodem præteres *Treguam Dei* confirmarunt. *Gallia Christ.* Tom. VI. pag. 34. *D. Vaissette*, loc. laud.

Concilium Narbonense, an. 1043.

Guifriddus, Archiepiscopus Nerbonensis, hebuit, hoc enno, concilie duo, unum Martii 17., elierum Augusti 8. die. In eotum primo Ecclesiasticorum bonorum usurpatores enathemete perculsi suet; in altera Guifriddus militare quod gestabat, indumentum deposuit, jurisjurandi obstricte fide nunquam fore, ut illed iterum sumeret. *Edit. Venet.* Tom. XI. *Mansi*, Tom. I. col. 1271.

Concilium Constantiense, an. 1043.

Imperator Henricus III. cognomento Niger, huic synodo interfuit, in que suis omnibus hostibus veniam lergitus est, solidamque in Germenia pacem stetuit. Concilium hoc Labbeus en. 1044. bebitum vult, et perperam; Mansius in eo simoniacos quoque demnatos elt; fellitur que, dum Imperatorem Henricum III. qui concilio adfuit, Henricum II. nuncupat. *Mansi*, Tom. I. col. 1273.

Concilium Romanum, an. 1044.

Benedictus Pepe IX. coegit, sub anni finem, concilium hoc, in quo decretum revocavit, quo Gradensem Ecclesiam Aquilejensis suffregeneam, paucis ente mensibue, pronuntiaveret, quemvis eam nequaquem pendere Romane synodus an. 1027. hebita declarasset. *Edit. Venet.* Tom. XI.

Concilium Narbonense, an. 1045.

Super *Tregua Dei*, superque Abbatiæ S. Michaelis Cuxanensis privilegiie hæc synodus versata est. *Hard. VI. Mansi*, Tom. I. col. 1275.

Concilium Sutrinum, seu Sutriense, an. 1046.

Henricus Niger, Germaniæ Rex, concilium hoc, se præsente, habitum voluit, ed illudque Gregorium VI. accivit, qui sanctæ sedis possessionem inieret, post ejus simoniacam cessionem quam Benedictus IX. in ipsius gretiam edideret. Abdicavit se Gregorius, seu lubens ec volens, seu coactus & vi edactus, depositis pontificalibus ornamentis, & pastorali remisso baculo. Romam deinde venit rex, Sutrini concilii Episcopis comitantibus, perfecitque, ut Suidgerius, in Saxonie natus, qui Bambergensis Episcopus erat, summus Pontifex eligeretur. Novus Pepa, unanimi Romanorum & Germenorum consensu electus, Clementis II. nomen sumpsit, & Dominici Natalis die consecratus fuit. Eadem die rex Henricus coronatus fuit Imperetor, & Regine Agnes Imperetrix. *Reg. XXV. Labb. IX. Hard. VI.*

Concilium Romanum, an. 1047.

In hac Conciliorum Analysi, Tom. II. pag. 8. *potestatis* loco, *præsidentia* legende est.

Concilium Germanicum, an. 1047.

Concilium hoc eb Imperatore Henrico III. contra simoniacos convocetum fuit. *Edit. Venet.* Tom. XI. & *Concil. Germ.* Tom. III.

Concilium Senonense, an. 1048.

In hoc concilio, Prioretus S. Ayulii Provinienfis fundetio, quam comes Thiboltius edideret, confirmete fuit. *Edit. Venet.* Tom. XI.

Concilium VVormatiense, an. 1049.

Concilium hoc Decembri mense habitum fuit. In eo Bruno, Tullensis Episcopus, Imperatore Henrico III. præsente & operam dante, summue Pontifex electus fuit. Papa hic Leonis IX. nomen sumpsit. *Concil. Germ.* Tom. III.

Concilium Romanum, an. 1049.

Habitum fuit concilium hoc 11. Aprilis die, conflatumque ex Italiæ & Gelliarum Episcopis. Ei præfuit Leo IX. omnesque simoniecorum ordinationes nullas & irritea pronuntievit; quod rumori turbisque causem præbuit, ut Fleurius enimadvertit. In eodem etiem Trevirensi Ecclesiæ primatum Papa tribuit, Bulla in hanc rem edita; approbavitque vitam & res gestas S. Adeodeti, seu Deodati, qui Nivermensem Episcopatum deseruerat, ut Abbes evaderet. *Mansi*, Tom. I. col. 1286.

Concilium Ticinense, seu Papiense, an. 1049.

Idem Leo IX. in Pentecostes bebdomada concilium hoc celebravit, in eoque nil egit aliud, nisi concilium repetiit, quod ipse eodem enno Romæ celebraverat.

Concilium Sipontinum, in Apulia, an. 1050.

Summue idem Pontifex Leo benc synodum hebuit, quedragesimali tempore, in eeque Archiepiscopos duos, ob simoniæ crimen, deposuit. *Pagius.*

Concilium Romanum, an. 1050.

Leo Papa IX. coegit concilium hoc, 2., vel circiter, Maji die; eique, quinquegiuta quioque Episcopis adsistentibus, præfuit. In eo Berengarius excommunicatione perculsus fuit; quia realem Christi Domini in saucta Eucharistie præsentiam negabat. In eodem etiem S. Gerardus, Tullensis Episcopus, inter Sanctos relatus fuit, edscripta ejus festo 24 Aprilis die. Mabillonius, Annal. Tom. IV. pag. 738. *Mansi*, Tom. I. col. 1291.

Concilium Brionense, an. 1050.

Brietnensis hæc, in Normennia, synodus Berengarii personem erroresque spectevit. In ea confutetus fuit, coactusque palinodiam cenere, catholicem saltem specie tenus, fidem emplexus. Cæiue hic collatio potius quam concilium habetur. *Labb. IX. Hard. VI.*

Concilium Vercellense, an. 1050.

Leo Papa IX. habuit concilium hoc prime Septembris die. Ei adfuere plurium regionum Episcopi: eo eccitus Berengarius haud venit. A synodi Patribus ejus damnatus error, itemque Joannis Scoti, super Eucharistia, liber. In eadem syn. summus quoque Pontifex Bullem edidit, quem ad Petrum, S. Victoris Massiliensis Abbatem misit, ut eum de sanctæ sedis petrocinio certiorem feceret, ejusque monesterio tenuem Abbatiam, S. Victorie nuncupetam, Velentiæ sitem concederet. *Reg. XXV. Labb. IX. Hard. VI. Mansi*, Tom. I. col. 1295.

Conci-

Concilium Parisiense, an. 1050.

Concilium hoc, a magno Episcoporum numero conflatum, 27. Septembris die, habitum fuit, coram Rege Henrico primo; in eo actum de Berengario qui se cœtui sistere noluit. Ibi lecta est ejus epistolarum una, quam cum Joanni Scoti Erigenæ libro quem super Eucharistia scripserat, concilii Patres damnarunt. *Labb. IX. Hard. VI.*

Concilium Sancti-Ægidii, in Occitania, an. 1050.

Concilium hoc quod an. 1050. non autem an. 1056. habitum fuit, quemadmodum contra P. Labbeum probant auctores novæ Galliæ Christianæ, *Treugæ Dei* institutionem propositam habuit. *Gallia Christ.* Tom. I. pag. 554.

Concilium Augustanum, an. 1055.

Habuit Leo Papa IX. concilium hoc, Februario mense, in eoque a censuris absolutionem impartitus est Humfriddo, Ravennatensi Archiepiscopo quem, superiore anno, in Vercellensi concilio interdixerat. *Concil. Germ.* Tom. III.

Concilium Romanum, an. 1051.

Idem summus Pontifex Leo concilium hoc celebravit, in eoque, adulterii causa, Gregorium, Vercellensem Episcopum communione privavit, qui se satisfacturum pollicitus, in sua munia restitutus fuit. In hac ipsa synodo damnati simoniaci, receptæque Joannis, Sabinensis Episcopi de Farfensibus monachis querimoniæ. *Reg. XXV. Labb. IX. Hard. VI. Mansi*, Tom. I. col. 1302.

Concilium Sublacense, an. 1051.

Suppositum concilium est, in quo contenditur summum Pontificem Leonem IX. cum Sublacensis monasterii titulos sibi exhibitos voluisset, eos maxima ex parte falsos comperisse, & ad flammas damnasse. Ut dicamus, quod res est, hic Pontifex, cum in eo monasterio esset, loci incolas convocavit, suos ab iis titulos sibi exhiberi voluit, eos notavit qui magis aberant a veritate, eorumque majorem partem cremari jussit; deinde vero Sublacensis monasterii jurisdictionem confirmavit: *Sublacenses ad se convocavit in monasterio; quorum & requirens monumenta chartarum, notavit falsissima, & ex magna parte ante se igne cremari fecit. Pontificali itaque præcepto reconfirmavit monasterium Sublacum. Chron. Sublac.* Tom. XXIV. Rerum Ital. col. 532. *Ars purgandi temporum notas*, pag. 204.

Concilium Bambergense, an. 1052.

Leo Papa IX. coram Imperatore Henrico III. concilium hoc celebravit, in eoque Bambergensis Ecclesiæ privilegia confirmavit. *Concil. Germ.* Tom. III.

Concilium Mantuanum, an. 1052. seu 1053.

Coegit idem Pontifex Leo concilium hoc, Quinquagesimæ tempora, ut abusus reformaret, & sartam tectamque disciplinam servaret. Verum licentiores Episcopi recta solliciti Pontificis consilia, excitatis turbis quibus intermissum concilium fuit, inutilia reddiderunt. *Labb. IX. Hard. VI.*

Concilium Romanum, an. 1053.

Idem summus Pontifex hoc quoque, post Pascha, concilium habuit; cujus quidem concilii nihil aliud superest, quam ad Venetos & Istrienses Episcopos, Dominico, Gradensi Patriarchæ favens epistola quæ significat fore, ut Gradensis Ecclesia tamquam provinciarum duarum, Venetæ & Istriensis, metropolis, secundum privilegia a summis Pontificibus concessa, spectetur. Hallucinatus est Labbæus, qui Berengarii damnationem, & S. Gerardi, Tullensis Episcopi canonizationem huic concilio tribuit, cum hæc acta duo ad Romanum concilium, an. 1050. celebratum pertineant. *Mansi*, Tom. I. col. 1303.

Concilium Africanum, an. 1053.

Leo Papa IX. in sua ad Petrum & Joannem, Africanos Episcopos epistola de hoc concilio loquitur, Ubinam illud habitum fuerit, aut quibus de rebus egerit, haud in comperto est. *Mansi*, Ibid.

Concilium Constantinopolitanum, an. 1054.

Michael Cerularius, Constantinopolitanus Patriarcha, Junio mense, hoc pseudo-concilium habuit; in eoque tum in S. Leonis IX. legatos, tum in Scriptum quod, antequam discederent, ad magnæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ aram deposuerant, anathema pronuntiavit. *Edit. Venet.* Tom. XI.

Concilium Barcinonense, an. 1054.

In Ecclesiasticorum bonorum usurpatores habitum fuit concilium hoc. *Labb. IX. Hard. VI.*

Concilium Moguntinum, an. 1055.

Gebehardus, Eichstatiensis Episcopus in hoc concilio quod mense Martio celebratum est, summus Pontifex electus fuit, sumpsitque Victoris II. nomen. Nimirum Subdiaconus Hildebrandus, cum, Leone IX. vita functo, ad Imperatorem Henricum III. obtinendi Papæ gratia missus esset, Eichstatiensem Episcopum, Romani populi nomine, petiit.

Concilium Florentinum, an. 1055.

Romanus Pontifex Victor II. coram Imperatore Henrico III. sub Pentecostes festos dies hanc synodum celebravit. In ea correxit abusus plures, & interdictiones renovavit, ne Ecclesiæ bona alienarentur. *Reg. XXV. Labb. IX. Hard. VI.*

Concilium Augustodunense, seu Bitracense, an. 1055.

In hoc concilio actum est de Roberto, Burgundiæ Duce. *Mabillonius*, Annal. Tom. IV. pag. 551.

Concilium Lugdunense, an. 1055.

Hildebrandus, Papæ legatus, coegit concilium hoc, ut simoniacos impeteret. *Reg. XXV. Labb. IX. Hard. VI.*

Concilium Turonense, an. 1055.

Habuit idem legatus, cum Cardinali Gerardo, concilium hoc. In eo veniam Berengario concessit, ut suam super Eucharistia sententiam tueretur; at ille id facere non est ausus; tantumque abfuit, ut eam defenderet, ut potius juraverit, non aliam quam Ecclesiæ sibi unquam super eo mysterio fidem fore. Id legati crediderunt, & ad communionem susceperunt. *Ibid.*

Concilium Andegavense, an. 1055. vel circiter.

Fuit hæc in eumdem Berengarium habita synodus. *Pagius*, ad hunc ann.

Concilium Rothomagense, an. 1055.

Archiepiscopus Maurillus hoc concilium habuit. In eo de clericorum continentia, deque servandis canonibus actum est. *Bessinius*, in Concil. Normann.

Concilium Narbonense, an. 1055.

Prima Octobris die coactum fuit concilium hoc, conflatumque ex episcopis sex qui bonorum Ausonensis Ecclesiæ usurpatores excommunicatos declararunt. *D. Vaissette.*

Concilium Coloniense, an. 1056.

Balduinus, Belgii comes, in hoc concilio, summo Pontifice Victore II. se intermittente, cum juniore Germaniæ Rege Henrico IV. in gratiam rediit.

Concilium Romanum, an. 1057.

Victor II., 18. Aprilis die, concilium hoc celebravit, in eoque Guifriddum, Archiepiscopum Narbonensem anathemate perculit, ob simoniæ crimen, ut probat D. Vaissette, pag. 198. Tom. II. *Historiæ Occitaniæ*. Refert P. Mansius ad hoc concilium Victoris II. Bullam, ad Viminianum, Ebredunensem Archiepiscopum missam, qua omnia Ebredunensis Archiepiscopatus jura confirmat. Huic concilio Stephanus

phanus IX. *generalis Concilii* nomen tribuit. *Mansi*, Tom. I. col. 1311.

Concilium Fontanetense, seu apud Fontanetum, an. 1057.

Guido Velarius, Archiepiscopus Mediolanensis, hoc Fontaneti concilium, in Novarriensi diœcesi, præsulibus & clericis numero pluribus adsistentibus, celebravit. In eo excommunicatione perculsi diaconus S. Arialdus, ejusque socius Laudulfus qui tunc temporis inter incontinentiæ & simoniæ clericorum adversarios primas tenebant. Eam excommunicationem Stephanus IX. nullam & irritam pronuntiavit; & hic quidem cœtus non nisi tamquam veri nominis conciliabulum spectari potest. *Edit. Venet.* Tom. XII. *Mansi*, Tom. I. col. 1315.

Concilium Senense, an. 1058.

Gerardus, in Burgundiæ regno natus, & Florentinus Episcopus, in hoc concilio, 28. Decembris die, a Germanis Romanisque proceribus summus Pontifex electus fuit, Nicolai II. nomine. *Muratorius*, Annal. Tom. VI.

Concilium Romanum, an. 1058.

Stephanus Papa IX. coegit concilium hoc, in eoque Bullam edidit, qua Lucensibus Ecclesiasticis immunitates quasdam concedit. In eo excommunicati Capuenses cives una cum clerico, Landone nomine, qui, numerata pecunia, S. Vincentii Capuani Ecclesiam emerat, ac licet a summo Pontifice Stephano accitus, Romano concilio adesse noluerat. *Mansi*, Tom. I. col. 1315.

Concilium Romanum, an. 1059.

Concilium hoc, 18. Januarii die, Nicolai Papæ II. coronationis occasione, habitum fuit. Archidiaconus Hildebrandus qui cæremoniam peregit, Pontificis capiti regiam coronam imposuit, super cujus inferiore circulo legebatur; *Corona regni de manu Dei*, superque circulo altero: *Diadema Imperii de manu Petri*; quod argumento est duplicem coronam qua super Pontificia tiara cernitur, antiquiorem esse, quam ipsi docti viri hactenus opinati sunt. *Benzius*, de reb. Henrici III. lib. VIII. cap. 2. *Ars purgandi temporum notas*, pag. 204.

Concilium Sutrinum, an. 1059.

Summus Pontifex Nicolaus II. Januario labente mense, hanc synodum celebravit, in qua Benedictus X. Antipapa depositus fuit. *Reg. XXV. Labb. IX. Hard. VI.*

Concilium Melphitanum, an. 1059.

Habitum fuit concilium hoc Melphi quæ Neapolitani Regni, in Basilicata, Episcopalis urbs est, & ab Acerentiensi metropoli pendet, non autem Amalphi in Apulia, quemadmodum Labbæo, eumque secuto Abbati Lengletio in *Tabellis Chronologicis* visum est. Ei Nicolaus Papa II. præfuit, in eodem Normannos ad sanctæ Sedis gratiam recepit, cum in ejus arbitrium omnia S. Petri prædia quorum potiti fuerant, remisissent. Huic ipsi concilio Mansius Capuani principis, in Montis-Cassini favorem, diploma tribuit. *Mansi*, Tom. I. col. 1131.

Concilium Beneventanum, an. 1059.

Habuit Nicolaus Papa II. concilium hoc, In eo monachus Albertus & comes Raffriddus, coram summo Pontifice, monasterio S. Vincentii Valberarensis urbis, sub Beneventana metropoli cellam Sanctæ Mariæ in Cavietano, seu Cajetano, quam occupaverant, restituerunt. *Mansi*, Ibid.

Concilium Arelatense, an. 1059.

Concilium hoc a Nicolai Papæ II. legatis habitum fuit. Berengarius, Vicecomes Narbonensis supplicem concilii Patribus libellum exibuit in Guifriddum, Archiepiscopum Narbonensem, a quo injuste excommunicatus fuerat. Labbæus & Balutius concilium hoc ad an. 1056. referunt; illud Mansius ad 1055. retrahit, ob eam causam, inquit, quia Berengarius suam ad Tolosanum concilium an. 1056. habitam querelam deferens, quæ Balutii opinio est, se ab injusta Guifriddi sententia ad Arelatense concilium appellasse testatur, quod proinde ante an. 1056. vel saltem hoc ipso ineunte, habitum fuerat. At docti Benedictini, auctores *Historiæ Occitanicæ*, in adnotatione 35. Tom. II. rationem hanc aliasque nonnullas diluunt, dum ajunt, siquidem suam Berengarius querelam ad Tolosanum concilium detulit, ad illud detulisse, quod ea in urbe sub an. 1060. coactum fuit, non autem ad illud an. 1056. certum enim est eam querelam an. 1058. posteriorem esse, quoniam in ea de sollicitudine mentio fit, quam Guifriddus ad SS. Justi & Pastoris corpora in suam cathedralem Ecclesiam transferenda contulerat; hæc autem translatio non nisi an. 1058. peracta est, ex XII. sæculi Chronico, itemque ex Narbonensis Ecclesiæ veteri Necrologio quod Catellus laudat,

Concilium Landaffense, an. 1059.

In vulgaribus Collectionibus, & in *Arte purgandi adscriptas tempora*, concilium hoc ad an. 1056. refertur. In hoc posteriore Opere laudatur Vilkinsius, & regia familia ob contumeliam Landaffensi Episcopo illatam excommunicata dicitur. In hac tota re occurrunt errata tria. 1. Concilium de quo sermo est, an. 1059. non autem 1056. habitum fuit; 2. Regia familia in eo communione spoliata fuit ob contumeliam qua medicum Berthutium, Episcopi nepotem, non vero Episcopum ipsum affecerat; 3. Vilkinsius concilium hoc an. 1059. collocat, & Spelmannum arguit, qui illud ad an. 1056. retulerit. Vilkius, Tom. I. pag. 314.

Concilium Spalatense, in Dalmatia, an. 1059. *seu* 1060.

Sanctæ Sedis legatus concilium hoc celebravit. In eo evulgata postremi Romani concilii decreta, & in Archiepiscopum electus Laurentius.

Concilium Jaccetanum, an. 1060.

Ramirus, Hispaniæ Rex, huic, in Aragonia, Jaccetano concilio interfuit. In eo editæ super disciplina sanctiones plures, abrogatusque Gothicus ritus, ut Romanus servaretur; at hic articulus executionis expers remansit. *Labb. IX. Hard. VI.*

Concilium Tolosanum, an. 1060.

S. Hugo, Cluniacensis Abbas, concilium hoc convocavit, tamquam S. Sedis legatus; & quamvis quæ ejus habendi causa fuerit, haud constet, non minus tamen certum est, cum eo quod an. 1056. habitum fuit, confundendum non esse. *D. Vaissette.*

Concilium Romanum, an. 1061.

Habuit Nicolaus II. concilium hoc, atque Galliarum Episcopi plures interfuerunt. In eo damnati Simoniaci, & Aldredus Cantuariensis ob crimen depositus; at ei sinum Papa Archiepiscopatum reddidit, palliumque concessit, deploratæ conditionis misertus, ad quam eum, comitesque, cum Romam venirent, latrones redegerant. Putat Mansius in hoc ipso concilio finitum fuisse litigium quod inter S. Albini Andegavensis, & Vindocini monachos excitatum erat, super monasterio de quo contendebant. *Mansi*, Tom. I. col. 1344.

Concilium Beneventanum, an. 1061.

Egit concilium hoc de nonnullarum Abbatiarum juribus. *Reg. XXV. Labb. IX. Hard. VI.*

Concilium Basileense, an. 1061.

Cœtus hic initio quidem non nisi virorum Principum conventus fuit, qui Octobri mense, post Nicolai II. mortem inchoatus, concilium deinde, seu conciliabulum potius evasit. Imperatrix Agnes, cum Anselmum Badagium, Mediolanensem, Lucensem Episcopum, 30. Septembris die an. 1061. summum Pontificem, Alexandri II. nomine, coronatum audisset, haud expectato regis Henrici IV. filii consensu, Longobardiæ Episcopos qui conventui aderant, impulit, ut Cadalum, seu Cadaloum, Parmensem Episcopum, teterrimis moribus hominem, Papam eligerent, qui Honorii nomen sumpsit. In 28. Octobris diem incidit electio hæc. *Concil. Germ.* Tom. III.

Conci-

Concilium Slesvicense, an. 1061.

Adalbertus, Archiepiscopus Hamburgensis, concilium hoc celebravit. In eo de dotibus actum, quæ in Episcopis ad novas sedes in Danis institutas iniciandis requirebantur. *Ibid.*

Concilium Cadomense, in Normannia, an. 1061.

Super disciplina versatum est concilium hoc. *Bessin.*

Concilium Sancti-Joannis de Pinea, in Aragonia, Aragonense, an. 1062.

Habitum est concilium hoc 25. Junii die an. 1062. In eo statutum, ut Episcopi Aragonenses ex monasterio ipso S. Joannis Pineensis omnes & singuli sumerentur. *Regia. XXV. Labb. IX. Hard. VI.*

Concilium Beneventanum, an. 1062.

Synodus hæc in gratiam abbatiæ S. Vincentii celebrata fuit. *Ibid.*

Concilium Lucense, an. 1062.

Celebravit Alexander II. concilium hoc, 12. Decembris die. In eo Antipapa Cadalous anathemate perculsus fuit, & absoluta Erittá, S. Justinæ Lucensis abbatissa, quam ex ejus monialibus tres falso de criminibus accusaverant. Miratur Mansius Conciliorum editores nullam hujus synodi mentionem facere, postquam Florentinius ejus acta vulgavit in *Rebus gestis Comitissæ Mathildis*, in Appendice, pag. 127. *Mansi*, Tom. I. col. 1367.

Concilium Cabillonense, an. 1063.

Petrus Damianus legatus huic concilio præfuit. In eo correxit, conjuncta cum Episcopis sententia, abusus plures, & Cluniacensis abbatiæ jurisdictionem, contra Drogonem, Matisconensem Episcopum confirmavit. *Labb. IX. Hard. VI.*

Concilium Rothomagense, an. 1063.

Congregatum fuit concilium hoc occasione dedicationis Cathedralis ecclesiæ. In eo vulgata est, contra Berengarii errorem, fidei professio. *Bessin*, in Concil. Norman.

Concilium Mantuanum, an. 1064.

Antipapam Cadaloum impetiit profligávitque hæc Mantuana synodus. *Reg. XXV. Labb. IX. Hard. VI.*

Concilium Augustodunense, seu Birrachense, an. 1065.

Habita est hæc synodus ad conciliationem hujus urbis Episcopi cum Burgundiæ Duce Roberto Seniore, ita nuncupato, quia provecta admodum ætate e vivis excessit.

Concilium VVestmonasteriense, Londinum prope, an. 1066.

Hoc Concilium in Westmonasterii abbatia ipsa, 28. Decembris die, an. 1066. ducto a Dominico Natali anni exordio, celebratum fuit, constatumque ex Archiepiscopis Cantuariensi & Eboracensi, aliis Angliæ præsulibus, S. Eduardi regis capellanis, abbatibus, &c. Ipse Princeps hic cum Regina Elgitha conjuge cœtui interfuit. In hoc concilio concessa est Westmonasteriensi abbatiæ absolutissima immunitas: & charta a Rege, Regina, Archiepiscopis, & Episcopis, regni comitibus & ministris subscripta fuit. *VVilkins*, Tom. I. pag. 316.

Concilium Juliobonense, an. 1066.

Antequam Guillelmi, spurii dicti, in Angliam expeditio contingeret, hoc concilium habitum fuit. *Bessin.*

Concilium Constantinopolitanum, an. 1066.

Concilium hoc Patriarcha Joannes Xiphilinus coegit, ut incesta conjugia proscriberet. *Mansi*, Tom. II. *Append.* pag. 99.

Rivard Concil. Supplem. Tom. V.

Concilium Constantinopolitanum, an. 1067.

Idem Patriarcha hoc quoque concilium in eos habuit, qui, sponsalibus cum una initis, matrimonium cum alia contrahebant. *Ibid.* pag. 106.

Concilium Mantuanum, an. 1067.

Convocavit concilium hoc Summus Pontifex Alexander II. qui in eo a simoniæ crimine de quo accusatus erat, se per jusjurandum purgavit, suæque electionis firmitatem validitatemque tam rite ac recte probavit, ut sibi Longobardiæ Episcopos conciliarat, qui ei refragati erant, ejusque æmulus, Antipapa Cadalous desereretur, unaque omnium voce tamquam simoniacus damnaretur. *Pagius*, ad an. 1064. num. 1. Mansius an. 1072. hoc concilium ponit.

Concilium Leirense, in Hispania, an. 1068.

Rex Sanchius Ramirus concilium hoc ab Hugone Blanco, sanctæ Sedis legato coactum voluit. In eo confirmata fuere Leirensis monasterii privilegia. In eodem actum creditur de Romani ritus in Gothici seu Mozarabici locum substitutione; quod nulla tamen executio secuta est. *Mabillonius*, Annal. Tom. V.

Concilium Gerundense, an. 1068.

Habuit idem legatus concilium hoc, in eoque, per Alexandri II. auctoritatem, *Treguam Dei*, excommunicationis pœna refractariis imposita, confirmavit. *Aguirre*; Tom. IV. pag. 431.

Concilium Barcinonense, an. 1068.

Idem legatus hoc quoque concilium habuit, quod clericis continentiam præcepit. In eodem propositum fuit, ut Gothicus ritus, recepto Romano, desereretur; an vero deliberatio hæc executioni mandata fuerit, ambigitur inter auctores, quorum alii ajunt, negant alii. *Pagius*, ad an. 1064.

Concilium Tolosanum, an. 1068.

Convocatum pariter fuit ab eodem legato concilium hoc, quod Simoniam extirpavit, & Lectorensem episcopatum restituit, qui in monasterium conversus fuerat. *Labb. IX. Hard. VI.*

Concilium Burdigalense, an. 1068.

Monasterio Vindocinensi favit concilium hoc quod in ejus gratiam habitum fuit. *Martenne*, in Thesauro, Tom. IV.

Concilium Spalatense, an. 1069.

Mainardus, sanctæ Sedis legatus, in urbe Spalato, Dalmatiæ archiepiscopali, concilium hoc celebravit. In eo Dalmatis interdictus, in divini officii celebrationе, illyricæ linguæ usus. Ab hac interdictione appellavit Dalmatiæ clerus ad Summum Pontificem Alexandrum II. qui eam confirmavit. Nihilominus Dalmatæ in veteri consuetudine perstiterunt, & adhuc in liturgia illyrico sermone qui tamen a vulgari differt, utuntur. *Allemanius*, Kal. ant. Tom. IV.

Concilium Rothomagense, an. 1069.

Hæc synodus ad hujus urbis Archiepiscopum eligendum habita fuit. *Bessinius.*

Concilium Moguntinum, an. 1069.

Petrus Damianus, Cardinalis, Ostiensis Episcopus, & sanctæ Sedis legatus, concilium hoc celebravit, Octobri mense. In eo, Alexandri Papæ II. nomine, Regi Henrico IV. prohibuit, ne Bertham conjugem repudiaret, quod facere in animo habebat. *Hard.* Tom. VI.

Concilium Ansanum, an. 1070.

Achardus, Cabillonensis Episcopus tribuit in hoc concilio, seu statim post, chartam quamdam, 27. Januarii die, luna 10. Indictione VIII. datam; quod probat in iis regionibus eo tempore a Natali Christi Domini, vel a Kalendis Januariis annum cœpisse. Chartæ huic proposita est donatio in abbatiæ Insulæ-Barbæ gratiam edita. *Labb. IX. Hard. VI.*

Concilium Vintoniense, an. 1070.

Guillelmi, Victoris dicti jussu coactum fuit concilium hoc, octava Paschatis die, Alexandro II. assensum præbente. Ei adsuere Summi Pontificis legati duo, in eoque depositus Stigandus Archiepiscopus Cantuariensis, tum quia Vintoniensem episcopatum una cum Cantuariensi archiepiscopatu possidebat; tum etiam quia archiepiscopatum susceperat, Archiepiscopo Roberto adhuc in vivis agente; tum denique quia ex Antipapa Benedicti manibus *pallium* receperat. Wilkins, Tom. I. pag. 322.

Ordericus Vitalis concilium hoc cum Windesoriensi, eodem anno Pentacostes diebus festis celebrato confundit, in quo Guillelmus Episcoporum & abbatum sedes replavit, quos in Vintoniensi concilio cum Stigando deponi jusserat; quemadmodum *Rogerius de Hovedenio* scriptum reliquit.

Idem Guillelmus Rex, eodem anno, alia præterea concilia duo, unum in Anglia, in Normannia alterum, habita voluit. Legatus Ermenfriddus utrique præfuit. In primo, Agalericus Sussexiensis & abbates plures depositi; in altero, Lanfrancus, Becensis in Normannia abbatiæ monachus, coactus ab Alexandro II. fuit in Angliam migrare, ut Cantuariensem sedem repleret, ad quam a Guillelmo Rege nominatus fuerat. *Bessinius*, in Concil. Norm. *Ars purgandi temporum notas*, pag. 205.

Concilium Romanum, an. 1070.

Habuit Alexander II. concilium hoc, septuaginta duobus Episcopis adsistentibus. In eo approbata est Vissegradensis, prope Pragam, monasterii fundatio, quam Dux Uratislaus instituerat. *Pagius*.

Concilium Pedredanum, seu Pedredanense, in Anglia, an. 1071.

In hac synodo super jurisdictione litigium in Sancti Wulstani, Vigorniensis Episcopi favorem finitum est. *Wilkins, Angl. I.* pag. 324.

Concilium Moguntinum, an. 1072.

Cœpit concilium hoc 15. Augusti die, duravitque triduum seu quatriduum; in eo actum de Carolo, Constantiensi Episcopo qui de simonia & sacrilegio accusatus fuerat. Quoniam Constantiensis clerus eum sibi Episcopum omnino nolebat, Carolus, post contentiones bene multas, annulum & baculum pastoralem in regis manus remisit, inquiens, se quidem, ex Cælestini Papæ decretis, eorum quibus invisus odiosusque esset, Episcopum esse nolle. *Reg. XXV. Labb. IX. Hard. VI.*

Concilium Cabilonense, an. 1072.

Propositum huic concilio dissidium fuit, quod inter Valentiæ Episcopum, & Romanenses canonicos coortum fuerat. Adscriptum est Martii die 10. lunæ die 18. an. 1072. Indictione X. quod rursus argumento est, annum ea ætate temporis in ea saltem regione a Natali Christi Domini, vel a Kalendis Januariis cœpisse. *Martenne*, in Thes. Tom. IV.

Concilium Anglicanum, an. 1072.

Concilium hoc, Rege Guillelmo, & Regina Mathilda ejus uxore præsentibus, Windesorii habitum fuit. In eo primatia Lanfranco, Cantuariensi Archiepiscopo, pro Thoma, Episcopo Eboricensi, qui de ejusmodi titulo cum eo contendebat, confirmata fuit. *Wilkins*, Tom. I. pag. 324.

Concilium Romanum, an. 1072.

Celebravit Alexander II. concilium hoc, in eoque Godefriddum Castellionensem qui Mediolanensis Archiepiscopus erat anathemate perculit. *Pagius*.

Concilium Pragense, an. 1073.

In hoc concilio Jaromirus, Pragensis Episcopus a Rodulpho, Gregorii VII. legato depositus fuit. *Mansi*, Tom. I. col. 1400.

Concilium Rothomagense, an. 1073.

Concilium hoc coram Rege Guillelmo, super tumulto qui in S. Ovenii Ecclesia contigerat, eodem anno, 24. Augusti die, celebratum fuit. *Mabillonius, Annal. Bened.* Tom. V. pag. 68. *Novus Tractatus de re diplomatica*, Tom. IV. pag. 453. Adnotatione I.

Concilium Cabilonense, an. 1073.

Gerardus, Ostiensis Episcopus & sanctæ Sedis legatus, 19. Octobris die, hanc synodum habuit. In ea Hugo, Lugdunensis Ecclesiæ cubicularius, Lancelinio, Diensi Episcopo, ob crimina deposito substitutus fuit. *Gallia Christ.* Tom. IV. pag. 885.

Concilium Pictaviense, an. 1074.

Habuit idem legatus, Januarii die 13. concilium hoc. In eo Eucharistiæ negotium tam vehementi animorum contentione discussum est, ut Berengarius qui aderat, quique Christum Dominum in eo Sacramento reapse præsentem negabat, se ibidem necandum crederet. Pagius qui hoc concilium ad an. 1075. refert, & conciliorum editores qui eumdam secuti sunt, non animadverterunt Gerardum, sanctæ Sedis legatum an. 1074. Romam regressum esse.

Concilium Erpfordiense, an. 1074.

Sigefriddus, Archiepiscopus Moguntinus, habuit Octobri mense concilium hoc. Turbarum in hoc concilio non parum fuit, propterea quod Sigefriddus Romanis super continentia decretis ecclesiasticos subdere voluit, & quod etiam de Thuringia decimarum inter Regem Henricum, & Archiepiscopum Sigefriddum partitione actum est. *Hartzeim*, Concil. Germ.

Concilium Romanum, an. 1074.

Est hoc concilium ab eo aliud, quod, eodem anno, in urbe Roma a Gregorio VII. habitum fuit, & in quo super disciplina & morum reformatione canones viginti quatuor editi fuere. Synodus hæc, sub S. Andreæ festum diem habita est, ut ex Gregorii VII. ad Cunibertum, Augustæ Taurinorum Episcopum Epistola compertum fit. *Mansi*, Tom. II. col. 5.

Concilium Parisiense, an. circiter 1074.

S. Gauterius, abbas Pontisarensis, in hoc concilio male habitus fuit, quia Gregorii VII. decretum quod concubinariorum sacerdotum Missam audiri non sinebat, propugnandum susceperat. *Mansi*, *Ibid.*

Concilia Romana, an. 1075.

Summus Pontifex Gregorius VII. an. 1075. habuit Romæ concilia duo; primum a 24. Februarii die ad ejusdem mensis ultimam usque; alterum, eodem anno ad finem vergente. Quæ porro fuerit huic posteriori subjecta materies, ignoratur; quoad primum vero constat in eo decretum contra investituras quas vocant, & clericorum incontinentiam editum fuisse. *Reg. XXVI. Labb. X. Hard. VI.*

Concilium Sancti Maxentii, seu in Monasterio S. Maxentii, in Pictaviensi Provincia, an. 1075.

Concilium hoc quod *apud Cænobium S. Maxentii* habitum legitur, incesti matrimonii solutionem propositam habuit. *Mansi*, Tom. II. col. 13.

Concilium Anglicanum generale, an. 1075.

Huic concilio Lanfrancus, Archiepiscopus Cantuariensis præfuit. In eo statutum, mulieres & virgines quæ ad monasteria confugerant, & velum sumpserant, ut se a Normannorum insultibus in tuto ponerent, ad seculum, civilem scilicet societatem redire posse. *Wilkins*, Tom. I. pag. 362.

Concilium Moguntinum, an. 1075.

Habitum fuit Octobri mense concilium hoc. In eo Gregorii VII. in clericos concubinarios decretum enuntiatum fuit. *Reg. XXVI. Labb. X. Hard. VI.*

Concilium Spalatense, an. 1075.

Girardus, Episcopus Sipontinus, & sanctæ Sedis legatus concilium hoc Novembri mense celebravit. In eo edita decreta plura ad disciplinam spectantia, quæ

ad nos

ad nos uſque non pervanerunt. *Allemanius, Kalend. ant.* Tum. IV.

Concilium Beneventanum, an. 1075.

In favorem abbatiæ S. Sophiæ coactum fuit concilium hoc. *Reg. XXVI. Labb. X. Hard. VI.*

Concilium Pictavienſe, an. 1075.

Hæc ſynodus in Berengatium babita fuit. *Labb. X. Hard. VI.*

Concilium Santonenſe, an. 1075.

Ad confirmationem fundationis abbatiæ Sancti Stephani Vauxienſis hæc habita ſynodus. *Manſi*, Tom. II. col. 17.

Concilium VVormatienſe, an. 1076.

Rex Heuricus IV. hoc concilium habari juſſit. Cardinalis Hugo, a Gregorio VII. ob depravatos mores, & tamquam ſimoniacorum fautor damuatus cœtui præfuit. In eo dapoſitus Papa ipſe, cujus depoſitioni univarſum concilium ſubſcripſit; idque Rex per apiſtolam Longobardiæ & Marchiæ Auconitauæ Epiſcopis, adeoque Papæ ipſi ſignificavit. *Ibid.*

Concilium Romanum, an. 1076.

Concilium boc Gregorius VII. prima Quadrageſimæ bebdomada celebravit. In eo Rax Heuricus IV. excommuuicatus fuit, ragnoque ſpoliatus, atque adeo ejus ſubditi a fidelitatis jurajurando abſoluti. Tum primum ejuſmodi ſentantia in ſupremum Principem prouuntiata eſt. Epiſcopos quoque plures Papa in boc concilio vel ab officio ſuſpendit, val axcommunicationi ſubdidit. *Ibidem.*

Concilium Vintonienſe, an. 1076.

Lanfrancus, Cantuarienſis Archiepiſcopus habuit Peutecoſtes feſtis diabus concilium boc, poſt illud ſcilicet, quod eodem auno, eademque in urbe celebraverat. In hoc quo de loquimur poſteriore ſancitum fuit, ut nullus omnino canonicus conjugatus aſſat, presbyterique qui in turibus aut oppidis degerent, uxores, ſiquidem haberent, daſerere nōu cogerentur, at, ſi minus haberent, conjugem ſumera non ſinerentur, ac deincaps nec prasbytari, nec diaconi initiarautur, quin continentiam prumittere juberentur. *VVilkins*, Tom. I. pag. 367.

Concilium apud Oppenheim, ſeu Oppenheimenſe, an. 1076.

Fuit bic mixtus quidam cœtus, Oppenbelmi Moguntiam inter & Wormatiam habitus, in quo lagati cum pluribus Saxonum Svavorumque principibus viris novum Germaniæ Ragem, in Henrici IV. locum, eligere ſtatuaruut. Concilium axcidit, evauuitque, quia Svevi & Saxones, e ſua utriqua uatione, regem volebant. Diſſentientes animos ſedavit Henricus, promittens ſe injurias quas iis intulerat, reparaturum, & a Romano Pontiſice, intra proximum Februarium menſem, abſolutionem impetraturum. *Manſi*, Tom. II. col. 19.

Concilium Triburienſe, an. 1076.

Fuit & bic mixtus cœtus, 16. Octobris die prope Moguntiam habitus, in quo Legati cum Germaniæ pluribus principibus viris, ac nonuullis Epiſcopis Henricum iterum deponare vulueruut. Hæc iterata molimina eum taudem impularant, ut in Italiam pergeret, & ſe a Papa abſolvendum curarat. Ac reapſe, 25. ſeu 28. Januarii die an. 1077. a Pontiſice abſolutionem ſuſcepit, duriſſimis conditionibus quæ in cauſa fueruut. ut quindacim poſt diebus quam iuierat, conventionem diſrumperet. *Reg. XXVI. Labb. X. Hard. VI.*

Concilium Salonitanum, in Dalmatia, an. 1076.

Sanctæ Sedis legati coegeruut, Octobri menſe, concilium boc; in quo Demetrium, alıter Zuonimirum dictum, Dalmatiæ Regem coronaront. Princaps proinde bic ſe anuui tributi titulo duceutos nummos aureos. Byſantinos dictos ſanctæ Sedi ſoluturom recepit. Iidem legati, ſuperiore anno, concilium aliud in eadem urbe celabraverant. In hoc abſolutus ſchiſmaticus presbyter, Ulius Galſanaus nomine. *Manſi*, Tum. II. cul. 12. & 18.

Ricard Concil. Supplem. Tum. V.

Concilia Scotica, an. 1076.

Refert Mauſius ad hunc auuum nonnulla concilia in Scotia celebrata, operam dauta Margarita, ob ſanctitatem celebri Principe, nepte Edmundi, cognomento Coſtæ-ferreæ, Regis Angliæ, & Malcolmi III. Scotiæ Regis conjuga. Mandarunt concilia hæc, ut Quadrageſimala jejuuium a feria quarta Cinerum incboaratur, ut Dominicis diebus a ſervilibus operibus abſtineretur, &c. *Manſi*, Tom. II. col. 23.

Concilium Divionenſe, an. 1077.

Concilium boc ſub Julii menſis finem habitum fuit. In eo dapoſiti clerici ſimoniaci, ſuamque in ſedem reſtituti alii. *Edit. Venet.* Tum. XII.

Concilium Auguſtodunenſe, an. 1077.

Legatus Hugo Dienſis, Auguſti die 10. ſynodum hauc celebravit. In aa Manaſſes, Remenſis Archiepiſcopus, de ſimonia, deque Remenſis hujus archiepiſcopatus uſurpatione accuſatus ab officio ſuſpenſus fuit. In eadem ſynodo de aliis etiam uonnullis Gallicarum Epiſcopis latum judicium aſt; & quidam laicus, nomine Ragiuardus, a Monte-Sancto-Joanne, reſtituit, quod Auguſtodunenſi Eccleſiæ ſuſtulerat. *Hard.* Tom. VI. *Manſi*, Tom. II. cul. 25.

Concilium Anſanum, prope Lugdunum, an. 1077.

De hoc concilio vida *Labb.* Tum. X. *Hard.* Tom. VI.

Concilium Clermontienſe, ſeu Clurmontienſe, ſeu Clarimontienſe, in Alvernia, an. 1077.

De hoc quoque coucilio vidā *Baluz.* Tom. VI. Miſcellaneorum, *Manſi*, Tom. II. cul. 27.

Concilium VVeſtmonaſterienſe, an. 1077.

Propoſita babuit concilium hoc uegotia plura, ad Eccleſiam ſpectautia quæ nequaquam peculiariter expoſita comperiuntur. *VVilkins*, Tom. I. pag. 367.

Concilium Biſuldinenſe, an. 1077.

Amatus, Papæ lagatus, & Epiſcopus Oleronenſis, tres alii Epiſcopi & abbates plures huic concilio interfuere, quod, ſexta Decembris die, in oppido Biſuldinenſi, ad Catalauuiam ſpectante calebratum fuit. In eo Guifriddus, Archiepiſcopus Narbonenſis, una cum ſax abbatibus, ob ſimoniæ crimen dapoſitus fuit. *Edit. Venet.*

Concilium Londinenſe, an. 1078.

Lanfrancus, Archiepiſcopus Cautuarienſis, huic concilio præfuit. In eo mandatum, ut aliquæ ſedes epiſcopales quæ in pagis & vicis adarant, in urbes transferrentur; quod urbibus Bathonienſi, Lincolnienſi, Exonienſi, Ceſtrienſi, Ciceſtrienſi epiſcopalium urbium dignitatem comparavit. In eodem etiam dapoſitus S. Wulſtanus, Epiſcopus Worcbeſtrienſis, inſcitiæ objectæ cauſa, re autem vera, prout fama erat, quia Guillelmus Rex Normanuum quemdam et ſuffectum volebat; quod tameu locum uon babuit, ſi Polydoro Virgilio fides, qui ſuæ *Hiſtoria* lib. IX. pag. 158. memoriæ prodit S. Wulſtanum, pontificalia indumenta exuere juſſum, ſe ad regem vartiſſe, atque ita locotum eſſe. „ ea mibi Rex dedit te melior, ei„ demque reddam. “ Cucurrit eodam tempore S. Præſul ad Regis S. Eduardi ſepulcrum, qui eum ad epiſcopatum evexerat, ibi pontificales veſtes depoſuit, & pontificium pedem eo uſque in ſepulcri petram injecit, ut retrahi omuino non poſſet; quod in cauſa fuit, ut Rex Guillalmus, & Archiepiſcopus Sanctum Wulſtanum etiam atque etiam rogarant, obſecrarentque, ſuam ut ſedem ſuaque pontificalia ornamenta reciparat. *VVilkins*, Tom. I. pag. 367.

Concilia Romana, an. 1078.

Duo Romæ concilia Gregorius VII. hoc anno habuit; uuum quidem, Quadrageſimæ hebdomada prima, cui ducenti circiter Epiſcopi interfuere. In eo pronuntiatæ rurſus excommunicationes numero plures; at Papa ipſe perſpiciens ob multitudinem executionis

expertes esse; per decretum die 3. Martii editum, earumdem usui modum adhibuit. Statutum, in eodem concilio, ut legati in Germaniam mitterentur, generalis cœtus habendi causa, qui judicare posset utra damum a parte, ab Henrico ne Rege, an a Rodulpho, Sueviæ Duce, justitia constaret.

Concilium alterom Novembri mense celebratum fuit. In eo Berengarius fidei professionem emisit, & ad proximum concilium usque prorogationem obtinuit. In eodem Constantinopolitanus Imperator, Nicephorus Botoniates, aliique plures anathemate perculsi; utilesque etiam nonnullæ sanctiones editæ. *Reg. XXVI. Labb. X. Hard. VI.*

Concilium Armoricanum, seu Britanniæ Armoricæ, an. 1079.

Legatus Amatus, Oleronensis Episcopus, hoc concilium habuit. Ejus Patres abusui refragati sunt, qui in Inferiore Britannia dominabatur, ut publici peccatores qui in suis criminibus persistebant, absolverentur. *Ibid.*

Concilium Romanum, an. 1079.

Habuit Gregorius VII. Februario mense concilium hoc, centum quinquaginta Episcopis adsistentibus. In eo Berengarius Ecclesiæ super Eucharistia fidem professus est, & in Galliam reversus, eam de scripto impugnavit. Ad allatas de Germania ab Henrico Rege per vim divexata querimonias, eo Summus Pontifex legatos misit. *Ibid.*

Probat Mansius ex Saxonico annalium scriptore eumdem Papam in urbe Roma, hoc ipso anno, aliud præterea concilium coegisse; superqua eadem re, nempe, super Regum Henrici & Rodulphi diffidiis. *Mansi*, Tom. II. col. 33.

Concilium Censiense, seu ad S. Genesium, an. 1079.

Habitum fuit concilium hoc ad S. Genesium, in Lucensis in Italia urbis territorio, super cathedralis, in eadem urbe Luca, Ecclesiæ canonicis, qui communem vitam, prout S. Leo IX. iisdem mandaverat, agere recusabant. Hi ergo canonici, cum in S. Anselmum qui eorum Episcopus erat, & in concilii ante aliquod tempus Romæ habiti decreta insurrexissent, excommunicationi in hoc concilio perculsi fuerunt. *Mansi*, ibid.

Concilium Romanum, an. 1080.

Concilium hoc Gregorius VII. Martii die 7. celebravit, post Henricum, Januarii die 27. commisso prælio, a Rodulpho devictum qui excommunicatus regnoque depositus fuit, dum Rodolphus in hoc concilio verus genuinusque Rex renuntiatus fuit. In eo etiam iterata interdictio, ne investituræ quas nuncupant, reciperentur aut conferrentur; atque in Tedaldum Mediolanensem, Guibertum Ravennatensem, nonnullosque alios Episcopos, inque Normannos qui Ecclesiæ in Italia prædia vastabant, anathemata renovata. *Reg. XXVI. Labb. X. Hard. VI.*

Concilium Ultrajectense, an. 1080.

In hoc concilio, Regis Henrici IV. fautores excommunicationem in Summum Pontificem Gregorium VII. pronuntiarunt. *Concil. Germ.* Tom. II.

Concilium Moguntinum, an. 1080.

Ejusdem Regis fautores in hoc concilio Gregorium VII. ejusque asseclas omnes damnarunt, confirmaruntque Antipapæ Guiberti electionem quæ 25. Junii die in quam feria quinta inciderat, in concilio Brixanii in Tirolensi Comitatu celebrato peracta fuerat. Erat Guibertus Ravennæ Episcopus, cum Papa electus fuit; & se Clementem III. dictum voluit. *Concil. German.* Tom. III.

Concilium Wirtzeburgense, an. 1080.

Hoc in concilio Henricus IV. Imperator Ecclesiæ conciliatus fuit, at non in solium restitutus. *Edit. Venet.* Tom. XII. *Concil. Germ.* Tom. II.

Concilium Burgense, in Castella veteri, an. 1080.

Cardinalis Richardus, S. Victoris Massiliensis abbas, & sanctæ Sedis Legatus, concilium hoc celebravit. In eo Rex dominus Alphonsus IV. statutum voluit, ut in Hispania Romanum officium Gothico substitueretur. Cum porro decretum hoc turbarum multum in regione excitasset, id demum convenit, ut id negotii per singulare certamen inter duos equites finiretur, quorum unus a Gothico officio staret, a Romano alter. Certaminis fausta sors a Gothici pugnatore fuit; at Rex in consilio perstitit, & Romanum officium prævaluit. Concilium hoc Ferreras ad an. 1077. refert; at illud an. 1080. pertinere probat Pagius. *Ars purgandi temporum notas*, pag. 207.

Concilium Avenionense, an. 1080.

Concilium hoc coegit Cardinalis Hugo, Diensis Episcopus & sanctæ Sedis legatus. In eo Achardus, Arelatensis sedis invasor, depositus, & Gibelinus in ejus locum electus fuit. In eodem quoque Lantelmus ad Embrodunensem archiepiscopatum, Hugo ad episcopatum Gratianopolitanum, & Diderius ad Cavallionensem episcopatum evecti fuere; eos legatus Romam duxit, ubi a Summo Pontifice sacrati sunt.

Concilium Lugdunense, an. 1080.

Hæc synodus Manassem impetiit, qui in Remensem Ecclesiam intrusus fuerat. Nimirum Hugo, Diensis Episcopus & sanctæ Sedis legatus sententiam, in hoc concilio, confirmavit, & Manassem deposuit. *Ibid.*

Concilium Senonense, an. 1080.

Hujus concilii acta non amplius extant. *Ibidem.*

Concilium Meldense, an. 1080.

In conciliorum vulgaribus Collectionibus legitur an. 1080. Meldis habita synodus, in qua Arnoldus Suessionensi episcopatui præfectus fuit; itemque, anno 1082. synodus altera, in qua Robertus Metensis Episcopus initiatus; at Mansius ex his duobus conciliis unum tantummodo conficiendum probat, quod an. 1082. habitum fuit, quoniam veteres scriptores unius tantum concilii, eo quidem tempore, Meldis habiti meminerunt. Addenda est hujus Meldensis concilii actis charta per quam comes Guarinus Sanctæ Margaritæ Ecclesiam abbatiæ Cluniacensi largitur. *Mansi*, Tom. II. col. 53.

Concilium Lingonense, an. 1080.

Ecclesiasticorum bonorum per seculares homines investituras, ut vocant, hæc synodus impugnavit. *Labb. X. Hard. VI.*

Concilium Santonense, an. 1081.

Concilium hoc in vulgaribus Collectionibus an. 1080. collocatum occurrit; at illud ad an. 1081. remittendum probat ex eo Mansius, quod Gregorii VII. litteræ quibus Pontifex suis in Britannia legatis negotii quod concilio causam præbuit, discussionem demandat, an. 1080. Martio mense datæ sunt, & Santonensi concilio in quo legati negotium ad exitum perduxerunt, Januarius mensis adscriptus est; quod non nisi de mense Januario anni 1081. intelligi potest. Agebatur autem de metropolis in inferioris seu minoris Britanniæ episcopatus jura, de quo Dolensis Ecclesia cum Turonensi contendebat, quodque, in hoc concilio, posteriori Ecclesiæ adjudicatum fuit. *Mansi*, Tom. II. col. 41.

Concilium Romanum, an. 1081.

Die 4. Maji Gregorius VII. concilium hoc celebravit. In eo rursus Regem Henricum cum omnibus ejus fautoribus anathemate perculit, ac depositionem in Arelatensem & Narbonnensem Archiepiscopos pronuntiatam confirmavit. *Reg. XXVI. Labb. X. Hard. VI.*

Concilium Exolidunense, Bituricensi haud procul urbe, an. 1081.

Habitum fuit 18. Maji die concilium hoc, & legati duo, Hugo Diensis, & Amatus Oleronensis ei præfue-

fuerunt. In hoc concilio excommunicati Exoliduneses clerici, propterea quod legatorum quos modo diximus, posteriorem haud, processionis in modum, receperant. *Labb. X. Hard. VI.*

Concilium Carrofum, seu *Carrofium*, *an.* 1081.

S. Maxentii Chronicon, ex quo hoc concilium habemus, nihil aliud nobis innuit, quam consecratum altare in Carrafiensi monasterio, e S. Benedicti Ordine, ad superioris Pictaviensis & Bituricensis provinciarum fines, in Pictaviensi diœcesi. In eo tamen etiam Boson Pictaviensis Episcopus depositus fuisse creditur. Hoc concilium ad an. 1081. nonnulli referunt, ad 1082. alii. *Reg. XXVI. Labb. X. Hard. VI.*

Concilium Meldense, *an.* 1082.

In hoc concilio de Roberti Episcopi ordinatione actum est. *Ibid.*

Concilium Oxellense, *prope Rothomagum*, *an.* 1082.

Synodus hæc super Rothomagensis Archiepiscopi & Fontanellensis Abbatis dissidio versata est. *Bessinius.*

Concilium Romanum, *an.* 1083.

In hoc concilio summus Pontifex Gregorius VII. eos omnes excommunicationi subdidit, qui Regem Henricum, ne Romam accederet, impedierant.

Concilium Romanum, *an.* 1084.

Henricus Rex, cum Martii die 21. an. 1084. Romam se contulisset, ibi perfecit, ut Antipapa Guibertus, Clementis III. nomine, sequenti dominica, videlicet Palmarum die, ad Petri solium extolleretur, ex ejusque manibus, Paschatis die, imperiale diadema susceperit, cum interim Gregorius VII. in arce sancti Angeli dicta detineretur. At illinc a Roberto Guischardo eductus Gregorius hoc concilium coegit, in quo excommunicationem in Antipapam Guibertum, in Imperatorem Henricum, & in utriusque asseclas iteravit. *Reg. XXVI. Labb. X. Hard. VI.*

Concilium Romanum, *an.* 1085.

Antipapa Guibertus Januario mense hoc pseudoconcilium habuit, in eoque excommunicationem a Gregorio VII. in Imperatorem Enricum pronunciatam nullam prorsus & irritam declaravit. Ex eo synodicam ad omnem clerum epistolam misit, ut silentio prætereamus litteras alias quas ad aliquos peculiariter Episcopos, nominatimque ad Ostiensem dedit. Putat Mansius ab hoc Antipapa ipso, superiore anno, conciliabulum aliud, coram Imperatore, habitum esse. *Mansius*, Tom. II. col. 55. & seq.

Concilium Moguntinum, *an.* 1085.

Concilium hoc a schismaticis, 29. Aprilis die, coram Henrico Imperatore, & Antipapæ Guiberti legatis habitum fuit. In eo hic Pseudo-Pontifex tamquam genuinus Papa agnitus est, & confirmata Gregorii depositio per excommunicationem in eum ejusque sectatores latam. *Labb. X. Hard. VI. Hartzeim II.*

Concilium Perstestadiense, *an.* 1085.

Concilium hoc, seu potius hic mixtus cœtus in quodam Turingiæ loco, cui Verestadio, seu Pertestadio nomen, habitus fuit super dissidiis quæ Germaniam tum quoad Ecclesiastica, tum quoad civilia negotia in contrarias partes trahebant. *Mansi*, Tom. II. col. 65.

Concilium Glocestriense, *an.* 1085.

Concilium hoc quod tredecim dierum spatio perduravit, Lanfrancus, Cantuariensis Episcopus, Dominici Natalis die inchoavit. In eo Mauritius ad Lundoniensem, Guillelmus ad Nortfolchensem, & Robertus ad Cestriensem Episcopatus promoti fuere.

Idem Archiepiscopus alia concilia plura, eodem anno, in variis Angliæ regionibus celebravit, ut vitia eradicaret, & virtutes insereret. Inter ea numerantur concilia duo, Vintoniense unum, Londinense alterum. *Wilkins*, Tom. I. pag. 369.

Concilium Ravennatense, *an.* 1086.

Concilium hoc Antipapa Guibertus, in hujus Ravennatensis Ecclesiæ gratiam coegit. *Reg. XXVI. Labb. X. Hard. VI.*

Concilium Moguntinum, *an.* 1086.

Antipapæ Guiberti legatis præsidibus hoc concilium habitum fuit. In eo confirmata super Ecclesiæ statu decreta plura. Imperator Henricus Wratislaum, in hoc ipso concilio, Boemiæ & Poloniæ Regem instituit, atque Egilberto, Trevirensi Archiepiscopo in mandatis dedit, ut eum in urbe Praga Regem sacraret coronaretque. *Mansi*, Tom. II. col. 69.

Concilium Capuanum, *an.* 1087.

Martii die 21. concilium hoc habitum fuit. Desiderius, e Capuensium Ducum familia, Presbyter-Cardinalis, Abbas Montis Cassini, in eo tandem Papatum accepit, ad quem, 24. Maji die an. 1086. suis ingratiis electus fuerat, quemque, ex urbe Roma ad Montem Cassinum fugiens, recusaverat. Præsulum demum Principumque, qui una cum eo ad Capuanum concilium convenerant, precibus sollicitatus victusque consensit, ut die 9. Maji an. 1087. consecraretur, & Septembris die 16. ejusdem anni in Montis Cassini cœnobio e vivis excessit. *Reg. XXVI. Labb. X. Hard. VII.*

Concilium Beneventanum, *an.* 1087.

Summus Pontifex Victor III. Augusto mense concilium hoc celebravit, in eo cum anathemate Guibertum deposuit. In eodem Hugonem quoque Lugdunensem, & Richardum, Massiliensem Abbatem, ejus fautores excommunicationi subdidit. In hoc ipso denique concilio investituras damnavit, anathematis indicta pœna, omnibus concilii Patribus consentientibus. *Ibid.*

Concilium Fuselense, *an.* 1088.

Fuselensis, prope Palentiam, in Hispania, concilium hoc Richardus, S. Victoris Massiliensis Abbas, & Urbani II. legatus coegit. In eo notati diœcesium Burgensis & Oxomensis limites. *Pagius.*

Concilium Burdegalense, *Mediolani Santonum*, *an.* 1088.

Concilium hoc pro Abbatia S. Maxentii celebratum fuit. *Gallia Christ.* Tom. II. pag. 806.

Concilium Romanum, *an.* 1089.

Romanus Pontifex Urbanus II., 115. Episcopis adsistentibus, concilium hoc celebravit, confirmavitque in eo suorum decessorum statuta. Guibertus Roma pulsus, Ravennam rediit. „ Animadversione dignum „ est, inquit doctus Benedictinus, auctor *Artis purgandi temporum notas*, post Brixenensem cœtum, „ in quo Antipapa creatus fuit, eum non destitisse „ se Guibertum, Ravennæ Archiepiscopum nominare „ in suis chartis omnibus, una tantum excepta, in „ qua Clementis nomen sumit; & quod etiam majoris momenti est, ampliusque singulare, chartæ in „ quibus se ipse Guibertum nuncupat, Clementis Pontificatu inscriptæ sunt, perinde ac si Guibertus & „ Clemens duo peculiares distinctique homines essent ". Concilium hoc super variis consanguinitatis gradibus versatum est. *Reg. XXVI. Labb. X. Hard. VII.*

Concilium Santonense, seu *Mediolani Santonum*, *an.* 1089.

Habita est hæc synodus, ut Burdegalensi Ecclesiæ Archiepiscopus tribueretur.

Concilium Tolosanum, *an.* 1090.

Concilium hoc legati verno tempore celebrarunt, adsistentibus plurium provinciarum Episcopis, & nominatim Bernardo, Archiepiscopo Toletano, cum ab urbe Roma in Hispaniam rediret. In eo correcti abusus plures, & Toletum missa legatio, ut ibi religio restitueretur. *Gallia Christ.* Tom. VI. pag. 41.

Conci-

Concilium Tolosanum, *an.* 1090.

Concilium hoc male prafert in quibusdam Collectionibus Toloseni concilii nomen. In eo editæ quoad disciplinam sanctiones aliquæ super ceremoniarum ad Toletani Archiepiscopatus ceremonias spectantium reformatione. *Reg. XXVI. Labb. X. Hard. VI.*

Concilium Biterrense, *an.* 1090.

De Ecclesiæ bonis egit concilium hoc. *Martenne*, Thesauri Tom. IV.

Concilium Narbonense, *an.* 1090. & 1091.

Fuit Grassensi Abbatiæ concilium hoc, & simoniam impugnavit. Concilio huic hæ temporis notæ adscriptæ leguntur: *Factum est hoc anno Domini MXC. XIII. Kal. Apr. regnante Ludovico*. Quia tum quidem in Occitanis annus a Paschate inchoabatur, 19. Martii dies anni 1091. ex usu qui apud nos obtinet, in ejus provinciæ computatione, ad an. 1090. pertinebat. Quoad principis *Ludovici tunc regnantis* nomen, est hic amanuensis error, a quo positus, Philippi primi loco, Ludovicus cognomento Grossus, ejus filius, tametsi nondum in regni societatem receptus esset, *Domnus Vaissete*; & auctor *Artis purgandi temporum notas*,

Concilium Legionense, *an.* 1091.

In hoc concilio mandatum est, ut Ecclesiastica officia in Hispaniis a S. Isidori regula celebrarentur; & in posterum Scriptores gallensi scriptura, gothicæ loco, in Ecclesiasticis actis omnibus uterentur. *Labb. X. Hard. VII.*

Concilium Rothomagense, *an.* 1091.

Hæc synodus ad Sagiensis Episcopi electionem habita est. *Bessinius*.

Concilium Stampense, *an.* 1091. *seu* 1092.

In hoc concilio Richerius, Archiepiscopus Senonensis, Yvonem Carnotensem deponere voluit, in ejusque sedem Geofriddum restituere voluit; at id locum non habuit, propterea quod appellationem ad Papam Yvo interposuit. *Labb. X. Hard. VII.*

Concilium Remense, *an.* 1092.

Rainaldus de Martiniaco, Remensis Archiepiscopus, hoc habuit concilium, quod Robertum, Frisonem dictum, Belgii comitem adegit, ut Clericorum, cum e vita migrassent, successione potiri desineret. In eo recepta est Urbani II. Bulla quæ Atrebatensi clero eam facultatem tribuebat, ut ipse sibi Episcopum daret. Ecclesia hæc ex longo tempore Cameracensi conjuncta erat. Cum ergo Atrebatensis clerus ad Remensem Archiepiscopum confugisset, rogans, ut Lambertum quem clerus ipse suæ Ecclesiæ Episcopum elegerat, consecraret; Archiepiscopus futurum providens, ut Cameracensis clerus huic consecrationi refragaretur, nihil definire voluit nisi in alio concilio quod eodem anno super hoc negotio Remis habuit, & ad quod Atrebatensem clerum vocavit per epistolam quam post Baluzium, *Miscellan.* Tom. V. pag. 150. affert *Mansius*, *Supplem.* Tom. II. col. 89.

Concilium Szabolchense, *an.* 1092.

Szabolchi in Rigensi comitatu, ad Hungariam spectante Seraphinus, Archiepiscopus Strigoniensis, concilium hoc celebravit. Ei Rex Ladislaus adfuit; atque ex condicto cum hoc Principe, virisque nobilibus, Ecclesiasticorum & civilium legum quasi corpus, in tres libros distinctum in eodem confectum est. *Petarfy*, *Concil. Hung.* Tom. I. *Mansi*, Tom. II. col. 93.

Concilium Parisiense, *an.* 1092.

Super Abbatia S. Cornelii Compendiensis hæc synodus versata est. *Labb. X. Hard. VII.*

Concilium Trojanum in Apulia, *an.* 1093.

Coegit concilium hoc Urbanus II. 11. Martii die, septuaginta quinque circiter Episcopis & Abbatibus duodecim cœtum constantibus. In eo de conjugiis inter consanguineos factus sermo, & *Tregua Dei* confirmata. Concilium quo de loquimur, ad an. 1089. in vulgaribus Collectionibus invenitur.

Concilium Cantuariense, *an.* 1093.

Concilium hoc ex omnibus Angliæ Episcopis constitit, & 4. Decembris die celebratum fuit. Sanctus Anselmus in eo Cantuariensis Archiepiscopus consecratus fuit; & ad Thomæ, Eboracensis Episcopi significationes correctum in eodem fuit electionis decretum, in quo Cantuariensis Ecclesia totius Angliæ metropolis appellabatur, primatialis vocabulo in metropolis locum posito. *Wilkins*, *Angl. I.* pag. 370.

Concilium Rokkingamiense, *an.* 1094.

Habitum fuit concilium hoc diebus 11. & 12. Martii, in Rokkingamiensi Angliæ oppido, Regis Guilelmi II. cognomento Rufi jussu. Universa propemodum regni nobilitas cum Episcopis & secundi ordinis clero huic cœtui interfuit. In hoc concilio agitata est adeo per id temporis, & in eo quidem regno celebris quæstio: videlicet, an Archiepiscopus Anselmus tereno Regi fidem servare posset, salva & incolumi remanente observantia & obedientia quam sanctæ Sedi debebat. Definitum fuit a synodi patribus, sancto Anselmo contra sentiente, præsulem hunc, absque regis consensu, nec Romano Pontifici Urbano II. fidem obstringere, nec pallium ab eo petere posse, quia is princeps eum nondum tamquam Papam agnoverat, *Angl. I.* pag. 371.

Concilium Remense, *an.* 1094.

Tres Archiepiscopi, & octo Episcopi interfuere concilio huic quod 17. Septembris die, Philippi I. Gallorum Regis jussu, habitum fuit. Princeps hic an. 1092. Bertham conjugem, Florentii I. Hollandiæ comitis filiam repudiaverat, e qua filios quatuor susceperat, & Bertradam, Fulchii, Rechinii dicti comitis Andegavensis uxorem duxerat. Bellovacensis Episcopus hanc scandali plenam consociationem benedictione firmare ausus est. Eam Yvo Carnotensis vehementer damnavit, eumque in carcerem conjecit Philippus Rex, qui perficere etiam voluit, ut is præsul in hoc Remensi concilio deponeretur; at Philippus, 16. sequentis Octobris die, in Augustodunensi concilio ab Hugone, Urbani II. legato anathemate perculsus fuit.

Concilium Augustodunense, *an.* 1094.

Episcopi triginta duo & Abbates numero plures hoc concilium constituunt, Hugone Lugdunensi, sanctæ Sedis legato præside. In eo renovata est in Imperatorem Henricum, & Antipapam Guibertum excommunicatio; & prima quidem vice Philippus I. Galliæ Rex, ob adulteras cum Bertharada nuptias, communione spoliatus fuit. *Reg. XXVI. Labb. X. Hard. VII.*

Concilium Moguntinum, *an.* 1094. *seu* 1095.

Ex omnibus Germaniæ Episcopis, una cum Imperii Principibus conflatum fuit concilium hoc. Ejus habendi causa quæ fuerit, ignoratur. *Ars purgandi adscripta tempora*, pag. 203.

Concilium Anglicanum, *an.* 1095.

Quadragesimæ hebdomada tertia concilium hoc habitum fuit. Qui illud constituebant, Episcopi S. Anselmum tamquam de crimine arguerunt, qui Urbanum II. sine Regis consensu summum Pontificem agnovisset. Triduum perstitit contentio, sanctusque præsul in suscepto consilio permansit. *Ibid.* pag. 209.

Concilium Northusanum, *in Thuringia*, *an.* 1095.

Rothardus, Archiepiscopus Moguntinus, concilium hoc 19. Maji die celebravit, coram juniore Rege Henrico V. qui in patrem Imperatorem Henricum IV. arma verterat. Simoniam, & presbyterorum conjugia damnavit hæc synodus; suspenditque præterea tum Episcopos qui ab Imperatore investituram susceperant, tum eos quoque, a quibus initiati fuerant. *Concil. Germ.* Tom. III.

Concilium Lemovicense, *an.* 1095.

Celebravit Urbanus II. concilium hoc 23. Decembris die. In eo actum de sacra in Saracenos crucis mili-

militia, vulgo *Craciara*; in eodemque Humbaldus de Sancto Sevaro, Episcopus Lemovicensis, depositus fuit, cujus canonica non fuerat electio, propterea quod Ademarus, Abbas S. Martialis, qui electioni adsiliandi jure gaudebat, ad eam haud appellatus erat. *Labb. X. Hard. VI.*

Concilium Compendiense, *an.* 1095.

Rainaldus, Remensis Archiepiscopus, hoc concilium coegit, ut testatur ejus ad Lambertum, Atrebatensem Episcopum epistola. In eo excommunicatus Hugo de Iuciaco, Cameracensis Ecclesiæ persecutor. *Mansi*, Tom. II. col. 143.

Concilium Santonense, *an.* 1096.

Habuit Urbanus II. 2. Martii die concilium hoc. In eo mandatum, ut in omnibus vigiliis, festos Apostolorum dies antevertentibus jejunaretur. *Labb. X. Hard. VII.*

Concilium Turonense, *an.* 1096.

Idem summus Pontifex Quadragesima hebdomada tertia hoc concilium coegit. In eo confirmata sunt Clermontiensis concilii decreta, recusavitque summus Pontifex Philippum Regem absolvere, quamvis Episcoporum pars id postularet. Concilium hoc & superius annum 1095. praferunt, e Gallorum usu, qui tum quidem annum a Paschate inchoabant. Deceptus est igitur Abbas Langletius, dum in suis chronologicis Tabellis Philippum Regem in hoc Turonensi concilio absolutum asseruit; cum sane solum in Nemausensi, eodem anno, sub Julii mensis initium habito, postquam se Berthradam relicturem promisarat, absolutus fuerit. Eam reapsa deseruit; at insequenta anno 1098. eadem recapta, rursus an. 1100. in Pictaviansi concilio excommunicatus fuit. *Reg. XXVI. Labb. X. Hard. VII.*

Concilium Hiberniense, *an.* 1097.

Ex hoc Hibernia concilio superest nobis epistola, Regis Murcherrachii, cleri popolique hujus insulæ nomine ad S. Anselmum, Cantuariensem Episcopum scripta, qua rogabatur, ut Waterfordiensem Ecclesiam in Episcopatum erigaret *Labb. X. Hard. VII. Anglis. I.*

Concilium Remense, *an.* 1097.

Manasses II. Remensis Archiepiscopus hanc synodum celebravit. In ea damnatus Robertus, S. Remigii Abbas, ut Abbati Marmutariensi, cujus monachus fuerat, obedientiam præstare pergeret. Cum porro ab hoc judicio Robertus ad Urbanum II. Romanum Pontificem appellasset, pronuntiavit Pontifex monachum ex Abbatia eductum, ut alteri præficeretur, non amplius ad primum pertinere, & loci monachum, cujus Abbas erat, evadere. *Mansi*, *Suppl.* Tom. II. col. 147.

Concilium Gerundense, *an.* 1097.

Terraconensis Archiepiscopus, tribus Episcopis adsistentibus, 13. Decembris die, hanc synodum habuit. In ea rationes initæ, quibus ecclesiastica libertas sarta tectaque servaretur. *Labb. X. Hard. VI.*

Concilium Romanum, *an.* 1098.

Cardinales octo, Episcopi quatuor, itemque presbyteri quatuor schismatici hoc conciliabulum habuerunt, Antipapæ Guiberti absentiæ tempora. Epistolam scripsere, 7. Augusti die datam, quam omnes catholici contempserunt. *Ars purgandi temporum notas*. pag. 209.

Concilium Barlense, *an.* 1098.

Summus Pontifex Urbanus II. concilium hoc, prima Octobris die, centum octuaginta tribus Episcopis adsistentibus, celebravit. S. Anselmus, Archiepiscopus Cantuariensis qui se Romam contularet, in hoc concilio ex rationum vi Spiritum Sanctum a Patre & Filio procedere ostendit, ut omnium concilii Patrum unanimi consensione in eos omnes qui id negarent, anathema pronuntiaretur. Idem S. præsul per preces impedilt, ne Angliæ Rex, ejus persecutor, excommunicationi subderetur. Lupus Protospata, & Barii chronographus concilium hoc ad an. 1099. referunt, quia annum a prima Septembris die inchoabant, perinde ac Græci qui eidem concilio aderant, cui quidem eorum cum Latinis conciliatio causam præbuerat. Vulgares Collectores illud an. 1097. collocant. *Reg. XXVI. Labb. X. Hard. VII.*

Concilium Burdegalense, *an.* 1098.

Amatus, Archiepiscopus Burdegalensis concilium hoc una cum Auxiensi Episcopo, aliisque compluribus præsulibus & Abbatibus celebravit. In eo S. Petri Marestaisensis Ecclesia Abbati S. Joannis de Angeriaco, præ Abbate S. Maxentii adjudicata fuit. *Gall. Christ.* Tom. II. pag. 276. *Mansi*, Tom. II. col. 153.

Concilium Lugdunense, *ad Petram-Incisam*, *an.* 1098.

Auctor *Gallia Christiana*, Tom. IV. pag. 107. & 888. memorat concilia duo Lugduni habita, unum hoc anno, & sequenti an. 1099. alterum. Verum seu distinguenda sint hæc duo concilia, seu ad unum idemque redigi debeant, admodum probabile sit, de alterutro, seu de vero tantum intelligi oportere hunc P. Mansii textum, Tom. II. col. 175. *Concilium incerti loci in Gallia, in causa Rabodi Nevismensis Episcopi, de simonia accusati, ab Hugone Lugdunensi, A. S. L. circa annum* 1099. *celebratum*.

Concilium Romanum, *an.* 1099.

Urbanus II. 150. Episcopis stipatus, e quorum numero S. Anselmus Cantuariensis erat, 25. Aprilis die, hebdomada tertia post Pascha, concilium hoc celebravit. In eo 18. canones editi quorum priores undecim e Placentinis canonibus ad verbum exscripti sunt. Pronuntiata deinde est in laicos omnes excommunicatio, qui Ecclesiarum investituras conferebant, itemque in Ecclesiasticos qui eas recipiebant. Vetitum porro quicquid simoniam sapit, & peculiariter, ne quod munus ob Episcoporum ordinationem exigatur. Mandatum etiam, ut fideles singulis feriis sextis ad suorum peccatorum expiationem jejunent. *Reg. XXVI. Labb. X. Hard. VI.*

Concilium Hierosolymitanum, *an.* 1099.

In hoc concilio Theodebertus, Archiepiscopus Pisanus, & sanctæ Sedis legatus, Hierosolymitanæ Ecclesiæ Patriarcha, in Arnoldi usurpatoris locum, institutus fuit. *Ibid.*

Concilium Stampense, *an.* 199.

Concilium hoc super disciplina versatum est. *Hard. VII. ex Yvone Carnot.*

Concilium Ansillanum, seu *ad portam Ansilla*, *an.* 1099. vel *circiter*.

Hugo Lugdunensis, sanctæ Sedis legatus, habuit concilium hoc, quod mandavit, ut Robertus, Cistertiensium Abbatum primus, Molesimensibus monachis redderetur. *Mansi*, Tom. II. col. 177.

* *Concilium Lambethense*, *an.* 1100.

Sanctus Anselmus, Archiepiscopus Cantuariensis, habuit concilium hoc super conjugio quod Rex Henricus I. cum Mathilde, Malcolmi, Scotiæ Regis filia inire volebat. Erant qui ab hac cogitatione Principem avocarent, prætexentes Mathildem, ab infantia in monasterio altam educatamque, ibidem, ut ajebant, Deo a consanguineis oblatam fuisse. Ut ergo res hæc in bono lumine poneretur, coactum est hoc Lambethense concilium. Cœtui se stitit Mathildes, edixitque ac se per testes probaturam recepit se nunquam religiosæ vitæ seu suspte electione, seu consanguineorum voto adstrictam fuisse, tametsi monialium quibuscum vivebat, velum tulisset. In solemnis hujus enuntiationis executionem, post negotii maturum examen, universum concilium a conjugio stetit, quod a S. Anselmo ipso celebratum fuit. *Wilkins*, Tom. I. pag. 373.

Concilium Valentinum, *in Delphinatu*, *an.* 1100.

Celebratum fuit concilium hoc 30. Septembris die. In eo Norgaldus, Augustodunensis Episcopus, de simonia

moniæ accusatus, declaratus fuit ab omni Episcopali & Sacerdotali officio suspensus, dum Hugo Flaviniacensis, de eodem crimine insimulatus, absolutus ad suam abbatiam remissus fuit. Hallucinatus est igitur Abbas Lengletius, utrumque in suis chronologicis Tabellis simoniæ damnans. *Hard.* Tom. VII.

Concilium Melphitanum, in Apulia, an. 1100.

Paschalis II. habuit Octobri mense concilium hoc; in eo quo Beneventanam urbem excommunicationi subdidit, quæ se sanctæ Sedis obedientiæ subduxerat; at quid hoc rei fuerit, Historici non aperiunt. Idem summus Pontifex in eodem concilio duas alias Bullas edidit; unam in Moguntinæ Ecclesiæ, quæ Siciliæ urbs Episcopalis, gratiam; ad Odericum, Montis-Cassini Abbatem alteram. *Mansi*, Tom. II. col. 179.

Concilium Ansanum, an. 1100.

Hugo, Lugdunensis Archiepiscopus & sanctæ Sedis legatus, hoc concilium, sub anni finem, una cum tribus aliis Archiepiscopis, & octo Episcopis celebravit; in eoque subsidium petiit ad iter quod Hierosolymam, Papa veniam dante, acturus erat. *Gall. Christ.* Tom. IV. pag. 388.



C O N C I L I A

DUODECIMI SÆCULI.

Concilium Romanum, seu *Lateranense*, *an*, 1102.

Summus Pontifex Paschalis II. concilium hoc, mense Martio ad finem vergente, omnibus Italiæ Episcopis, pluriumque ultra montes Episcoporum reinistris adsistentibus celebravit. In eo pronuntiatum non sine jurejurando in hæreses omnes anathema, & Romano Pontifici obstricta obedientia. In eodem magis magisque confirmata quam in Imperatorem Henricum Gregorius VII. & Urbanus II. pronuntiaverant, excommunicatio; eam Paschalis, feria quinta majoris hebdomadæ, Aprilis die tertia, in Lateranensi Ecclesia, ipse enuntiavit. *Reg. XXVI. Labb. X. Hard. VII.*

Concilium Mediolanense, an. 1103.

Liprandus Presbyter in hoc concilio Petrum Grossolanum, Archiepiscopum Mediolanensem accusavit de simoniæ crimine, accusationemque per ignem se probaturum recepit, quod concilii Episcopi recusarunt; at aliquanto post a Grossolano sollicitatus, ut vel e regione egrederetur, vel exhibitam probationem ederet, inter accensos rogos duos transiit, illæsis vestibus. Læsa tamen Liprandi manus, læsusque pes suspicioni obnoxiam dubiamque probationem reddidere, nec impedierunt, quominus, Grossolanus abeundi consilium iniret. *Edit. Venet.* Tom. XII. *Muratorius, Annal.* Tom. VI.

In vulgaribus Collectionibus concilium hoc an. 1101. collocatum occurrit, at perperam; Grossolanus enim, Ughellio referente, non nisi 1102. labente anno, a Saonensi sede ad Mediolanensem migravit.

Concilium Londinense, an. 1103.

In hoc concilio Regem Henricum inter & S. Anselmum super Ecclesiarum investituris vulgo dictis quas is princeps contulerat, acriter vehementerque pugnatum est. Cum eas præsul approbare noluisset, Eboricensem Archiepiscopum jussit Rex Episcopos quos ipse in possessionem induxerat, consecrare. *Anglic. I.* pag. 384.

Concilium Massiliense, an. 1103.

Super Cluniacensis Abbatiæ privilegiis hæc synodus versata est. *Martenne, Thesauri*, Tom. IV.

Concilium Romanum, an. 1104.

Summus Pontifex Paschalis II. concilium hoc Quadragesimali tempore celebravit. In eo acriter increpitus Bruno, Trevirensis Archiepiscopus, qui ab Imperatore Henrico investituram, quæ dicitur, accepisset; at neque ipse ullam propterea objurgationem fubiit, quod eidem principi, licet a summis Pontificibus excommunicato depositoque adhæreret, & fidem servaret, itemque ne sanctos quidem Otto, super eadem re, cum is Bambergensem Episcopum, Maji die 17. an. 1103. eum consecravit. Quod argumento est Papas ipsos de Regum temporalibus rebus pro arbitratu statuendi, eorumque subditos a fidelitatis jurejurando solvendi potestatem, quam ipsi sibi tribuebant, tamquam fidei articulum non spectasse. *Labb. X. Hard. VII. Hartzeim, III.*

Concilium Trecense, an. 1104.

Richardus, Albanensis Episcopus, & sanctæ Sedis legatus, fuit hujus concilii præses. In eo Hubertus, Silvanectensis Episcopus, accusatus de simoniæ crimine, se purgavit, ecclesiæque S. Petri Trecensis, nec non Molesmensis Abbatiæ privilegia confirmata sunt. In eodem Godefriddus, Abbas Nogentanus, & ipse, licet invitus reluctansque, Ambianensis Episcopus nominatus fuit. *Reg. XXVI. Labb. X. Hard. VI.*

Concilium Balgenciacense, an. 1104.

Habuit idem legatus, 30. Julii die, cum Episcopis numero pluribus, concilium hoc, Philippo Rege & Berthrada præsentibus, qui se mutuo relicturos promiserunt, & qui non proinde tamen ab excommunicatione absoluti fuere, quæ in eos ab Hugone Urbani II. legato, atque ab hoc ipso Pontifice lata fuerat. *Reg. XXVI. Labb. X.*

Concilium Fusselense, an. 1104.

Fusselensis hæc, in Hispania, synodus coacta fuit, ut Borgensis & Oximensis diœceseon limites statuerentur. In eadem de aliis quoque nonnullis capitibus actum est. *Hard. VII.*

Concilium Pictaviense, an. 1104.

In hoc concilio de quibusdam dominiis actum est, de quibus S. Maxentii capitulum, & nonnulla monasteria inter se contendebant. *Gall. Christ.* Tom. II. pag. 343. *Append. Mansi*, Tom. II. col. 215.

Concilium Ratisbonense, an. 1104.

Habitum est concilium hoc coram Imperatore Henrico IV. & regni primoribus. In eo repressa est immodica advocatorum aviditas, statuto eorumdem stipendio. *Mansi*, ibid.

Concilium Romanum, an. 1105.

Concilium hoc Paschalis II. 26. Martii die in Lateranensibus ædibus celebravit; in eoque Mentanum comitem, ejusque socios excommunicationi subdidit, qui eum insimulabant, quasi in causa esset, ut Angliæ Rex ad propugnandas, quas nuncupant, investituras, seu possessionis actus, animum obfirmaret. Eos quoque omnes, qui eas receperant, eodem anathemate involvit. *Eadmer, Hist.* Lib. IV.

Concilium Romanum, an. 1105.

Majo mense idem summus Pontifex hoc concilium celebravit, in eoque Grossolanum in Mediolanensem sedem restituit. Nulla tamen decretum hoc executio secuta est; partis enim, quæ Grossolano adversabatur, obstacula superari non potuerunt. *Muratorius.*

Concilium Quedlimburgense, seu Northausenianse, an. 1105.

De loco in quo hoc habitum concilium fuit, non convenit inter auctores. Alii Quedlimburgum, Ger-

maniæ

maniæ in Saxonia urbem, alii Nortbausenism, in Thuringia, concilii locum fuisse arbitrantur, a posterioribus stat Mansius. Ut ut res se habeat, hebdomade ante Pentecosten synodus coacta est. Ejus patres simoniam & presbyterorum concubinatum damnarunt, Denique pacem firmarunt. Schismaticorum præterea Episcoporum depositionem statuerunt, promiseruntque fore, ut per manuum impositionem eos conciliarent, qui a schismaticorum manibus ordinationem susceperant. Rex Henricus V. qui suum in patrem, Imperatorem Henricum IV. insurrexerat, ad hunc cœtum accessit, testatus, non sine lacrymis, se sceptrum non nisi invitum repugnantemque accepisse, addeosque se illud patri reddare paratum esse, dummodo id faceret Papæ satis. *Concilia Germanica*, Tom. III.

Concilium Remense, an. 1105.

Habita est hæc synodus 2. Julii die. In ea Otto, S. Martini Turnacensis abbas, Gaucherio Cameracensi Episcopo substitutus, qui, utpote Imperatoris Henrici IV. fautor, in Clermontiensi concilio an. 1095. depositus fuerat. In sua tamen sede, quoad is Princeps vixit, Gaucherius perstitit. *Mabillonius, Annal.* Tom. V. pag. 480. *Gall. Christ.* Tom. II. pag. 273. *Acherius, Spicil.* Tom. XII.

Concilium, seu potius ordinum conventus Moguntinum, an. 1105.

Habitus cœtus hic Dominici natalis die, a Rege Henrico V. Papæ legatis, Episcopis pluribus, & quinquaginta quinque laicis dominis. In eo renovata anathemata in Imperatorem Henricum IV. Antipapam Guibertum; & utriusque asseclas pronuntiata. Imperator Henricus, in Benghemiensi oppido, ex Saxonico annalium auctore, seu Ingelhemii, ex aliis, carceri addictus ad cœtum mittit, petens, ut sibi liceat ad eum accedere. Ei nihil responsi datum, translatusque 29. Decembris die Ingelhemium conventus, quo ductus Imperator absolutionem a legatis obtinere non potuit. Ergo Benghemium reductus, unde regia ornamenta jussus ad filium mittere, qui Moguntiæ Epiphaniæ die an. 1106. ducto anni exordio a Christi Domini natali die, a Rothardo, Archiepiscopo Moguntino solemnem in modum iisdem indutus fuit.

Concilium Parisiense, an. 1105.

In hoc concilio Philippus Rex & Berthrada, cum ad sancta Evangelia futorum jurassent, ut mutuo recederent, absolutionem susceperunt. *Labb. X. Hard. VII.*

Concilium Pictaviense, an. 1106.

Concilium hoc Maji die 26. coram Boimundo, Antiochiæ Principe habitum fuit. In eo sacra crucis militia, vulgo *Cruciata*, solemnem in modum enuntiata est, deque ecclesiasticis non unius generis negotiis actum. *Ibid.*

Concilium Lisiacense, an. 1106.

Medio Octobri mense, concilium hoc, Henrici I. Angliæ Regis jussu, coactum fuit. Fuit hæc synodus cœtus mixtus, in quo laici plures domini, quam præsules adfuerunt; ex quo factum, ut in eo editæ sanctiones civile magis quam ecclesiasticum regimen spectent. *Ibid. & Bessinius.*

Concilium Trecense, an. 1107.

Paschalis II. Qui, hoc ipso 1107. ineunte anno, se in Galliam contulerat, concilium hoc sub Ascensionis festum diem celebravit. In eo actum de sacra crucis militia, in eosque omnes qui *Treguam Dei* violassent, anathema pronuntiatum. In eodem restituta electionum libertas, & confirmata investiturarum damnatio, super quibus Germanos inter & Romanos in Cabillonensi collatione paulo ante habita non convenerat. Germaniæ plures Episcopi in hoc ipso concilio variis de causis ab officio suspensi fuere.

Mansius huic synodo sequentes quinque canones tribuit.

I. Quicunque cujusvis beneficii investituram susceperit, cum suo consecratore deponetur.

2. Ad archipresbyteri dignitatem nemo extolletur, nisi sacerdotium susceperit; quique, antequam presbyteri essent, hac dignitate insigniti fuerint, ea spoliabuntur, quoad post ordinationem digni judicentur, quibus de ea rursus provideatur.

Ricard Concil. Supplem. Tom. V.

3. Eadem quoad archidiaconos edita sanctio.

4. Presbyteri & diaconi concubinarii deponentur; & excommunicationi subdentur.

5. Nullus ecclesiasticus superior eum qui ab alio censura perculsus fuerit, in suam ecclesiam suscipiet. *Mansi*, Tom. II. col. 235.

Concilium Londinense, an. 1107.

Concilium hoc quod *generale* nuncupatur, coram Rege Henrico I. & in ejus ipsis regiis ædibus habitum fuit. In eo Princeps hic investituras per annulum & baculum repudiavit, vacantesque sedes replendas curavit. S. Anselmus qui huic concilio aderat, haud cunctatus hos faustos nuntios ad Paschalem II. misit. *Reg. XXVI. Labb. X. Hard. VII. Anglic. I.*

Concilium Jerosolymitanum, an. 1107.

Gibelinius, Archiepiscopus Arelatensis, cum a Paschali II. missus esset, ut de Ebremaro judicium ferret, qui, Daiberto, seu Daimberto vivante, Jerosolymitanus Patriarcha electus fuerat, tamquam sanctæ Sedis legatus hoc de quo agitur, concilium coegit, in quo Ebremarus depositus, & ob bonam fidem simplicitatemque Cæsaream translatus fuit. At Daimberto, dum hæc agerentur, & rediret ab urbe Roma, ad quam se contulerat, suas querelas expositurus, vita functo, synodus Gibelinium elegit, ut ejus loco Jerusolymitanam sedem teneret. *Reg. XXVI. Labb. X. Hard. VII.*

Concilium Lopsinense, an. 1107.

Habuit Paschalis II. concilium hoc, in eoque Veroduensi Ecclesiæ jura quædam adjudicavit, quæ a Godefrido *le Bossu*, comitissæ Mathildis conjuge Richerius Episcopus emerat. *Mansi*, Tom. II. col. 37.

Concilium Londinense, an. 1108.

Sanctus Anselmus, Archiepiscopus Cantuariensis, concilium hoc 24. Maji die in quam Pentecostes festum inciderat, celebravit, in eoque sanctiones decem in clericorum incontinentiam edidit. *Labb. X. Hard. VII. Anglic. I.*

Concilium Beneventanum, an. 1108.

Paschalis II. 12. Octobris die super investituris, vestiumque apud clericos luxu celebravit. *Reg. XXVI. Labb. X. Hard. VII.*

Concilium Rothomagense, an. 1108.

Coactum est concilium hoc ad ea comparanda quibus Ecclesia opus habebat. *Hard. VII. Bessinius.*

Concilium Londinense, an. 1109.

Coram Henrico Rege hæc habita synodus ad Thomæ Eboricensis Archiepiscopi consecrationem; qui non ante consecratus, quam Cantuariensis Ecclesiæ primatiam profiteretur, omnibusque ejus metropolis Archiepiscopis, præsentibus & futuris obedientiam promitteret. *Reg. XXVI. Labb. X. Hard. VII. Anglic. I.*

Concilium Laudunense, an. 1109.

In Tornusensium, majorisque monasterii monachorum gratiam coactum fuit concilium hoc. *Ibid. & Mansi*, Tom. II. col. 241.

Concilium Pictaviense, an. 1109.

Robertus Arbrissellensis hoc in concilio sui novi ordinis monasteria Pictaviensi Episcopo subdidit. *Joannes de Manu-firma, Clypeus Fontebraldi*, in 8. Tom. I. pag. 2. & 108.

Concilium Remense, an. 1109.

Sanctus Godefriddus, Ambianensis Episcopus, in hoc concilio titulum exemptionis abbatiæ S. Valerii de falsitate convicit. Ita saltem ajunt conciliorum editores qui Remis hoc anno 1109. concilium habitum volunt. At docti Benedictini, litterariæ Galliarum Historiæ auctores, rem hanc ad aniles fabulas totum Esopum olentes rejiciunt. Hæc iis rationum momenta suppetunt: 1. hujus rei nulla mentio seu in Yvone Carnotensi, Godefriddi consilio, eorumque uno,

G qui

qui monasticis privilegiis acrius adversabantur, seu in coævo auctore ullo. 2. Historia ipsa per se non nisi repugnantium absurdarumque narrationum congeriem exhibet, cujusmodi sunt, triplicis cleri, Ambianensis, Remensis & Romani per S. Valerii abbatis pecuniam seductio, ejus abbatiæ fundi, tot hominibus numerata pecunia corrumpendis impares, siquidem ipsi ad tam turpe crimen animo comparati ponuntur; absona agendi ratio quæ abbati S. Valerio tribuitur, qui se solum e sancta Sede pendere contendens, semel a diœcesano Episcopo in jus accitus, haud cunctatus, nec reluctans obsequitur; titulus e verisimilitudine alienus, utpote, quod est in historia, adeo recenter exstructus, ut ad ejus characteres nuper exaratos aperte prodendos, S. Godafriddo satis fuerit eumdem extrema suæ vestis parte fricare; 3. incertum tempus, tum quo Remense hoc arrogatum concilium habitum fuerit, tum etiam quo Godefriddus Romam petiarit; 4. exemptionis monasterii S. Valerii primus titulus debetur Benedicto Papæ VII. qui an. 974. vel 975. sanctam Sedem conscendit. Paschalis II. per Bulsam, die 4. Martii an. 1106. Beneventi datam privilegium hoc confirmavit. Sexaginta solum post annis S. Valerii monachos Robertus, Godefriddi successor, super eorum exemptione, turbare cœpit. Summi Pontifices, Alexander III. Innocentius III. & Gregor. IX. his ipsis religiosis omnes faverunt; ut a vero proinde alienum sit S. Valerii abbatiam Ambianensis Episcopi jurisdictioni subessa non destitisse, quemadmodum Nicolaus, S. Crispini Suessionensis monachus in S. Godefriddi vita memoriæ prodit. 5. Est omnino credendi locus monachorum adversarium aliquem in S. Godefriddi vitam id intrusisse, quod S. Valerii monachos spectat, quandoquidem Mabillonius nos certos facit se in Rougevallensis prope Bruxellensem urbem abbatia, manuscriptam S. Godefriddi vitam eliam vidisse, in qua hujus ad S. Valerium pertinentis historiæ nullum prorsus vestigium occurrit. *Mabillonius, Annal.* l. 70. num. 107. *Hist. Litter. Galliæ*, Tom. XI. pag. 729. & seq.

Concilium Suessionense, an. 1110.

Manasses, Remensis Archiepiscopus, hoc concilium celebravit. Ejus acta periere, nec aliunde quam ex Bellovecensium ad Lambertum, Atrebatensem Episcopum clericorum litteris innotescunt. *Baluzius, Miscellan.* Tom. V. pag. 322. *Mansi*, Tom. II. col. 185.

Concilium Romanum, seu Lateranense, an. 1110.

Concilium hoc, Martii die 7. celebravit Paschalis II. in eoque contra investituras decreta, itemque canones renovavit, qui laicos vetant de ecclesiarum bonis quicquam statuere. Eodem anno, Richardus, Albanensis Episcopus & sanctæ Sedis legatus habuit in Galliis concilia tria, Clarmontii unum, in Alvernia, in Mauriacensis Ecclesiæ gratiam, Floriaci, alterum, seu apud S. Benedictum ad Ligerim, super eadem re, denique Tolosæ tertium: at ne hæc quidem acta ad nos pervenerunt, *Labb. X. Hard. VII.*

Concilium Coloniense, an. 1110.

Fridericus, Archiepiscopus Coloniensis, hoc habuit concilium, in quo Sigebertus, Gemblourensis monachus & legatus, obtinuit, ut Guibertus qui ante annos 148. illud monasterium fundaverat, in Sanctorum dyptica referretur. Hæc ceremonia aliquanto post hanc synodum, solemnem in modum peracta est, e terra sublato sancti ejus viri corpore *Concil. German.* Tom. III.

Concilium Constantinopolitanum, an. 1110.

Imperator Alexius Comnenus habite voluit hoc anno Constantinopoli concilia duo, in quibus constitutionem edidit super Præsulum electionibus & officiis, & in quibus etiam damnati *Bogomila* hæretici ita dicti a *Bog*, quod illyrice Deum significat, & *Milani*, quod effertur per hæc verba, *miserere nostri*. Nuncupabantur igitur *Bogomila*, qui Dei misericordiam implorabant, perinde ac si diceres, *divina misericordia sollicitatores*. Haud ex hoc suo capite hæretici erant, sed propterea quod Massilianorum errores ab inferis excitabant, ajentes nullo uno momento temporis orandum esse; unam & unicam precem ad salutem sufficere; manuum laborem non modo inutilem, verum etiam malum esse; spernentes cruces, altaria, ecclesia, Sanctorum reliquias imaginesque, sanctam Virginem, matrimonium, carnisque & ovorum usum damnantes; Trinitatem non nisi nomine profitentes, &c. Iis antesignanus fuit quidam medicus, nomine Basilius quem, utpote in suis erroribus pertinaciter obfirmatum idem Imperator Alexius Comnenus Constantinopoli flammis addici jussit. *Edit. Venet.* Tom. XII. *Mansi*, Tom. II. col. 243.

Concilium Jerosolymitanum, an. 1111.

Concilium hoc investituras, & imperatorem Henricum impetiit. *Reg. XXVI. Labb. X. Hard. VIII.*

Concilium Verulanum, an. 1111.

Celebravit Paschalis II. concilium hoc Verulis Ananiam inter & Valitras. In eo jussus Grimaldius, S. Paterni Archidiaconus, diœcesani Episcopi jurisdictionem agnoscere. Fabricius concilium hoc ad an. 1140. pertrahit; at Mabillonius illud huic an. 1111. tribuendum ostendit. *Muratorius, Ital.* Tom. II. pag. 248.

Concilium Lateranense, an. 1111.

Habuit idem Paschalis II. 12. Februarii die concilium hoc, coram Rege Henrico V. qui se investituras clero cessurum assenserat, ea conditione, ut ei clerus regalia redderet, feuda scilicet, quæ in regno tenebat. Coacta fuit igitur hæc synodus, ut solemnem in modum hæc conventio firmaretur; at cum inibi res esset, ut finiretur, coortum dissidium est, intermissus cœtus, ventum ad arma; asportatusque captivus Papa ab Henrico, qui 12. Aprilis die conventionem aliam ab eo subscriptam voluit, per quam princeps regalia clero reliquit, & investituras recepit. *Mansi, Suppl.* Tom. II. col. 261.

Concilium Lateranense, an. 1112.

Idem Pontifex, die 18. Martii; subsecutisque diebus quinque, concilium hoc, centum circiter Episcopis adsistentibus, celebravit, in eoque investiturarum privilegium revocavit. Gerardo II. cognomento Blayo, Episcopo Engolismensi, ea temporis ætate celeberrimo demandavit synodus, ut hujus judicii actum aderet, editumque Regi Henrico significaret; erat id mandati salebrarum plenum; at eo tamen Gerardus ita functus est, ut faceret principi satis, a quo singularibus etiam donis cumulatus fuit. Hujus concilii actis 28. Martii dies, secunda quidem feria, in Labbæana editione adscripta est; at huic numero substitui debet 18. ut habet editio Mansii, quoniam, eo quidem anno, 28. Martii dies in feriam secundam non incidebat. *Regin. XXVI. Labb. X. Hard. VII. Mansi*, Tom. II. col. 271.

Concilium Ansanum, an. 1112.

Joceranus, seu Gauceranus, Archiepiscopus Lugdunensis, concilium hoc, ut de investituris ageret, convocavit; et, an reapsa coactum fuerit, dubium est, quia Senonensis provinciæ Episcopi noluerunt ad illud accedere, quippe qui Lugdunensis Archiepiscopi a quo acciti fuerant, jurisdictionem non agnoscebant. *Labb. X. Hard. VII.*

Concilium Viennense, in Delfinatu, an. 1112.

Guido, Viennensis Archiepiscopus & sanctæ Sedis legatus, 16. Septembris die, hanc synodum habuit. In ea definitum, investituram a laica manu receptam, hæresim esse. In eadem damnatum etiam privilegium cui Papa, ab Henrico Rege jussus coactusque, subscripserat; in hunc denique principem anathema pronuntiatum, & ab Ecclesia sinu explosus ipse, quoad cumulate satisfecisset. *Ibid.*

Concilium Aquense, in Provincia, an. 1112.

In hoc concilio tres editi canones, quorum primus mandat, ut Aquensis Archiepiscopus omnium sui Archiepiscopatus ecclesiasticorum proventuum quartam partem percipiet. *Edit. Venet. Sola*, Tom. XII. *Arc. purgandi adscripta tempora*, pag. 211.

Concilium Jerosolymitanum, an. 1112.

Compositum est in hoc concilio litigium quod inter Episcopum Nazareth, & abbatem Montis-Thabor, super juribus ad eorum ecclesias spectantibus coortum erat. *Mansi*, Tom. II. col. 275.

Conci-

Concilium Usneachense, in Irlandia, an. 1112.

Frequentissimum fuit concilium hoc, cui morum cleri populique proposita reformatio. *Angl. I.*

Concilium Remense, an. 1113.

Versatum est concilium hoc super monachorum S. Vaasti, & canonicorum Atrebatensium, quoad nonnullas possessiones, dissidio. *Mansi*, Tom. II. col. 277.

Concilium Beneventanum, an. 1113.

Concilium hoc Paschalis II. in Cassinensis abbatiæ gratiam, coegit. Puist Mansius in hoc ipso concilio ab hoc Pontifice editam Bullam, ad Melitenses equites datam, quæ eorum hospitale Jerosolymitanum sub apostolicæ Sedis præsidio ponit. *Regin. XXVI. Labb. X. Hard. VII. Mansi*, Tom. II. col. 279.

Concilium Strigoniense, an. 1114.

Celebravit concilium hoc, sub Januarii mensis finem, Laurentius, Strigoniæ Archiepiscopus, quæ inferioris Hungariæ archiepiscopalis urbs. In eo sexaginta quinque, qui sequuntur, editi canones.

Primus Regem rogatum vult, ut clericorum ecclesiarumque negotia canonice finiri jubeat.

Secundus mandat, ut unaquaque Dominica die Epistola & Evangelium in ecclesiis majoribus explicentur: in minoribus vero Symbolum, & Oratio dominica.

Tertius, ut in majoribus ecclesiis adsint omnium ordinum clerici, suumque quisque officium ibidem obeant.

Quartus, ut universus populus, ad Pœnitentiæ & Eucharistiæ sacramenta, Paschatis & dominici Natalis tempore, clerici vero majoribus singulis festis diebus accedant.

Quintus, ut canonici suis in claustris, & capellani suis in cœtibus litteratorum hominum lingua tantum utantur.

Sextus, ut ne quis indoctus presbyter initietur, quique initiati sunt, erudiantur, aut deponantur.

Septimus, ethnicam omnem consuetudinem vetat, quadraginta dierum hominibus ætate provectis, & dierum septem junioribus indicta pœnitentia.

Octavus, in eos qui, prout decet, festos dies non coluerint, eamdem pœnam præscribit.

Nonus, ecclesiasticam sepulturam iis interdicit, qui in crimine, postquam excommunicationem subiere, persistunt, propterea quod impositam pœnitentiam peragere neglexerunt.

Decimus jubet, ut in eumdem modum puniatur, qui, gravis morbi tempore, non curaverit, ut presbyter vocaretur, & consanguinei vel uxor defuncti per dies quadraginta pœnitentiæ subdantur; si vero ejusmodi nullus sit, hæc pœnitentia ejus colono, duobusque loci senioribus imponatur.

Undecimus conjugatum hominem, sine uxoris consensu, ad episcopatum extolli vetat.

Duodecimus Episcopum quarta suarum acquisitionum parte prout voluerit, uti sinit, dummodo reliquas partes tres ad suæ ipsius ecclesiæ utilitatem impenderit.

Decimus tertius Episcoporum ecclesiæ, qui mortui fuerint, quin ejus, ut par erat, curam agerent, bonorum ad eos spectantium dimidium addicit, eorumque monasteria successorum jurisdictioni subesse vult.

Decimus quartus eos damnat, qui ecclesiarum quibus præerant, patrimonium dissiparunt, ut duplum restituant, ac siquidem nequeunt, ad justam usque emendationem deponantur.

Decimus quintus prohibet Episcopis presbyterisque, ne mancipia apud se habeant.

Decimus sextus mandat, ut unaquæque ecclesia suæ jurisdictionis loco proxima sit.

Decimus septimus ecclesiam cui dos non suppetat, consecrari vetat.

Decimus octavus prohibet, ne clerico sine titulo ordines conferantur.

Decimus nonus, extraneum clericum sine commendatitiis litteris recipi vetat.

Vicesimus ab Episcopo legatum sine litteris ejus sigillo munitis haud mitti vult.

Vicesimus primus jubet, ut extranei clerici legitima testimonia proferant.

Vicesimus secundus vult ne Episcopum quidem absque localis superioris voluntate celebrare posse.

Vicesimus tertius, clericum eum titulo ordinatum non posse hoc honore spoliari nisi criminis causa, ac ne ipsum quidem posse recedere nisi ob superiorem gradum, propriique Episcopi accedente consensu.

Vicesimus quartus, liberum esse oppresso clerico ad episcopalem synodum appellare.

Vicesimus quintus, clericum, cujuscumque tandem ordinis fuerit, causa cadere, aut pœnitentiam agere, si, ad ecclesiastici judicii contemptum, ad sæcularem curiam confugerit.

Vicesimus sextus, unam eamdemque officiorum & jejuniorum rationem servari.

Vicesimus septimus, Episcopum de canonicorum victu moribusque secundum eorum regulas judicare.

Vicesimus octavus, eorum filios, qui voluntarie canonicam vitam amplexi sunt, ad eorum bona non nisi ex ipsorum consensu, aspirare posse.

Vicesimus nonus, eorum filios, qui se alicujus ecclesiæ servitio addixerunt, in liberorum numero poni.

Tricesimus, captivum neminem ordinari, quin libertatem obtinuerit.

Tricesimus primus presbyteros ante ordinationem conjugatos suis cum uxoribus permanere sinit, eorum imbecillitatis consecutiones antevertendi causa, dummodo tamen magna cum moderatione iisdem utantur.

Tricesimus secundus diaconis & presbyteris interdicit, ne post susceptos ordines matrimonium ineant.

Tricesimus tertius Episcoporum conjuges ne in ædibus quidem ad eos pertinentibus degere vult.

Tricesimus quartus vult Episcopum qui excommunicatione quempiam percusserit, sententiam hanc Regi cæterisque Episcopis significare.

Tricesimus quintus Missam alibi quam in ecclesia dici aut audiri vetat, excepto Rege, Episcopis, comitibus & abbatibus, qui tentorium, aut ejusmodi aliud habere possunt, quod uni divino cultui addictum sit, & id quidem in eorum itineribus tantum.

Tricesimus sextus ab abbatibus, ex condicto cum Episcopo, in unoquoque monasterio tot monachos relinqui vult, quot alendis ejus facultates pares sint, eosque omnes monachos S. Benedicti regulam apprime callere.

Tricesimus septimus abbates raro & ad breve tempus, semperque Episcopo certiore facto, e suis monasteriis egredi vult.

Tricesimus octavus vetat abbatibus, ne episcopalibus ornamentis utantur, ne divinum verbum nuntiant, ne confessiones excipiant, ne baptismum conferant, itemque ne plus eleemosynæ suis consanguineis, quam aliis pauperibus tribuant; eos denique, si monasterii bona dissipaverint, depositos, eorumdemque pariter bonorum restitutioni obnoxios vult.

Tricesimus nonus vetat, ne monachi ad ordines promoveantur.

Quadragesimus vult eum qui monachi vestem induit, in monasterium ingredi, vel eam vestem deserere, vel pœnitentiæ se subdere.

Quadragesimus primus omnem super Missa conventionem, & qui proxime sequitur, omnem rerum ad ecclesiam pertinentium venditionem vetat.

Quadragesimus tertius pro baptismo vel sepultura stipendii nihil recipi vult; eadem est ejus ratio, qui sequitur, ad festos dies quod attinet.

Quadragesimus quintus judicium ferri dictum quadragesimali perinde atque alio tempore exerceri posse vult, præterquam si sanguinis effusioni locus esse deberet.

Quadragesimus sextus vetat quidquam legi aut cani in ecclesia, nisi quod in synodo statutum est.

Quadragesimus septimus vult, ut presbyter qui in canonicis conviviis ecclesiasticorum aliquem immodice bibentem videt, eum hac de culpa corrigat, recedatque, si minus auditur, ut eum ad archidiaconum deferat, qui ei septem dierum pœnitentiam imponere debet; ac si minus hic presbyter in ejusmodi facti specie recesserit, declaratur suspensus, & pœnitentiæ quadraginta dierum addictus. Qui sequitur canon in sacerdotes qui ad ebrietatem se vino ingurgitant, excommunicationem pronuntiat.

Quadragesimus nonus quadraginta dierum pœnitentiæ subdit nobiles viros qui ad ebrietatem excitant, aut ipsi in ebrietatem incidunt, ad eam excitati; eosque, si reciderint, excommunicatione plectit.

Quinquagesimus vult Episcopis in quaque urbe præsto esse domos duas, in quibus pœnitentes detineant.

Quinquagesimus primus eos qui maleficiis utuntur, secundum canones puniri vult.

Quinquagesimus secundus, accusatorem qui in probatione defecerit, accusati pœnam subire.

Quinquagesimus tertius vult conjugem quæ virum

deserit, ei semel & iterum reddi, & tertio pœnitentiæ subdi, sine regressus ad virum spe, si nobilis fuerit; quod si e populo est, captiva fiat, sine spe libertatis. Vult etiam canon hic sponsum qui sponsam tamquam adulteram suapte sponte, ac nemine adigente, reducit, pœnitentiæ subdi, si nobilis fuerit; & qui noluerit, aut non potuerit mulctam solvere, in hac facti specie, captivus fiat. Eædem statuuntur in eum pœnæ, qui alterius conjugem, eamque invitam surripit, itemque in eum qui propriam, per odium, uxorem deseruit. Eam quoque veniam huic posteriori mulieri dat, ut, cuicunque voluerit, nubat.

Quinquagesimus quartus depositum clericum vult, qui secundam conjugem, aut viduam, aut repudiatam feminam ducit.

Quinquagesimus quintus videtur bigamos presbyteros sinere sua obire munia, siquidem eorum uxores in separationem consentiant.

Quinquagesimus sextus presbyterum concubinarium deponi vult.

Quinquagesimus septimus jubet, ut canonici suae ad unguem regulas calleant. Qui porro sequitur canon, mandat, ut furti convictus clericus deponatur, suisque bonis spolietur, ac si nihil in bonis habeat, vendatur.

Quinquagesimus nonus clericos vetat tabernam tenere, & usuræ vacare, eosque qui in iis tabernis, absque vera necessitate, bibunt, deponi jubet, si clerici, & e testimonio exhibendo rejici, si laici fuerint.

Sexagesimus clericos testes esse non vult, præter quam in testamentis, aut in rebus ad sacramenta spectantibus, aut in judicio.

Sexagesimus primus hebræos vetat habere christianos famulos, cujuscunque tandem generis fuerint.

Sexagesimus secundus ecclesiasticorum bonorum decimam exigi non vult, ea excepta quæ ad quartam parochialium bonorum partem spectat.

Sexagesimus tertius vult archidiaconos apud se canonum compendium tenere. Qui sequitur canon, presbyteros suam domum apud ecclesiam habere vult; & id statuit, quod ecclesiarum domini retrahere debent ex eorum bonis, qui iisdem deserviunt. Postremus denique clericos qui ad Episcopi synodum venire renuerint, ad laicorum hominum conditionem reductos vult.

Concilium VVindsoriense, an. 1114.

Radulfi ad Cantuariensem archiepiscopatum electio huic habendæ synodo locum præbuit. *Labb. X. Hard. VII.*

Concilium Cyperanum, seu Ceperanum, an. 1114.

Paschalis II. 12. Octobris die, habuit concilium hoc Ceperani, vici ditionis Ecclesiæ in Campania Romana, ad flumen Carilianum, in Terræ Laboris finibus. In hoc concilio Archiepiscopus Cosentinus qui suam sedem deserere, & in Monte-Cassino monachi habitum sumere Rogerii, Siciliæ comitis vi ac furore coactus fuerat, in suum archiepiscopatum restitutus fuit. Guillelmus, ejus comitis filius, in hoc ipso concilio e Summo Pontifice ducatuum Calabriæ & Apuliæ possessionem, vel, ut loquuntur, investituram accepit; in eodemque Landulphus, Archiepiscopus Beneventanus, depositus fuit, ob male temporale negotium, ut nonnulli dicunt, vel ob crimina de quibus accusatus se purgare non potuit, ut putant alii. *Petrus Diaconus, Chron. Cassin.* lib. 4. cap. 51. *Falcon. Chron.* Benevent. *Baronius, ad an.* 1114. *Regia. XXVI. Labb. X. Hard. VII.*

Concilium Legionense, in Hispania, an. 1114.

Bernardus, Archiepiscopus Toletanus, habuit concilium hoc 18. Octobris die, una cum omnibus Asturiæ, Legionis & Galletiæ præsulibus. Ita sane Ferreras refert, qui subdit in hoc concilio decem super disciplina canones editos esse. At Cardinalis de Aguirre ejusmodi canonum nullum affert, satisque habet dicere Bernardum, Toletanum Archiepiscopum, sub an. 1114. Legione celebrandum concilium indixisse, ad illudque Didacum, Compostellanum Episcopum per epistolam vocasse. *D'Aguirre*, Tom. V. *Concil. Hispan.* pag. 29.

Concilium Compostellanum, an. 1114.

Habitum est concilium hoc 17. Novembris die. In eo adoptati canones decem, qui in Legionensi concilio editi fuerant, & alii quindecim iis additi. Ita quidem auctor *Artis purgandi temporum notas*, pag. 211. Aguirræum laudans. Id verum est, arrogatum hoc Compostellæ concilium nihil aliud fuisse, quam diœcesanam synodum, in qua Didacus Gelmirez, Compostellanus Episcopus suorum decessorum statuta renovavit, confirmavitque: *Divina disponente clementia, sedis ecclesiæ beati Jacobi Apostoli Episcopus, cum ejusdem sedis canonicorum, judicum* (in MSS. Tolet. *judicium, forte judicio*) *cæterorumque nobilium virorum consilio, prædecessorum statuta relegenda.... hujusmodi decreta confirmo, & constituendo confirmo.* D'Aguirre, Tom. V. pag. 32.

Concilium Bellovacense, an. 1114.

Conon, Cardinalis & legatus, trium provinciarum Episcopis adsistentibus, habuit sexta Novembris die concilium hoc. In eo excommunicatione perculsus Henricus V. renovata posteriorum Pontificum decreta plura super ecclesiasticorum bonorum custodia, superque cæteris, tum quidem maxime necessariis disciplinæ capitibus. In eo habitus etiam est de nonnullis hæreticis sermo, quos populus Suessione flammis addixit, quin expectaret ecclesiasticorum judicium, veritus, ne æquo mollius esset; & ad synodum, sequenti anno Suessione habitam remissa est super S. Godefriddo deliberatio, qui suum Ambianensem episcopatum, ut Carthusiam secederat, deseruerat. *Reg. XXVI. Labb. X. Hard. VII. Ars purgandi temporum notas*, pag. 211.

Concilium Ticinense, an. 1114.

In hoc concilio iis concessæ indulgentiæ, qui ad hospitalia, in pauperum peregrinorum gratiam, edificationem conferrent. *Mansi*, Tom. II. col. 285.

Concilium Palentinum, in Hispania, an. 1114.

Bernardus, Archiepiscopus Toletanus, & sanctæ Sedis legatus, adsistentibus Hispaniæ Episcoporum & abbatum plerisque, hanc synodum celebravit, in qua Lucensis episcopatus Petro, Reginæ Urracæ cappellano collatus: itemque Mauritius, Bracarensis Archiepiscopus, utpote in sanctam Sedem perduellis, excommunicatione perculsus. *D'Aguirre*, Tom. V. pag. 29.

Concilium Elnense, in Ruscinonensi Comitatu, an. 1114.

Versatum est hoc concilium super litigio, quod inter abbatias S. Michaelis Cuxani & Arelates intererat. *Martenne, in Thesauro*, Tom. IV.

Concilium Suessionense, an. 1115.

Concilium hoc, die 6. Januarii, in Imperatorem Henricum V. atque ut Godefriddus, Ambianensis Episcopus in suam diœcesin redigeretur, habitum fuit. *Reg. XXVI. Labb. X. Hard. VII.*

Concilium Remense, an. 1115.

Legatus Conon, 28. Martii die, hoc concilium habuit; in quo Imperatorem Henricum excommunicationi subdidit, & Episcopum Godefriddum adegit, ut in suam Ambianensem diœcesin rediret, ubi acclamante & plaudente populo receptus fuit.

Idem legatus, eodem anno, habuit alia concilia duo, unum Coloniæ feria secunda Paschatis 19. Aprilis die, alterum Catalauni, die 12. Julii; in utroque excommunicationem in Imperatorem Henricum iteravit. Normanniæ plures Episcopos & abbates qui ad Catalaunense concilium se conferre renuerant, Conon deposuit, quos tamen, ad Henrici I. Angliæ Regis querimonias, Papa restituit. In hoc ipso posteriore concilio pronuntiatum est a monasterio S. Quintini de-Monte, Peronnam prope, præ monasterio Sancti Vaasti, super Botenenrtensi prædio, de quo contendebant. *Ibid. & Mansi*, Tom. II. col. 307.

Concilium Trenorchiense, an. 1115.

Guido, Viennensis Archiepiscopus, legatus, ac deinde Papa, Callisti II. nomine, concilium hoc, 15. Augusti die, celebravit, in eoque, pro S. Joannis Vesontionensis canonicis, litem diremit super matrice Ecclesia, de qua canonici S. Stephani ejusdem urbis cum iis contendebant. Judicium hoc summus Pontifex Paschalis II. non approbavit; novumque concilium super hoc negotio coactum voluit, quod idem

lega-

legatus, eodam anno, Divione calabravit. Concilium tamen hoc haud litigio finem imposuit, quod anno tantum 1253. ad axitum perductum fuit. *Ibid.*

Concilium Trojense in Apulia, *an.* 1115.

Summus Pontifex Paschalis babuit concilium hoc 24. Augusti die. In eo statuta ad triennium, ut nuncupatur, *Tregua Dei*. Ibid.

Concilium Ovietanum, *Ovetanum*, *Ovetense*, *an.* 1115.

Ovati, Hispaniarum Episcopalis urbis, sub Compostallana matropoli, concilium hoc, ipsa Pentecostes die, in S. Salvatoris Ecclesia, coram Urrague Regina ajusqua aulicia, habitum fuit. Ei præfuit Bernardus, Archiepiscopus Tolatanus, & S. Sedis legatus, Hispanis Episcopis 14. adsistentibus, qui in eodem statuta edidere, quæ sequuntur:

1. Quicunqae altarius bovas sumpserit, ut ei pignoris loco sint, quæcunque taodem, cur id faceret, causa fuarit, excommunicationi suberit, & per annos quindecim pœnitentiam aget.

2. Eidem pœnæ subduntur fures.

3. Qui Ecclasiæ asylum violavarit, nisi forte in aliqua facti specia, cui cannnes favent, ut cum de publico fure agitur, ad eam pœnam damnabitur, ut fiat monachus, aut eremita, ant sarvus Ecclesiæ quam violavarit. *Hard. VII. d' Arguirre*, Tom. V. pag. 34.

Concilium Coloniense, *an.* 1115.

Habuit legatus Dictericus Natalis Dominici festis diebus concilium hoc in quo contra Imperatorem Henricum anathema renovavit. Hoc concilium apud Trithamium (*Chronic. Hirsaug.*) ad an. 1116. refartur, quia tum quidem annus a Natali Domini in Germania incipiebat. *Edit. Venet.* Tom. XII. *Ars purgandi adscripta tempora*, pag. 211.

Concilium Syriacum, *an.* 1115.

Berengarius, Episcopus Arausicanus, & sanctæ Sedis Legatus, post Natala Christi Domini concilium hoc celebravit. In eo Arnoldus, Patriarcha Hierosolymitanus, dapositus fuit. *Reg. XXVI. Labb, X. Hard. VII.*

Concilium Viennense, *in Delphinatu*, *an.* 1115.

In hoc concilio rursus excommunicationa parculsus Imparator Henricus V. Perperam concilium hoc in Tabula Tomi XII. Conciliorum P. Labbæi, Editionis Venetæ, Viennense in Garmania nuncupatur. Guido, Viennæ in Delphinatu Episcopus, & sanctæ Sedis Legatus ei præfuit, novendecim Episcopis adsistantibus, quia cardinalis Boson qui cætui & ipse adfuit, in numerum referatur. *Mansi*, Tom. II. col. 305.

Concilium Salisberiense, *an.* 1116.

Martii die 20. celebratum fuit concilium hoc, coram Rege Henrico I. qui cum inibi esset, ut in Normanniam abiret, Guillalmum filium sibi successorem renuntiatum voluit, quod reapsa in hoc concilio, ex omnibus tum ecclesiasticis, tum laicis Angliæ primoribus conflatn assecutus est. Turstanius, in hoc concilio Episcopus Eboracensis electus, maluit suæ Sedi Nuotium ramittera, quam Cantuariensi Archiapiscopo obedientiam promittera. *Labb. X. Hard. VII. Angl. I.*

Concilium Lingonense, *an.* 1116.

Guido, Viennensis Archiepiscopus, 8. Junii, in aparto agro, inter *Lux & Til-chatel*, in diœcesi Lingonensi, hodie Divionensi, leucæ spatio Bezia procul, concilium hoc celebravit. In eo actum da peculiaribus negotiis pluribus quorum dascriptio ad nos non vanit. *Ars purgandi temporum notas*, pag. 212.

Concilium Divionense, *an.* 1116.

Idem præsul qui supra, hanc quoque synodum habuit. In ea regulares S. Staphani canonici ad ajusdam S. Stephani Ecclesiam redire jussi, quam deseruerant, ut in solitudinem in qua vitam agerent, se conferrent. Vato simile fit concilium hoc illud ipsum esse, de quo Bonnevallii Chronicon, ad an. 1117. loquitur, quin peculiarem ullam ajusdem notitiam tradat. *Ibid.* & *Edit. Venet.* Tom. XII.

Concilium Romanum, *an.* 1116.

In hoc concilio Abbati Montis-Cassini ea data venia, ut Abbatum Abbatem se nuncuparet. *Reg. XXVI. Labb. X. Hard. VII.*

Concilium Lateranense, *an.* 1116.

Summus Pontifex Paschalis II. qui huic concilio præfuit, concilia coofirmavit, quæ dacretum revocavarant, quod ab eo Imperator extorserat. *Reg. XXVI. Labb. X. Hard. VII. Mansi*, *II.* col. 311.

Concilium Mediolanense, *an.* 1117.

Jordanus, Mediolanensis Archiepiscopus, in prato, cui Brolio noman, sub Fabruarii finem, hanc synodum celebravit. Ibi elata fuere tabulata duo, quorum uni Episcopi, Abbates & alii inferiores præsulas, alteri cum jurisconsultis consules insidebant; adstantibus ad amborum latus clericis, virginibus & laieis numero pluribus. Quæ fuerit hujus concilii causa, latet: id naum constat ad morum reformationem coactum fuisse. *Pagius*, *ad hunc ann.*

Concilium Beneventanum, *an.* 1117.

Habuit Paschalis II. Aprili mense concilium hoc, in quo Mauritium Bourdinum, Archiepiscopum Bracarensam quem insignierat legati titulo, axcommunicationi subdidit, propterea quod Imperatorem Henricum V. Romæ iterum coronaverat, dum Pontifex in Montis-Cassini cænobio versaretur, unde eum Legatum Romam miserat, ut cum Hanrico de pace ageret. *Reg. XXVI. Labb. X. Hard. VII.*

Concilium Turnusiense, *an.* 1117.

In S. Stephani Divionensis Ecclesiæ gratiam hæc habita synodus. *Ibid.*

Concilium Engolismense, *an.* 1117.

Huic concilio causam præbuit contentio quæ inter Radonensis & Quimperlajensis in inferiore Britania, Abbatiarum religiosos coorta fuerat super loco quodam Bell-insula dicto, quem Quimperlajensi Abbatiæ, jam inde ab ipsius fundationa, donaverat Alaxius, Cornuvalliensis comes, ejus fundator, quemque Romani Pontifices Leo IX. & Gregorius VII. ad Redonensem Abbatiam transtulerant. Gerardus, Episcopus Engolismensis, & sanctæ Sedis Legatus mandavit, ut Redonensis Abbatia Bell-insulam Quimperlajensi restitueret, excommunicationis, ni pareret, indicta pœna. *Mansi*, Tom. II. col. 319.

Concilium Tolosanum, *an.* 1118.

Hæc synodus sub Februarium mensem habita fuit. In ea pro Hispaniis statuta est sacra crucis militia, in Alphonsi, Aragoniæ Regis gratiam, qui 6. Decembris die, commisso cum Mauris prælio, insigni clade eosdem affecarat. *Labb. X. Domnus Vaissettius.*

Concilium Capuanum, *an.* 1118.

Gelasius II. qui hoc ipso anno, Januarii die 15. summus Pontifex electus fuerat, habuit concilium hoc, in quo Imperatorem Henricum V. una cum Mauritio Bourdinio Bracarensi Archiepiscopo quem idem Imperator Papam, Gregorii VIII. nomina, aligendum curaverat, anathemate parculit. Mansius epistolam affert, quam Gelasius super hac ra suum ad legatum, Pranestensem Episcopum scripsit. Data ast hæc epistola Capuæ, 13. Aprilis dia. *Reg. XXVI. Labb. X. Hard. VII. Mansi*, Tom. II. col. 321.

Concilium Rothomagense, *an.* 1118.

Fuit hic mixtus cætus qui 7. Octobris die coactus fuit. Henricus, Angliæ Rex, cum proceribus, & Raoulfo Cantuariensi egit da regni pace, dum Geofridus Rothomagensis in eodem cœtu una cum quatuor e suis suffraganeis, & Abbatibus pluribus de Ecclesiæ negotiis agebat. Ibi Conradus, Gelasii lagatus de Imperatore, deque Antipapa Bourdinio conquestus est, a Normannis Ecclesiis precum & pecuniæ subsidium petens. *Labb. X. Hard. VII. Bessinius*; *Ars purgandi temporum notas*, pag. 12.

Conc.

Concilium Viennense, in Delphinatu, an. 1118.

Gelasius II. qui Novembri mense an. 1118. in Galliam profectus erat, eodem anno concilium hoc celebravit. Perierunt ejus acta. In vulgaribus Collectionibus concilium hoc an. 1119. legitur; at perperam; Gelasius enim supremum diem obiit Cluniaci, quo Januarii die 29. an. 1119. se transferendum curaverat. Id dubio procul ex eo factum, quod Gelasius in suis temporum notis Pisanum calculum sequebatur, qui annum die 25. Martii, festo die scilicet Annuntiationis Beatæ Virginis, inchoabat. Quamobrem Viennense concilium quod Novembri seu Decembri mense an. 1118. habitum est, e nostro quidem calculo, qui a Kalendis Januariis anni initium ducit, in annum 1119. secundum Pisanum calculum incidit. *Reg. XXVII. Labb. X. Hard. VII.*

Concilium Frideslariense, an. 1118.

Conon, Prenestensis Episcopus, & sanctæ Sedis legatus, Frisladir, quæ Germaniæ urbs, in Hassiæ inferiore Landgraviatu, ad Wiperium flumen, concilium hoc celebravit. In eo legatus hic, magno Episcoporum, abbatum, clericorum & monachorum stipatus numero, confirmavit excommunicationis sententiam, in Imperatorem Henricum V. latam. *Regin. XXVII. Labb. X. Hard. VII. Mansi*, Tom. II. col. 327.

Concilium Engolimense, an. 1118.

Ad Archiepiscopum Turonensem, aliosque Episcopos duos confirmandos hæc habita synodus. *Labb. X. Hard. VII.*

Concilium Beneventanum, an. 1119.

Archiepiscopus Landulphus, Martii die 10. coegit concilium hoc, in quo anathema in eos pronuntiavit, qui regionem vastabant, ecclesiasque spoliabant. *Labb. X. Hard. VII. Pagius, ad hunc annum.*

Concilium Rothomagense, an. 1119.

Archiepiscopus Godafriddus concilium hoc, Novembri mense, contra presbyterorum incontinantiam, celebravit. *Labb. X. Hard. VII.*

Concilium Bellovacense, an. 1120.

Legatus Conon cum trium provinciarum Episcopis hanc synodum a 18. ad usque 29. Octobris diem celebravit. In ea S. Arnoldus Suessionensis inter Sanctos in cælis cum Christo regnantes relatus est. Quid præterea in hac ipsa synodo contigerit, ignoratur. *Ibidem.*

Concilium Neapolitanum, seu Naplusanum, in Palestina, an. 1120.

Guaramundus, seu Guermundus, Jerosolymitanus Patriarcha, concilium hoc habuit, Naplusii, quæ primæ Palestinæ episcopalis urbs, in Jarosolymitana diœcesi, deinde in archiepiscopatum erecta, & Sebastes, seu Samariæ sedi conjuncta. Morum reformationem propositam habuit concilium hoc; in eoque editi canones 25. qui ad nos usque non pervenerunt. *Regin. XXVII. Labb. X. Hard. VII.*

Concilium Nannetense, an. 1120.

Super abbatia Marmuteriensi versatum est concilium hoc, *Mabillonius, Annal.* Tom. VI. pag. 52.

Concilium Suessionense, an. 1121.

Concilium hoc post Januarium mensem celebravit legatus Conon. In eo jussus Abailardus suum de Trinitate librum suapte manu flammis tradere, & ad S. Medardum missus, a quo paulo post ad S. Dionysium remissus fuit. *Ibid.*

Concilium Romanum, an. 1121.

Coegit Callistus II. concilium hoc quod locum spectavit, quem in conciliis Ravennatensis & Mediolanensis Archiepiscopi tenere deberent. *Mansi*, Tom. II. col. 343.

Concilium Herbipolense, an. 1121.

Mixtus hic cœtus fuit, qui sub S. Michaelis festum diem habitus, Germanicæ Ecclesiæ pacem propositam habuit. *Mansi*, Tom. II. col. 343.

Concilium VVormatiense, an. 1122.

Mixtus hic quoque cœtus fuit, ex Imperii proceribus & præsulibus, super eodem negotio, conflatus. Imperator Henricus V. qui, ut Herbipolensi cœtui, ita ipse & huic aderat, in eodem investituris nuntium remisit, eique vicissim Papa servavit regalia tribuendi jus; sunt autem regalia jura regia justitiæ, monetæ, portorii, vel id genus alia, Ecclesiis, aut privato cuique concessa; atque ita quidem imperii & sacerdotii consociatio, 22. seu 23. Septembris die restituta fuit. *Regin. XXVII. Labb. X. Hard. VII. Hartzeim, III.*

Concilium Glocestrense, an. 1122.

Proposita fuit huic concilio Cantuariensis Archiepiscopi electio. In eo derogatum est, prima vice, consuetudini quæ vigebat, ut ejusmodi presul e monachis sumeretur; quæ quidem consuetudo ad illud usque tempus, jam inde a S. Augustino, Angliæ apostolo, servata erat, *VVilkins*, Tom. I. pag. 404. *Mansi*, Tom. II. col. 349.

Concilium Carnutense, an. 1124.

Petrus de Leone, sanctæ Sedis legatus, qui postea Antipapa fuit, Anacleti nomine, coegit concilium hoc cujus, itemque conciliorum Claromontani, Bellovacensis, Viennensis in Delphinatu, Tolosani & Narbonensis, quæ hoc ipso & sequenti anno habita sunt, acta ignorantur.

Concilium Rexburgense, in Scotia, an. 1126.

Joannes Cremensis, presbyter, Cardinalis S. Chrysogoni, & Honorii Papæ II. in Anglia legatus, hanc synodum celebravit, cui propositum id unum fuit, ut pax inter Turstonium, Eboracensem Archiepiscopum, & Scotiæ Episcopos redintegraretur. *Angl. I.* pag. 409.

Concilium Lugdunense, an. 1126.

Petrus, Diaconus, & Honorii II. legatus, hoc concilium coegit, in quo, consentientibus Episcopis numero pluribus, Pontium, veteranum Cluniaci abbatem qui a Summo Pontifice Callisto II. depositus fuerat, in suamque deinde abbatiam, armata manu, redierat, anathemati subdidit. *Mansi*, Tomus secundus col. 377.

Concilium VVormatiense, an. 1127.

Concilium hoc Cardinalis Petrus coegit, prout ab Honorio II. jussus fuerat. In eo revocata est ad trutinam Godefriddi, Trevirensis Archiepiscopi electio quam fere tribus ante mensibus peractam Trevirensis clerus tamquam Simoniacam notabat. Hujus cœtus ignoratur exitus; id unum constat, eo ad finem perducto, Godefriddum, seu suapte sponte, seu vi adactum ea se dignitate abdicasse. *Concil. Germ*, Tom. III, *Ars purgandi adscriptis tempora*, pag. 212.

Concilium Trojense, seu Trojanum, in Apulia, an. 1127.

In hoc concilio Summus Pontifex Honorius II. Novembri mense ad finem vergente, excommunicationem confirmavit, quam Beneventi in Regerium pronuntiaverat, quippe qui Ducis Apuliæ & Siciliæ titulum sibi arrogasset. *Pagius*,

Concilium Torcellense, an. 1127.

Joannes, Gradensis patriarcha, & Stephanus, sanctæ Sedis legatus, Episcopis pluribus adsistentibus, coegere concilium hoc, cui Dominicus Michael, Venetiarum Dux adfuit, super discordia quæ Torcelli, tenuis urbis episcopalis, in Veneta ditione, ac sub Veneta metropoli, inter Episcopum & canonicos grassabatur. Canonici qui in suum Episcopum conjuraverant, a concilii Patribus depositi, quos tamen Torcellensis præsul, concessa venia, restituit. *Mansi*, Tom. II. col. 385.

Concilium Romanum, an. 1127.

Celabravit Honorius II. concilium hoc quod Gobbardum, slactum Episcopum Witzburgansem damnavit, ut in omne vita tempus episcopatu cederet. *Mansi*, ibid.

Concilium VVitzburgense, an. 1127.

Archiepiscopi Magdeburgensis, Moguntinus, Salisburgensis, aliique plures antistites hoc concilium confłarunt, quod excommunicationem in Conradum, Franconiæ Ducam, Lotharii II. Imperatoris æmulum pronuntiavit. *Mansi, ibid.* col. 389.

Concilia Moguntina, an. 1127. & 1128.

In his duobus conciliis discussa est simoniæ accusatio, in Ottonem, Halberstadiensem Episcopum intentata, qua depositus fuit. *Concil. Germ.* Tom. III.

Concilium Ravennatense, an. 1128.

Honorius II. in hoc concilio Patriarchas duos, Aquilejenlem, & Vanatum, seu Gradensem deposuit, propterea quod schismaticis faverant. *Pagius*.

Concilium Ticinense, an. 1128.

Habuit Cardinalis Joannes Cremensis concilium hoc, quod Anselmum, Mediolanensem Episcopum anathemate perculit, utpote qui Conradum, Franconiæ Ducem, in Imperatorem Lotharium II. perduellem, Italiæ Regem coronaverat. *Edit. Venet. Sola*, Tom. XII. Balutius hoc ipso an. 1128. memorat alia concilia duo, Dolæ unum, Burdegalæ alterum. *Miscell.* Tomus primus.

Concilium Parisiense, an. 1129.

Matthæus, Albani Episcopus & sanctæ Sedis legatus concilium hoc, coram Ludovico VI. cognomento Grosso, in S. Germani de Pratis abbatis celebravit. In eo actum de plurium monasteriorum, & nominatim Argentevillensis reformatione, cujus moniales dispersæ fuere, ut ibidem S. Dionysii monachi ponerentur: quod Papa, Rex & Parisiensis Episcopus confirmarunt. *Labb. X. Hard. VII.*

Concilium Palentinum, in regno Legionensi, an. 1129.

Ita legendum, pag. 22. secundi Tomi hujus *Analysis Conciliorum*, titulo; *Concilium Placentinum, in Hispania*.

Concilium Catalaunense, an. 1129.

Concilium hoc, 2. Februarii die, coram S. Bernardo, celebratum, Henricum Blasensem, Verodunensem Episcopum adegit, ut hunc episcopatum abdicaret. Henricus hic erat Stephani Angliæ Regis frater, & Imperatricis Mathildis nepos. Erat ei quidem scientiæ, suavitatis, prudentiæ & æquitatis multum; et quia Henricus V. eum contra canonicas regulas ad Verodunensem sedem evexerat, ex ea descendere jussus est. Is, eodem anno, Vintoniensis, in Anglia, Episcopus creatus fuit. *Pagius, ad hunc ann.*

Concilium Londinense, an. 1129.

Concilium hoc Henrici I. jussu convocatum fuit, perstititque ab Augusti mensis feria 2. ad sextam usque. In eo mandatum, ut presbyteri concubinarii suas concubinas desererent. At Rex, cum id juris sibi prææbuisset, ut hanc sanctionem executioni mandandam curaret, reosque puniret, extorsit inde magnam pecuniæ vim, nullumque malo remedium attulit. *VVilkins*, Tom. I. pag. 411.

Concilium Lusonense, an. 1129.

Celebrarunt hanc synodum Kal. August. Conradus, Archiepiscopus Saltsburgensis, aliique præsules duo, qui Ellembardi, seu Ellengardi, Frisingensis Episcopi, 52. ante annis vita functi qui perperam in hæreseos suspicionem adductus fuerat, recordationem restituerunt. *Mansi*, Tom. II. col. 389.

Concilium VVirtzburgense, an. 1130.

Concilium hoc habuit Octobri mense Gualterius, Ravennæ Archiepiscopus, & sanctæ Sedis legatus, præsulibus aliis sexdecim adsistentibus. Imperator Lotharius adfuit ipsi cœtui, in eoque Romani Pontificis Innocentii II. electionem approbavit. *Pagius, ad hunc annum; Mansi*, Tom. II. col. 401. Habitum est eodem anno Remis concilium quod principes viros duos excommunicationi subdidit, vexationum causa, quibus Trigniensem villam, ad S. Theodorici Laudunensis monasterium pertinentem premebant. *Mansi*, Tom. II. col. 405.

Concilium Leodiense, an. 1131.

Habitum est 22. Martii die concilium hoc. Ei Lotharius II. Imperator cum Regina Richilda conjuge, & numero plures Episcopi interfuere. Innocentius Papa II. quem Italiam deserere, & in Galliam confugere viribus, Romæ quidem, firmiores Antipapæ Anacleti partes coegerant, ad Leodiense concilium se contulit, ubi ab Imperatore omnibusque cœtus membris perhonorifice exceptus fuit. Otto, Halberstadiensis Episcopus, ante annos octo in Moguntino concilio depositus, in hoc restitutus est. *Labb. X. Hard. VII. Hartzeim, III.*

Concilium Moguntinum, an. 1131.

Bruno, Episcopus Strasburgensis, accusatus, quod in eam sedem intrusus esset, suam dignitatem in Matthæi, Papæ legati manus remisit. *Labb. X. Hard. VII. Pagius*.

Concilium Placentinum, an. 1132.

Summus Pontifex, Longobardiæ compluribus Episcopis adsistentibus, hoc post Pascha concilium habuit. In eo perculsus anathemata Antipapa Anacletus; vetitumque, ne ad pœnitentiam reciperentur, qui a concubinatu, ab odio, vel ob alio lethali peccato recedere nollent. *Ibid.*

Concilium Creissanum, an. 1132.

Arnoldus, Archiepiscopus Narbonensis, habuit 5. Decembris die concilium hoc. In eo statuta Creixani tutela, cujus limites notarunt Episcopi per crucis signa quæ ibidem affixa voluere, anathemate in eos indicto, qui eam tutelam violassent. *D. Vaissette*.

Concilium Remense, an. 1132.

Hæc synodus in Marmuteriensis abbatiæ gratiam habita est. *Martenne, Thesauri* Tom. IV.

Concilium apud Theodonis villam, seu Theodovillense, an. 1132.

Sanctæ Sedis legati tres habuere concilium hoc coram Imperatore Lothario, super Coloniensis Episcopi electione in Friderici locum, qui superiore anno ad plures abierat. Ad eam sedem, favente Lothario evectus Bruno. *Mansi*, Tom. II. col. 415.

Concilium Coloniense, an. 1132.

In gratiam capituli Diensis, seu Fani S. Dei, in Lotharingia, habitum est concilium hoc. *Ibid.*

Concilium Jotrense, an. 1133.

Jotra quæ quondam regia domus, in præsentia virginum monialium e S. Benedicti ordine abbatia est, jam inde a medio septimo sæculo, ad Meldensem diœcesin spectans in Bria, seu Brigiensi saltu. Ibi Godefriddus, Carnotensis Episcopus, de sanctæ Sedis legatus concilium habuit, quo de agitur hoc loco, super Thomæ, prioris abbatiæ S. Victoris nece, quam Theobaldi, Parisiensis Archidiaconi nepos eidem intulerat, in sollicitudinis odium, qua sanctus canonicus exactionibus obluctabatur, quibus archidiaconus presbyteros divexabat. *Reg. XXVII. Labb. X. Hard. VII. Pagius, ad an.* 1135.

Concilium Montis-Pessulani, an. 1134.

In hoc concilio Bessanensis Ecclesia, in Agathensi dice-

diœceſi, S. Tiberii monaſterio adjudicata eſt. *Menſi*, Tom. II. col. 419.

Concilium Narbonenſe, an. 1134.

Super Saracenorum per Ruſcinonenſem Comitatum incurſionibus hæc ſynodus verſata eſt. *Labb. X. Harduin. VII.*

Concilium Mediolanenſe, an. 1135.

Roboldus, Albanus Epiſcopus, in hoc concilio Mediolanenſi ſedi impoſitus fuit. *Manſi*, Tom. II. col. 429.

Concilium VVeſtmonaſterienſe, an. 1136.

Stephanus Rex, Paſchatis feſtis diebus, ad concilium hoc ad Londinenſis Epiſcopi electionem coactum voluit. *Anglic. I.* pag. 412. Hoc, dubio procul, illud ipſum concilium eſt, quod Londinenſe Pagius appellat, & in quo coram Rege Stephano de Eccleſiæ & imperii negotiis actum ait. Nobis tamen videtur hic cœtus nequaquam concilium fuiſſe, quandoquidem nullus in eo Epiſcopus cernitur, ſed purus putuſque Londinenſium canonicorum cœtus ſe prodit, qui, præſente Rege Stephano, convenerant, ut ad ejus urbis Epiſcopum eligendum procederent.

Concilium Northamptonienſe, an. 1136.

Concilium hoc Rex Stephanus ad 29. Martii diem convocavit. In eo Robertus archidiaconus, ejus conſanguineus electus fuit, ut Exonienſem ſedem, Guillelmi Waravaſtii morte vacantem repleret. Ad duas itidem abbatias nominatum in eo eſt. Falluntur porro Conciliorum Editores, dum concilium hoc ad an. 1133. referunt. Stephanus enim Rex agnitus fuit, an. tantum 1135. labente. Hæc docti auctoris *Artis purgandi temporum notas*, ſunt verba ipſa. Nihilominus Wilkinſius Tom. I. pag. 413. hoc idem concilium ad an. 1138. protrahit.

Concilium Burgenſe, an. 1136.

Guido, Cardinalis & legatus, concilium hoc celebravit Octobri menſe. Præſul hic in Hiſpanias profectus erat, ut in divinis officiis Romanum ritum induceret, utque Navarræ & Caſtellæ Reges quos inter bellum fervebat, mutuo conciliaret. *Pagius, ad hunc ann. Hard. VII. Edit. Venet.* Tom. XII.

Concilium Antiochenum, an. 1136.

Contra Raoldum, Patriarcham in Antiochenam urbem intruſum hæc habita ſynodus. *Labb. X. Hard. VII.*

Concilium Jeroſolymitanum, an. 1136.

Hæc ſynodus ſuper Armenis verſata eſt. *Ibidem.*

Concilium Melfenſe, an. 1137.

Concilium hoc in loco, qui Lacus-Peſolus dictus, prope Melfim, Neapolitani regni, in Baſilicata, ſub Acerentia metropoli, epiſcopalem urbem, habitum fuit. In eo Lotharius Imperator, Epiſcopis pluribus adſiſtentibus, Montis-Caſſini abbatem & monachos conciliavit cum Innocentio Papa II. qui Imperatoris ſollicitationibus ſeſe dedidit. Monachi jusjurandum edidere, per quod a ſchiſmate, a Petro de Leone, Antipapa ſcilicet, recedebant, & obedientiam Papæ Innocentio, ejuſque ſucceſſoribus promittebant. In hoc concilio quod 18. Julii die inchoatum fuit, habitæ ſeſſiones ſex. *Ars purgandi temporum notas; Diction. Conciliorum*, pag. 310.

Concilium Vallisoletanum, an. 1137.

Concilium hoc ad Regis Alphonſi VII. poſtulationem, Guidone, Cardinali & ſanctæ Sedis legato præſide, habitum fuit. Deliberatum eſt, quemadmodum Alphonſus cum Luſitaniæ Rege conciliaretur. *Regia. XXVII. Labb. X. Hard. VII. D'Aguirre*, Tom. V.

Concilium Burdegalenſe, an. 1137.

Egit de diſciplina concilium hoc. *Martenne, in Collect.* Tom. VII.

Concilium Carleolenſe, in Scotia, an. 1138.

Albericus, Oſtienſis Epiſcopus & ſanctæ Sedis in Anglia & Scotia legatus hanc ſynodum celebravit, ut abuſus reformaret, qui in Scotiæ Eccleſias irrepſerant. *Anglic. I.* pag. 418. *Manſi*, Tom. II. col. 429.

Concilium Vintonienſe, an. 1139.

Thibaldus, Archiepiſcopus Cantuarienſis huic concilio præfuit, quod 30. Auguſti die inchoatum, prima, eaque ipſa Septembris die abſolutum fuit. In eo de Stephano Rege actum, qui, cum oppida ad Saliſburienſem & Lincolnienſem Eccleſias ſpectantia occupaſſet, earum Epiſcopos duos in carcerem trudi juſſerat. *Reg. XXVII. Labb. X. Hard. VII.*

Concilium Senonenſe, an. 1140.

Henricus Sanglerius, Senonenſis Archiepiſcopus, concilium hoc, 2. Junii die, coram Rege Ludovico juniore, celebravit. Ei S. Bernardus adfuit, redagitque ad incitas Abailardum qui hoc ipſe concilium, ſuam ut doctrinam purgaret & in tuto poneret, poſtulaverat. Eam doctrinam concilium cenſoria virga notavit, Abailardi vero perſonam ſanctæ Sedi reſervatam voluit. Eum Innocentius II. eodem anno, 16. Julii die, tamquam hæreticum condemnavit, ejus libros comburi juſſit, mandavitque, ut, quemadmodum Arnaldus Brixienſis, retineretur; Abailardus porro ab appellatione quam interjecerat deſtitit, que, & in Cluniacenſem abbatiam ſe recepit, ubi pœnitentiam egit ad mortem uſque, quæ 21. Aprilis die an. 1142. contigit. *Ibid.*

Concilium Verolenſe, an. 1141.

Hoc Verolenſe concilium, in Romana Campania, eccleſiaſticam obedientiam propoſitam habuit. *Hard. Sect.* Tom. VII. *Mabillonius, Diar.* Ital. Tom. I.

Concilium Vintonienſe, an. 1141.

Habitum eſt concilium hoc 7. Aprilis die. Henricus, Vintonienſis Epiſcopus, & Papæ legatus, in eo perfecit, ut Mathildes renuntiaretur Angliæ Regina, in Stephani, fratris ipſius præſulis detrimentum, quem eam per id temporis in carcere detinebat. Wilkinſius concilium hoc an. 1142. coactum vult; at Guillelmus Malmesburienſis quo is nititur, ait ipſe, quo anno Vintonienſe concilium celebratum fuit, 14. Kal. Martii, ſeu 16. Februarii diem in Quadrageſimæ dominicam primam incidiſſe, quod anno tantum 1141. convenit. *Ars purgandi temporum notas*, pag. 214.

Concilium Antiochenum, an. 1141.

Legatus Albericus, Syriæ Epiſcopis adſiſtentibus, habuit concilium hoc. In eo depoſitus Patriarcha Radulus, in ejuſque locum ſuper Antiochena ſede poſitus Aimerius, qui ejuſdem eccleſiæ decanus erat. *Guillelmus Tyrius*, lib. V. Vulgares Collectiones an. 1142. hanc ſynodum exhibent.

Concilium VVeſtmonaſterienſe, an. 1141.

Concilium hoc 7. Decembris celebratum fuit. In eo Henricus, Vintonienſis Epiſcopus, ſe ipſe accuſavit, qui Mathildem tamquam Reginam agnoviſſet, & adſiſtentes permovit, ut Stephano ejuſdem fratri qui carcere liberatus erat, eique cœtui aderat, ſubſidia compararet, quibus ſe ſuſtentaret. *Pagius, ad hunc annum.*

Concilium Viennenſe, in Delfinatu, an. 1141.

Stephanus, Viennenſis Archiepiſcopus, concilium hoc celebravit, in quo ſuper epiſcopali ſede Valentiæ in Delphinatu Joannes I. (Sanctus) Bonnevallenſis abbas, e Ciſtercienſi ordine, poſitus fuit, in Euſtachii locum, quem Summus Pontifex gradu ſpoliaverat. Id nobis tradunt Durandus & Martennius in S. Joannis, Valentini Epiſcopi vita, quam ſuorum Anecdotorum Tom. III. pag. 1695. contexuerunt.

Concilium Latiniacenſe, an. 1142.

Coegit concilium hoc legatus Yvo, ſuper diffidiis Alviſii, Atrebatenſis Epiſcopi cum Marchiennenſibus monachis, quibus abbatem dare contendebat Alviſius.

Mona-

Monachis cessit causa, secus ac S. Bernardus opinabatur, qui Episcopi defensionem susceperat, dum Innocentius Papa II. se monachis favere significaverat. *Labb. X. Hard. VII.*

Concilium Vintoniense, an. 1142.

Henricus, Vintoniensis Episcopus, & sanctæ Sedis legatus, feria secunda post octavam Paschatis, concilium hoc, omnibus Angliæ Episcopis adsistentibus, celebravit. In eo actum de regni pace. *VVilkins*, Tom. I. pag. 420.

Concilium VVestmonasteriense, an. 1142.

Idem legatus habuit concilium hoc, S. Andreæ octava die. Rex Stephanus qui cœtu intererat, de suorum subditorum insultationibus questus est. *Ibid.*

Concilium Londinense, an. 1143.

Matthæus Parisius ad an. 1142. & Rogerius Hovedenius ad 1143. referunt hoc quo de loquimur, Londinense concilium. Illud sane medio Quadragesimali tempore, ab eodem legato, coram Rege Stephano, in eos celebratum fuit, qui clericos male habebant. *Ibid.*

Concilium Gerundense, an. 1143.

Concilium hoc cui Guido, Cardinalis diaconus & sanctæ Sedis legatus præfuit, eo spectavit, ut nova militia in Saracenos, ad Occidentalis Ecclesiæ præsidium, institueretur. *D Aguirre*, Tom. V. pag. 57.

Concilium Jerosolymitanum, an. 1143.

Concilium hoc legatus Albericus Paschatis festis diebus habuit. Ei adfuit Armenorum Patriarcha, seque correcturum promisit fidei articulos, in quibus a Romana Ecclesia discrepabat. *Hard.* Tom. VII.

Concilium Constantinopolitanum, an. 1143.

Habita sunt hoc anno Constantinopoli concilia duo. Primum, 20. Augusti die, in arrogatos Episcopos duos, quorum ordinationes quas unus & unicus metropolitanus ediderat, nullæ & irritæ declaratæ fuere. Iidem Episcopi eo etiam ex capite damnati fuere, quod ex Borgomilarum secta essent. Alterum concilium, Octobris die prima, celebratum est; in eo damnatus monachus Niphon, ut in monasterio detineretur, quoad amplius firmiusque de negotiis ad eum spectantibus inquireretur. *Edit. Venet.* Tom. XII.

Concilium Vintoniense, an. 1143.

Henricus, Vintoniensis Episcopus & sanctæ Sedis legatus, coegit concilium hoc quod exemptionis privilegium, S. Augostini Cantuariensis monachis concessum in ejusdem Cantuariensis urbis Archiepiscopos confirmavit, *VVilkins*, Tom. I. pag. 422.

Concilium Moguntinum, an. 1143.

Concilium hoc, Henrico, Moguntino Archiepiscopo præside, S. Petri Erphesfurtensi monachos ex una parte, & Dissembergenses ex alia amice composuit qui de rusticis nonnullis prædiis inter se contendebant. *Mansi*, Tom. II. col. 443.

Concilium Constantinopolitanum, an. 1144.

Concilium hoc 22. Februarii die celebratum est. In eo monachus Niphon damnatus, quia, inter alia, Hebræorum Deo anathema dixerat. Retentus deinde fuit, & in coacto recessu, per omnem Michaelis Oxitæ patriarchatum, permansit. *Ars purgandi adscripta tempora*, pag. 214.

Concilium Romanum, an. 1144.

Lucius Papa II. concilium hoc celebravit. In eo statutum, ut omnes Britanniæ minoris Ecclesiæ, Narbonensi tamquam metropoli subderentur, ea tamen quoad Dolensem lege, ut Godefriddus, ejus Ecclesiæ Episcopus, pallium gestaret, & uni Papæ subesset. Bulla ad Hugonem, Turonensem Episcopum, ejusque legitimos successores missa, 15. Maji die data est. *Mansi*, Tom. II. col. 449.

Concilium Vizeliacense, an. 1146.

Hoc concilium Vizeliæ, urbis in Antissidorensi agro ad Burgundiæ Ducatum spectantis, habitum fuit ipso Paschatis die, 31. Martii. In eo Rex Ludovicus VII. junior dictus, cum Regina Eleonora, magnoque procerum numero sacræ crucis militiæ nomen dedit. Eodem anno, Carnuti, Lauduni, & in Bavaria, super eadem re, cœtus habiti. *Regia. XXVII. Labb. X. Hard. VII.*

Concilium Tarraconense, an. 1146.

Elapso Junio mense, Eugenio II. Pontifice, synodum hanc, in S. Teclæ ecclesia, Bernardus Tarraconensis Archiepiscopus, ejusque suffraganei celebrarunt. In eo statuta confratrum societas, in quam Summus Pontifex Eugenius, & S. Bernardus se receptos voluerunt. *Balaeius*, lib. 4. *Marca Hispanica*; *D'Aguirre*, Tom. V. pag. 62.

Concilium Constantinopolitanum, an. 1147.

Concilium hoc 26. Februarii die coactum fuit. Hujus concilii Patres Patriarcham Cosmam, utpote cum heretico Niphone consociatum deposuerunt. *Edit. Ven.* Tom. XII.

Concilium Stampense, an. 1147.

In eo statuta pro Jerosolymis postrema crucis militia, vulgo Cruciata. *Labb. X. Hard. VII.*

Concilium Trevirense, an. 1147. seu 1148.

Eugenius III. qui in Galliam confugere coactus fuerat, ut Romanorum vim effugeret, qui in eum insurrexerant, concilium hoc Decembri mense an. 1147. vel an. 1148. prioribus diebus, una cum octodecim Cardinalibus, compluribus Episcopis & abbatibus celebravit. In eo Sanctæ Hildegardis, Montis S. Ruperti seu Roberti, in Moguntina diœcesi, abbatissæ. Hildeberti & Mathildis, amborum avita nobilitate præstantium filiæ discussa scripta. Constabant potissimum scripta hæc magno epistolarum, quæstionumque & responsionum super sacris litteris numero, tribusque visionum & revelationum libris. Ea S. Bernardus, itemque Eugenius III. Summus Pontifex approbarunt. *Pagius*; *Reg. XXVII. Labb. X. Hard. VII.*

Concilium Lingacopiense, seu Lincopiense, an. 1148.

Lingacopia, seu Lincopia est Sveciæ episcopalis urbs Upsaliæ suffraganea. In ea Nicolaus Anglicus, Eugenii III. legatus, concilium hoc celebravit, ut Lundeniensem episcopatum in archiepiscopatum erigeret. *Labb. X. Hard. VII.*

Concilium Marsicum, an. 1148.

Marsum est Italiæ episcopalis urbs, sub Theate metropoli, & Marsorum caput, qui vetus Italiæ populus ad lacum Fucinum, hodie Celanum, degebat. Concilium hac in urbe an. 1148. habitum litigium finiit inter ejusdem urbis Episcopum, & S. Joannis canonicos agitatum, qui sibimetipsis peculiariter olei phialam ab Episcopo benedicendam esse contendebant; quod iisdem negatum fuit. *Mansi*, Tomus II. col. 467.

Concilium Erfordiense, an. 1149.

Henricus, Archiepiscopus Moguntinus, concilium hoc ob ecclesiastica nonnulla negotia celebravit. *Ibid.* col. 471.

Concilium Bambergense, an. 1150.

Coegit Eberhardus, Archiepiscopus Saltzburgensis, concilium hoc. In eo discussa est Gerohusii, regularium Reichersperg ii canonicorum præpositi doctrina super Christo Domino, quem in humanitate perinde atque in divinitate adorandum esse asserebat. Hæc doctrina judicata fuit reprehensionis expers, & Folmerius, Gerohusii accusator, cum contemptu rejectus. *Concil. Germ.* Tom. III.

Idem præsul hoc ipso an. 1150. habuit alia concilia duo, Salisburgi unum, Ratisbonæ alterum; at utriusque acta periere. *Mansi*, Tom. II. col. 471.

Concilium Londinense, an. 1151.

Thibaldus, Archiepiscopus Cantuariensis, hoc concilium, medio Quadragesimali tempore, coram Rege Stephano, ejus filio Eustachio, regniqua primoribus celebrevit. In hoc concilio du appellationibus ed Romanam Sedam potissimum actum, in eodemqua ob peculiarie negotia ter appellatum est. Henricus Hungtingtoniensis, Anglus historicus, ejusmodi appellationes eit anteactis temporibus usui non fuisse, & Henricum Vintoniensem, quo tempore sanctæ Sedis legatus erat, primum iis vim præbuisse. (Ie porro ab eo. 1129 ed en. usque 1171. Episcopus fuit.) Hujus concilii super disciplina canones in lucem dedit, post Belatium, Venetus editor. *Anglic. I.*

Concilium Trevirense, an. 1152.

In hoc concilio Metthaus, Lotharingiæ Dux, monasterii Remiremontiensis ebbatissam & moniales in gratiam recepit. *Mansi*, Tom. II. col. 481.

Concilium Belgensiacense, an. 1152.

Habitum fuit concilium hoc 18. Martii die, super conjugio Regis Ludovici VII. eum Eleonore, Guillelmi X. Aquitaniæ ducis filie & hærede. Auditis teltibus qui Regis cum Regina consanguinitatem asseruerunt, eorum conjugium Episcopi, consentientibus partibus, nullum & irritum pronuntiarunt. Inter chronicorum auctores veteres, alii concilium hoc ad an. 1151. alii ad 1152. referunt; quod ex eo fectum, quia priores quidem a Paschate, posteriores vero a Nateli die Christi Domini, vel a Kalendie Jenuariis anni initium sumebent. Binius Belgentiacense concilium *Floridi* habitum sit, hac *Floridi* voca deceptus, qua designatur aliqnot ante pelmarum Dominicam diebus, quem nos *Pascha floridum* nuncupamue, concilium hoc habitum fuisse: *die martis ante festum Paschatis floridi, Reg. XXVII. Labb. X. Hard. VII.*

Concilium Hiberniense, seu Mellifontiense, an. 1152.

Mellifons est Cisterciensis ordinis in Irlandia monasterium. Cerdinelis Paperonius, & Christianus, Lismoriensis Episcopus, & per universam Irlandiam legatus, concilium hoc post Septembrem mensem coram Regibus, Ducibus, Episcopis, abbetibus, & Irlendiæ proceribus celebrarunt. In eo statuti erchiepiscopetus quatuor, Armachiensis, Dublinensis, Casselensis, & Thuamensis. Fallitur abbas Lengletius, dum hoc concilium *Melfortiense* noncupat, & dum hoc ipsum ab eo distinguit, in quo archiepiscopatus quatuor, quos diximus, erecti fuere, quod superiore anno 1151. habitum esse pro certo ponit. *Anglic. I.* pag. 452. Lenglet, *Tabella chronolog.* pag. 430.

Concilium Venetum, an. 1152.

Henricus Dandulus, Gradensis Patriarcha, Episcopis & inferioribus clericis numero pluribus edsistentibus, habuit super Sanctæ Marin Meriennajensis ecclesia concilium hoc. *Mansi*, Tom. II. col. 473. Habitum est eodem anno Coloniæ concilium, in quo actum de clarico, cui eruti oculi fuerant. *Ibid.* col. 483.

Concilium VVormatiense, an. 1153.

Cardineles duo, Bernerdus & Gregorius concilium hoc Pentecostes festis diebus hebuernot. In eo Henricus, Archiepiscopus Moguntinus, super plurium clericorum qui eidem suberent, calumniosis accusationibus depositus fuit, in ejusque locum suffectus Arnoldus Selehoveniensis, ejus ecclesiæ præpositus. *Concil. Germ.* Tom. III.

Concilium Constantiense, an. 1153.

Imperator Fridericus I. cognomento *Barbarossa*, in hoc concilio cum conjuge Adeleide, Thiboldi, Vehburgensis margrevii filia divortium edidit, coram legatis, & ex Episcoporum concilio, prout Otto Frisingensis memoriæ prodit. *Concil. Germ.* Tom. III.

Concilium Londinense, an. 1153.

Habitum fuit concilium hoc,, quadragesimeli tempora, coram Rege Henrico II. Perfectum in eo fuit, ut veteres in S. Eduardi charta enuntiatæ consuetudines, & eleri privilegia reviviscerent. *Labb. X. Harduin. VII. Anglic. I.*

Concilium Moretiense, seu Muretiense an. circiter 1154.

Moretum, Muretum, seu Muritum vicus est Vestinii tractus, ad Loingium, cum comitatus titulo, in Senonensi diœcesi. Meminit Mansius concilii, partim in incerto loco, partim Moreti, pro Vezelajensibus monachis, contra Nivernensem comitem, an. 1144. circiter celebrati. Id agebetur in hoc concilio, ut Vezelajenses monechi ab ejus loci incolarum vi, quibus comes fevebat, in tuto ponerentur. In eo auditæ monachorum querela, & adversariorum responsa; tum vero hi damnati, jussique comes perficere, ut rel. ite mandante Rege Ludovico VII. qui concilio aderat, retinerentur. *Mansi*, Tom. II. col. 491.

Concilium Burgoliense, seu Burguliense, an. 1154.

Burgolium, seu Burgulium parva urbs Galliæ in Andegavensi tractu, ubi celebris abbatia e S. Benedicti Ordine. Engelbadius, Archiepiscopus Turonensis, hoc concilium habuit una cum suffragaoeis, ob suæ provinciæ negotie. *Martenne, Anecdot.* Tom. III. *Mansi*, Tom. II. col. 495.

Concilium Suessionense, an. 1154. vel 1155.

Habitum est concilium hoc 10. Junii die. In eo Rex Ludovicus junior, & barones pacem ed decennium jurerunt. *Labb. X. Hard. VII.*

Concilium Vallis-Oletanum, seu Vallisoletanum, seu Valdoletanum, an. 1155.

Concilium hoc habitum fuit 25. Januarii die, Rege Alphonso VIII. rerum potiente, & Cardineli Hyacintbo præside, qui sanctæ Sedis legatus arat. Confirmatum in eo privilagium, quod monasterio S. Petri de Exlonza, prope Legionensam urbem, a Regina domoe Sancbie, Regis Alphonsi VII. seu VIII. sorore concessum fuerat. *D'Aguirre*, Tom. V. pag. 69.

Concilium Northemptonense, an. 1157.

Coegit concilium hoc, cui Rex Henricus II. adfuit, Thibaltius, Archiepiscopus Cantuariensis. In eo ad obedientiem suo Archiepiscopo præstandam adactus abbas monasterii Sancti Augustini, Silvester dictue. *Anglic. I.*

Concilium Cicerstrense, an. 1157.

In hoc quoque concilio nonnulli abbates alii eamdem obedientiam præstere jussi sunt. *Ibid.*

Concilium Remense, an. 1157.

Archiepiscopus Semson 26. Octobris die, concilium hoc celabravit, in eoqoe septem qui sequuntur, canones edidit:

1. Hæretici Albigenses, *Obesi* dicti, excommunicatione plectentur, & in carcerem conjicientur.

2. Ecclesiasticorum bonorum raptores canonice punientur.

3. Belli tempore nulla clericis, monachis, feminis, viatoribus, itemqua agricolis, & vineeriis colonis injuria asseretur.

4. Negebirur iis omnibus terra sancta, qui in ludicro certamina mortem subierint.

5. Abbates non mittent suos cenonicos ad parœciarum servitium; nec eos, absqua Episcopi consensu revocabunt.

6. Religiosæ suis in vestibus simplicitatem servabunt, nec claustra deserent, ne ed quæstum quidem mundi specie, præter quam si earum monasterie incenderentur, aut vastarantur. *Mansi*, Suppl. Tom. II. col. 499.

Concilium Provinciæ Magdeburgensis, an. 1157.

Concilium hoc quod in aliquo Megdeburgensis provinciæ loco quem hodie non amplius egnoscimus, habitum est, propositum litigium habuit, quod inter Osnaburgensem Episcopum, & Corbiensem Abbatem servebet super nonnullis decimis, quas abbas sibi ab Episcopo ademptas fuisse contendebet. Appellevit abbas e concilio ad Summum Pontificem Urbanum IV. quemadmodum testatur Synodica Wicmani, Megdebur-

burgensis Archiepiscopi ad hunc Papam epistola. *Mansi*, ibid. col. 503.

Concilium Moguntinum, *an.* 1159.

Arnoldus, Archiepiscopus Moguntinus, concilium hoc post primam octobris diem celebravit. Illud intermisit civium seditio, qui sequenti anno, Junii die 24. in S. Jacobi monasterio suum ipsum Archiepiscopum interfecerunt. *Concil. German.* Tom. III.

Concilium Ticinense, seu *Papiense*, *an.* 1160.

Conciliabulum hoc fuit Friderici Barbærubræ jussu die 5. Februarii habitum. Quinquaginta circiter Episcopi, & abbates plures in eo cœtu, 11. Februarii die, se pronuntiarunt ab Octaviano, S. Cæciliæ Cardinali stare, qui a duobus tantum Cardinalibus Antipapa electus fuerat, & Victoris III. nomen sumpserat, cum cæteri Cardinales ad unum omnes Rolandum, *S.* Marci titulo Cardinalem, qui se Alexandrum III. dictum voluit, Summum Pontificem elegissent. In eum, omnesque ejus fautores Ticinensis pseudo synodus anathema edixit. *Reg. XXVI. Labb. X. Hard. VII.*

Concilium Anagninum, seu *Agnaninum*, *an.* 1160.

Coactus Alexander III. Romam deserere, coegit concilium hoc, stipatus ab Episcopis & cardinalibus qui ab ejus partibus erant. In eo solemnem in modum Fridericum Imperatorem excommunicatione perculit, & a jurejurando absolutos enuntiavit eos omnes qui ei fidem obstrinxerant. *Fleurius*. Subdit Mansius qui hoc concilium ad an. 1161. trahit, in eo Hugonem, Cluniacensem abbatem. tamquam schismaticum depositum fuisse. *Mansi*, Tom. II. col. 531.

Concilium Nazareth, *an.* 1160.

Orientales in hoc concilio Romanæ Sedis Apostolicæ primatum professi sunt. *Labb. X. Hard. VII.*

Concilium Frisacense, *an.* 1160.

S. Evrardus, Salisburgensis Archiepiscopus, concilium hoc celebravit, quod definiit, negare Christo Homini-Deo, qui Verbo hypostatice unitus est, omnipotentiam, & reliqua divinitatis attributa omnia, esse nihil aliud, quam Pauli Samosateni, Nestorii & Photini errores ab inferis excitare. E re est animadvertere cum Hansigio, Germaniæ Sacræ Tom. II. pag. 263. quamvis cœtus hic, ex ejus temporis loquendi more, *Capitulum* nuncupetur, eumdem tamen non minus genuinum concilium esse, quandoquidem e pluribus Episcopis, abbatibus, decanis, canonicis, &c. conflatus fuit. *Mansi*, Tom. II. col. 529.

Concilium Andegavense, *inter annum* 1157. *&* 1161.

Josses, Archiepiscopus Turonensis, habuit in S. Albini capitulo concilium hoc. *Martenne*, *Anecdot.* Tomus III. pag. 316. *Mansi*, Tom. II. col. 531.

Concilium Cremonense, *an.* 1160.

Fuit hoc e conciliabulorum numero; in eo scilicet Imperator Fridericus, Dominica ante Ascensionem die, confirmatum voluit, quod in Ticinensi conciliabulo in Antipapæ Victoris gratiam egerat. *Mansi*, *Ibidem*.

Concilium Laudense, seu *Laudis-Pompeja*, *an.* 1161.

Hæc Pseudo-synodus die 19. Junii cœpit, & Julii die 25. desiit. In ea, coram Imperatore Friderico, confirmata fuit Antipapæ Victoris electio. *Reg. XXVI. Labb. X. Hard. VII.*

Concilium apud Novum-Mercatum, *an.* 1161.

Henricus II. cognomento Plantegenetus, Angliæ Rex, concilium hoc in Rothomagensi diœcesi, a Normanniæ Episcopis, mense Julio habitum voluit. In eo agnitus Alexander Papa III. perinde atque in concilio, jubente Rege Ludovico VII. eodem anno, eodemque mense Bellovaci celebrato. *Ibid.*

Concilium Monspeliense, seu *Montis-Pessulani*, *an.* 1162.

Alexander III. decem Episcopis adsistentibus, Maji die 17. Ascensionis scilicet solemni die, concilium hoc celebravit. In eo excommunicationem in Antipapam Victorem, ejusque asseclas iteravit. In eodem pariter Bullam edidit ad Guillelmum, Vezelajensis monasterii abbatem, ejusque religiosos datam, qua eorum monasterium a Cluniacensis jurisdictione eximit. *Labb. X. Hard. VII. Mansi*, Tom. II. col. 337.

Concilium Londinense, seu *VVestmonasteriense*, *an.* 1162.

Die 26. Maji, in quam Pentecostes vigilia incidebat, concilium hoc habitum fuit. Ei adfuit Henricus II. Rex, in eodemque Thomas Becquetius, regni cancellarius, unanimi voce Cantuariensis Archiepiscopus electus fuit, non tamen ab omnibus Angliæ Episcopis, ut ait Baronius, sed ab omnibus Cantuariensis Ecclesiæ suffraganeis, prout scilicet mos ferebat. Non ergo nationale, seu generale totius Angliæ regni, sed provinciale solummodo hoc quo de loquimur, concilium fuit. *Anglic. I.* pag. 434.

Concilium Clarendonense, *an.* 1164.

Fuit hic universi Angliæ regni cœtus, 25. Januarii die habitus. In eo statuta placita Angliæ juribus consona, & Ecclesiæ libertatibus repugnantia; cujusmodi sunt, quæ tribuebant regi jus perficiendi, ut in clericos, furti, homicidii, aliorumve criminum accusatos apud sæculares judices ageretur, atque ita, siquidem convicti essent, deponerentur, & laicæ curiæ traderentur. S. Thomas, Archiepiscopus Cantuariensis, his articulis qui *regiæ consuetudines* appellabantur, & ipse subscripsit, cæterorum Episcoporum & procerum regni sollicitationibus victus; at tam vehementi deinde mœrore ob suam hanc indulgentiam affectus fuit, ut ad altare accedere non ausus fuerit, quin a S. Alexandro III. Summo Pontifice absolutionem reciperet. *Anglic. I.*

Concilium Remense, *an.* 1164.

Coegit Alexander III. post mensem Majum concilium hoc. In eo actum de Terræ Sanctæ subsidiis. *Pagius*.

Concilium Northamptonense, *an.* 1164.

Conciliabulum hoc Octobris die 13. habitum fuit. In eo S. Thomas, Cantuariensis Archiepiscopus, a rege, proceribus, & Episcopis tamquam perjurus & proditor damnatus fuit. Sententiam hanc ad sancti præsulis appellationem Summus Pontifex abrogavit. *Regin. XXVI. Labb. X. Hard. VII. Anglic. I.*

Concilium Viennense, *in Delphinatu*, *an.* 1164.

Conciliabulum hoc fuit quod coegit Renoldus, Archiepiscopus Coloniensis, quem Imperator Fridericus II. in Galliam miserat, ut ibi Antipapam Paschalem III. agnoscendum curaret. Id nobis innotescit ex ejus epistola, quam S. Thomas Cantuariensis Episcopus Romam legavit, ut ipsius causam defenderet; quæ quidem epistola extat in Operibus *Christiani Lupi*, Tom. X. Epist. III. pag. 63. *Edit. Venet. Mansi*, Tom. II. col. 543.

Concilium VVirzburgense, *an.* 1165.

Imperator, quadraginta stipatus Episcopis in numerum relatis iis qui nondum sacrati erant, habuit conciliabulum hoc die 23. Maji, Pentecostes die ipso. Juraruut omnes se nunquam Alexandrum III. Papam agnituros, & Paschali III. quem schismatici post Victoris III. mortem elegerant, sancte ac fideliter adhæsuros. *Ars purgandi temporum notas*, pag. 215.

Concilium Lombariense, *an.* 1165.

Pons Arsacius, Archiepiscopus Narbonensis, hoc concilium sub Junium mensem habuit. In eo damnati *Boni-homines* qui e Manichæorum secta erant, quique deinde Albigenses, seu Valdenses appellati fuere. Probavit Vaissettius concilium hoc non Lombariæ, episcopalis urbis Vasconiæ, sed in parva alia ejusdem fere nominis urbe & baronia Galliæ, in superio-

periore Occitania, lancis duabus Albige procul. *Dom. nas Vaiffette, Hiſtoria Occitanie*, Tom. III. lib. 19. num. 1. aduot. 1.

Concilium Aquiſgranenſe, an. 1165.

Fuit cœtus hic plenaria Imperatoria Friderici ad Caroli Magni cenoeizationem curia. Ejus cæremonie dia 19. Decembris peraſte aſt. Huic canonizationi, quamvis a ſchiſmaticis, & Antipapæ auſtoritate edite eſſet, Romanorum Pontificum nullus obſtitit; & ab eo tempora, Eccleſiarum eliquæ Caroli Magni, tamquem ſancti diem feſtum egara. *Ars purgandi temporum notas*, pag. 215.

Concilium apud Chinun, ſeu *Chinienſe*, an. 1166.

Concilium hoc quod Manſius quidem an. 1165. Wilhiuſius autem an. 1166. habitum voluit, eo ſpeſtavit, ut S. Thomam cum Henrico Rege conciliarat. In eo leſta vebementie & roboris plana verbe, que præſul ad principem miſit. *VVilkins*, Tom. I. p. 439. *Manſi*, Tom. II. col. 216.

Concilium Conſtantinopolitanum, an. 1166.

Patriarcha Lucas Chryſoherglus, & triginta matrupolitani, 11. Aprilis die, concilium hoc calebrarunt. In eo damnatus abuſus qui matrimonium a ſaxtu ed ſeptimum gradum tolerabet, dummodo illius contrahendi facultas petita nun eſſet; vidalicet, in ee faſti ſpecie illud non quidem nullum declarabatur, ſed partes pœnitentiæ ſubdabantur, quia ponebatur ut certum eh iis illud per ignorantiem initum eſſe. Id eeuſæ prætaxentes qui ajuſmodi conjugie iuire volebant, ſedulo cavebant, ne facultatem peterent, quæ dubio procul iiſdem negeta eſſet; ſed ea libere tamquam licita contrahebanr. Ee porro metrimonia concilium nulla prorſus & irrire decleravit. *Jus Græco-Roman.* lib. 3. *Nemocanon*, tit. 23. *Cellierius*, *Hiſt. Auſt. Eccleſ.* Tom. XXI. pag. 702.

Concilium Oxonienſe, an. 1166.

Concilium hoc in Valdanſes bebitum fuit; at non deſunt, qui ad an. 1170. illud remittant. *Anglic. I.* pag. 438.

Concilium Lateranenſe, an. 1167.

Coegit Alaxandar III. ante Aprilem menſem concilium hoc; in quo Fridericum Imperatorem rurſus excommunicatione perculit, a fidelitatis juramentu ſolutis ſubditis. *Reg. XXVI. Labb. X. Hard. VII.*

Concilium Anglicum, an. 1167.

In hoc concilio id conſilii ceperunt Epiſcopi, ut S. Thomam, Cantuerienſem Archiepiſcopum epud Summum Pontificem perſequerentur. *Ibid. & Pagius.*

Concilium Vaurenſe, ſeu *Varenſe*, an. 1168.

Gall. Chriſt. Tom. I. pag. 1269.

Concilium Conſtantinopolitanum, an. 1168.

In hoc concilio ed extreme devenit Græcorum ſchiſme, qui ſe in eo ſcilicet omnino a Romana Eccleſia ſejunxerant. *Hard. VII.* Concilium hoc non eſt, ut videtur, eb eo aliud quod Pegius ad an. 1170. refert.

Concilium Conſtantinopolitanum, an. 1170.

Patrierche Michael Anchiales hauc ſynodum celebravit, perfecitque, ut quæ ab Imperatore Comneno ed duarum Eccleſiarum conciliationem proponebantur, a ſynodi Petribus rejicerentur. *Pagius*, *ad hunc annum.*

Concilium Pariſienſe, an. 1170.

Impugnata eſt in hoc concilio Petri Lombardi propoſitio. *Labb. X. Hard. VII.*

Concilium Engolimenſe, an. 1170.

In gratiam ebbatiæ S. Amandi Boiſſenſis edita donatio huic concilio cauſam præbuit. *Ibid.*

Concilium Armachanum, an. 1171.

Rex Henricus II. omnibus Irlandiæ præſulibus in mandatis dedit, ut ad banc ſynodum convenirent. In ee omnes Angli qui per Irlendiam ed captivitatem redaſti erant, libertate donati ſunt. *Regin. XXVII. Labb. X. Hard. VII. Anglic. I.*

Concilium Conſtantinopolitanum, an. 1171.

In boc concilio editi ſunt ſuper diſciplina canones quinque. *Manſi*, Tom. II. col. 661.

Concilium Londinenſe, ſeu *VVeſtmonaſterienſe*, an. 1173.

Habitum eſt concilium boc die 6. Julii. Richardus, monaſterii S. Auguſtini prior, in eo Cantuarienſis Arcbiepiſcopus eleſtus fuit. In eo leſte deinde Alexandri III. Summi Pontificis Bulle, quæ S. Thomem, Cantuarienſem Archiepiſcopum cenonizat. Putat Wilkinſius huic concilio tribui oportere viginti quinque ſtatuta ſen canones ad diſciplinam ſpeſtantes qui perinde ac Londinenſes, an. 1175. e veteribus conciliis deprompte ſunt.

Concilium Cadomenſe, an. 1173.

Aſtum aſt in boc concilio de Haurico II. Angliæ Rege, qui S. Thomem Cantuerienſem perſecutus fuerat, ejuſque internecioni occaſionem prabuerat. *Beſſinius.*

Concilium VVedeſtockienſe, in Anglia, an. 1173.

In boc concilio, Nordovicenſi apiſcopatui, eliiſque non paucia abbatialibus eccleſiis quæ vacabant, ſui ſingulis paſtores dati. *Anglic. I.*

Concilium Vindeſorienſe, an. 1175.

In hoc concilio Irlandiæ Rex ſe ſubdidit Angliæ Regi. *Ibid.*

Concilium Hallenſe, an. 1175.

Wicmanus, Magdeburgenſis Archiepiſcopus, concilium boc in ludicra certamina celebravit. *Concil. Germ.* Tom. III.

Concilium Nortamptonienſe, an. 1176.

Cardinalis Hugo, ſanſtæ Sedis legatus, coegit concilium buc, 25. Januarii die. Arcbiepiſcopus Eboricenſis edigere voluit Scotiæ Epiſcopos qui cœtui aderant, ut ejus jurisdiſtioni ſe ſubderant. Ar ii refragati ſunt, aſſerentes ſe ante unuem memoriam proxime ſanſtæ Sedi ſubeſſe; remanſitque negotium ſub judice. *Labb. X. Hard. VII. Anglic. I.*

Concilium Dublinenſe, in Irlandia, an. 1176.

Vivianus, Alexandri III. in Scotie & Irlendia legatus, coegit hanc ſynodum quæ Papæ & Regis Angliæ ſuper Irlandiam jura confirmavit roboravitque, *Anglic. I.*

Concilium VVeſtmonaſterienſe, an. 1176.

Hugo, Romani Pontificis legatus, huic concilio præfuit, quod intermiſſum fuit, omni prorſus infeſta re, tumultus eauſe, quem Centuarienſis & Eboricenſis Archiepiſcoporum, quoad gradum, arrogata jura excitarunt. *Anglic. I.*

Concilium Rhedonenſe, an. 1176.

Bartbolomæus Vindocinenſis, Turonenſis Archiepiſcopus, coegit concilium hoc, fortaſſe ſuper Turonenſis & Dolenſis Eccleſierum litigiis, quoad metropolitanum jus, de quo Eccleſiæ duæ inter ſe contendebant. *Mareenne, Anecdot.* III.

Concilium Northamptonienſe, an. 1177.

Convocavit Henricus II. Rex concilium boc, quod Angliæ nationis generale concilium vocetur. In eo princeps, Romano Pontifice conſentiente, regulares canonicos ſecularium loco, in Walthamienſi capitulo, & Fonteveltenſes moniales Ambreſbericenſium loco poſuit. *Labb. X. Hard. VII. Anglic. I.*

Conci-

Concilium VVestmonasteriense, an. 1177.

Idem Princeps hoc quoque concilium, quod & ipsum generale nuncupatur, convocavit, ut Alphonsum, Castellæ, & Saocbium, Navarræ Reges inter se conciliaret. *Ibid.*

Concilium Edimburgense, in Scotia, an. 1177.

Vivianus, sanctæ Sedis Legatus, hoc concilium, Kalendis Augustis, habuit. In eo renovata decreta vetera, & edita quædam nova. *Ibid.*

Concilium Tarsense, an. 1177.

Adscriptus est huic concilio annus 626. æræ Armenorum, qui anno Christi Domini 1177. respondet; habitumque est die 9. Julii. Armeniæ Rex Leo concilium hoc convocavit, propositionum ergo, quas Græci Armenis exhibuerant, ut secum iis consociarent. Compertum fit ex hoc concilio Armenos eo fere tempore Romanæ Ecclesiæ summopere addictos fuisse. *Galanus, Conciliat. Eccles. Armena cum Rom.* Tom. I., *Mansi*, Tom. II. col. 679.

Concilium Venetum, an. 1177.

Celebratum fuit concilium hoc 14. Augusti die, a summo Pontifice Alexandro III., Cardinalibus sex, pluribusque Italiæ, Germaniæ, Longobardiæ & Tusciæ seu Etruriæ Episcopis adsistentibus. Imperator Fridaricus I. qui a schismata recesseret, & ejusdam mensis prima die, in Veneta urbe ipsa, pacem juraverat, huic concilio intereret. In eo summus Pontifex contra eos omnes qui eam pacem turbarent, excommunicationem pronuntiavit. *Reg. XXVII. Labb. X. Hard. VII. Mansi*, Tom. II. col. 680.

Concilium Hechenaufense, an. 1178.

Conradus, Archiepiscopus Salisborgensis, Kalendis Februariis concilium hoc una cum suis suffraganeis celebrevit. Universum concilium Antipapæ Callisti obedientiam respuit, ut se Alexandro III. devoveret, subderetque. *Concil. Germ.* Tom. III. *Edit. Venet.* Tom. XIII.

Concilium Tarraconense, an. 1180.

Berengarius, Archiepiscopus Tarraconensis, habuit cum suis suffraganeis, suique cleri parte concilium hoc. Inchoatum illud fuit 24. Junii die, & Octobris tantum 18. finem habuit: In eo suppressus Hispanicæ æræ calculus, mandatumque, ut deinceps, in publicis actis, anaus Incarnationis Christi Domini poneretur, denique vetitum, ne anni Regum Galliæ, ut hactenus, adhiberentur; quod tamen impedimento non fuit, quominus anno etiam 1184. inter Alphonsum, Aragoniæ Regem, & Raimundum, Tolosæ comitem conventio, adscripto Pbilippi Augusti regno, perspiceretur. *D'Aguirre*, Tom. V. pag. 98.

Concilia, Aniciense & Vasatense, an. 1181.

Horum conciliorum nihil superest præter nomen. Utrumque Cardinalis Henricus, Albanensis Episcopus & sanctæ Sedis Legatus habuit, primum die 15. Septembris, & 8. Decembris alterum. *Vaissetius*, T. III.

Concilium Aquilejense, an. 1181.

Valdericus, seu Ulricus, Archiepiscopus Aquilejensis & Sedis Legatus hoc concilium coegit, suos ut canonicos ad communem vitam suscipiendam adduceret. *Mansi*, Tom. II. col. 705.

Concilium Cadomense, an. 1182.

Eo spectavit hæc synodus, ut pax in Anglia & Normannia sarta tectaque servaretur. *Bessinius*, in *Concil. Normann.*

Concilium Lemovicense, an. 1182.

Cardinalis Legatus Henricus concilium tertia Quadragesimæ Dominica die celebrevit. Conflatum fuit e Provinciis duabus, Bitoricensi & Burdegalensi; Ecclesiæque disciplinam propositam habuit. *Vaissetius*, Tom. III.

Concilium Segniense, in Italia, an. 1182.

In hoc concilio S. Brunonem canonizavit summus Pontifex Lucius III. *Pagius ad ann.* 1125. n. XIV.

Concilium Malebergicum, seu apud Malebergiam, an. 1182.

Gaofriddus, Lincolniensis Episcopus, & Angliæ Regis Henrici II. filius, in hoc concilio, Rege patre Episcopisque præsentibus, libere ultroque suo se Episcopatu abdicavit. *Anglic. I.* pag. 488.

Concilia, Anglicum & Dublinense, an. 1183.

Concilia hæc duo ea de causa habita fuere, ut scilicet pecuniarium subsidium pro Papa peteretur. *Ibid.*

Concilium Vindesoriense, an. 1184.

Habitum fuit concilium hoc, ut Cantuariensis Archiepiscopus eligeretur. *Ibid.*

Concilium Veronense, in Italia, an. 1184.

Coegit Lucius III. concilium hoc quod a prima Augusti die ad 4. Novembris, aut etiam amplius perduravit. In eo summus Pontifex, Imperatore Friderico præsente, in hæreticos Constitutionem edidit, in qua perspicitur potestatum duarum ad hæreseon extirpationem concursus. In id Ecclesia spirituales, Imperator, viri Principes & Magistratus, temporales poenas impendunt. *Labb. X. Hard. VII.*, *Mansi*, Tom. II.

Concilium Aquilejense, an. 1184.

Hæc synodus in incendiarios & sacrilegos habita est. *Ibid.*

Concilium Parisiense, an. 1185.

Januario mense celebratum fuit concilium hoc, & quidem an. 1185. non autem 1186. quemadmodum apud vulgares collectores legitur. In eo Pbilippus II. cognomento Augustus, Galliæ Rex, adstantes omnes præsules jussit hortari sibi subditos, ut Hierosolymam ad fidei defensionem iter agerent, atque illuc eodem anno suis ipse impensis bene multos equites & pedites misit. *Ibid.*

Concilium Londinense, an. 1185.

Eadem huic concilio ac Parisiensi causa fuit. Inter duos Galliæ & Angliæ Reges, qui se mutuo super hac re consuluerant, id convenit, ut locis sanctis per homines & pecuniam, conjunctis viribus, subsidium & opem ferrent. *Baronius & Pagius, in hunc ann.*

Concilium Spalatense, in Dalmatia, an. 1185.

Petrus, Archiepiscopus Spalatensis, convocavit concilium hoc, ut Ecclesias suo Archiepiscopatui subditas designaret. *Allemani, Kal. Ant.* Tom. IV.

Concilium Constantinopolitanum, an. 1186.

Patriarchæ tres, Constantinopolitanus, Hierosolymitanus & Antiochenus, una cum viginti tribus metropolitanis, concilium hoc, coram Imperatore Isaac, cui nomen Angelo, celebrarunt. In eo Joannes, Cyzicanus metropolita, de violatis, in electionum negotio, quoad eum canonibus, propterea quod Constantinopolitanus Patriarcha, ejusque concilium, eo non appellato, tametsi per id temporis Constantinopoli versaretur, elegerent in ipsius provincia Episcopus quinque. Id Imperatori occasionem præbuit, ut Novellam ederet, qua eas electiones omnino nullas & irritas pronuntiavit, mandavitque, ut ad eas quæ deinceps Constantinopoli fierent, omnes Episcopi, quos ibidem esse contingeret, vocarentur. Non est ergo veritati consonum, quod asserit Petrus de Marca, Ecclesiam jam inde a nono sæculo electiones Imperatoribus reliquisse. *Mansi*, Tom. II. col. 721. *Ars purgandi temporum notas*, pag. 216.

Concilium Irlandiæ, seu Dublini, an. 1186.

Joannes, Archiepiscopus Dubliensis, ejusque suffraganei, die 23. Martii, habuere concilium hoc in quo egerunt de Cleri reformatione, & in primis clericos concubinarios infestati sunt. *Labb. X. Hard. VII. Mansi*, Tom. II.

Conci-

Concilium Egueshamienſe, an. 1186.

Concilium hoc menſe Majo, coram Rege Henrico II. ad plurium Epiſcoporum & Abbatum electionem habitum fuit. *Anglic. I. Manſi, II.*

Concilium Charruxienſe, an. 1186.

Henricus Sullіacus, Archiepiſcopus Bituricenſis, Cardinalis & ſanctæ Sedis Legatus concilium hoc celebravit, quod edidit ſtatuta quædam ad diſciplinam ſpectantia. *Labb. X. Hard. VII.*

Concilium Colonienſe, an. 1186.

Habuit concilium hoc Philippus, Archiepiſcopus Colonienſis. In eo anuntiata fuit S. Annonis, unius ex ejuſdem præſulis deceſſoribus canonizatio. *Concil. Germ.* Tom. III.

Concilium Monſonienſe, in Remenſi diœceſi, an. 1186. *ſeu* 1187.

Folmarius, Archiepiſcopus Trevirenſis, Cardinalis & ſanctæ Sedis Legatus, prima Quadrageſimæ Dominica die, hoc concilium celebravit, cum ſuæ provinciæ Epiſcopis, Tullenſi & Metenſi exceptis, quorum primum excommunicavit, alterumque depoſuit. Suſpenſionis etiam ab officio & beneficio ſententias, quod Imperatoris indignationem in eum traxit, in plures clericos pronuntiavit. Gregorius VIII. cum, quicquid in eo concilio actum erat, intellexiſſet, ſuam Trevirenſi præſuli offenſionem ſignificavit, ei cenſurarum uſum, inſcia ſancta Sede, in poſterum interdixit, eumdemque per Breve hortatus eſt, ut agendi rationem, boni Epiſcopi moderatione parum dignam repararet. *Pagius, ad hunc ann., Manſi,* Tom. II. col. 719.

Concilium Colonienſe, an. 1187.

Philippus, Archiepiſcopus Colonienſis, habuit concilium hoc, in quo donationes quaſdem, in Steinfeldenſis Abbatiæ gratiam editas confirmavit. Cum ſuis præterea comprovincialibus de adjumentis deliberavit, quibus Imperatori Friderico I. obſiſteretur, qui in Coloniam Urbem ſcilicet, irruptionem minitabatur, ut offenſionem qua ſe a Papa affectum putabat, ulciſceretur. *Concil. Germ.* Tom. III.

Concilium Parmenſe, an. 1187.

Coactum fuit concilium hoc in laicorum hominum vim, qua nonnullos ex Eccleſiaſticis impetierent. *Reg. XXVII. Labb. X. Hard. VII.*

Anno 1188. habita fuere ob ſacram crucis militiam, vulgo *Cruciatam*, concilia plura; quæ mixtos potius cœtus dixeris.

Concilium primum quod perſtitit a 13. Januarii die ad 21. uſque, inter Giſorium, ſeu Cæſarotium, & Triam celebratum fuit; in eoque Henricus II. Angliæ Rex, & Philippus Auguſtus, Rex Galliæ, crucem ſumpſerunt ad ſacram militiam, ut Saladino bellum inferrent.

Alterum paulo poſt Cenomani habitum eſt, in quo Angliæ Rex mandavit, ut unuſquiſque, per eum annum, ſuorum redditnum, mobiliumque bonorum decimam partem ad Terræ ſanctæ ſubſidium conferret.

Tertium Pariſiis, in quo Philippus Auguſtus, Martii die 27. haud diſſimile mandatum edidit. Decima hæc pars appellata fuit decima Saladina.

Quartum Lanciſchil in Polonia.

Quintum Guntingtonii, in Comitetu Northentonienſi, in Anglia. *Ibid. & Anglic. I.*

Manſius nos certos facit hoc ipſo anno ſimilem cœtum Moguntiæ habitum eſſe, in quo Imperator Fridericus ex Henrici, Albanenſis Epiſcopi & Sanctæ Sedis Legati manibus crucem recepit, quemadmodum Angliæ & Galliæ Reges in Giſorienſi, ſeu Cæſarotienſi cœtu eam ab eodem præſule acceperant. *Manſi,* Tom. II. col. 739.

Concilium Cracovienſe, an. 1189.

Cardinalis Joannes Malabranca, Legatus Clementis III. Pont. coegit hoc concilium pro reformatione Cleri. cui Decimas impoſuit ad recuperationem Terræ ſanctæ. *Reg. XXVIII. Labb. X. Hard. VII.*

Concilium Pipewellienſe in Anglia, an. 1189.

Concilium hoc quod Pipewellii, quæ Nortantonienſis Abbatia eſt, celebratum fuit, ex ingenti Epiſcoporum & Abbatum Angliæ, Normanniæ, Galliæ & Irlandiæ conſtitit. Ei Richardus Rex cum pluribus Principibus viris interfuit. Balduinus, Centuarienſis Archiepiſcopus, acriter in eo jus propugnavit, quo gaudabat, tamquam totius Angliæ primas, ut Geofriddum, qui Eboracenſis Archiepiſcopus electus fuerat, conſecraret. *Anglic. I.*

Concilium Cantuarienſe, an. 1189.

Hugo, Durhamienſi, & Hebertus, Saliſberienſis, Epiſcopi de Geofriddi ad Eboricenſem Archiepiſcopatum electione ad ſummum Pontificem appellarunt, ajentes ejus electionem canonicam non fuiſſe, utpote quod ipſi haud iis interfuerant. *Ibid.*

Concilia VVeſtmonaſterienſe, & Gloceſtrienſe, an. 1190.

Guillelmus, Papæ Legatus habuit hæc concilia duo, quorum acta ignorantur. *Ibid.*

Concilium Cantuarienſe, an. 1193.

Richardus I. Angliæ, cognomento Cor-leonis, cum audiſſet in ſuo Germanico carcere, in quo ab Imperatore Henrico VI. detinebatur, Cantuarienſem ſedem vacare, ad ejus Eccleſiæ ſuffraganeos & decanum ſcripſit, ut ad novam electionem devenirent. Ergo Epiſcopi, ad Cantuarienſium monachorum præſentationem, Hubertum, Saliſberienſem Epiſcopum, in Archiepiſcopum elegerunt. *Ibid.*

Concilium Compendienſe, an. 1193.

Guillelmus, Remenſis Archiepiſcopus & ſanctæ Sedis legatus, hoc concilium, ſeu potius ſupremum hunc Compendienſem Senatum, Gallice *parlamentum*, habuit 4. Novembris die; in quo inepte ac perperam, cum adſiſtentibus Epiſcopis, pronuntiavit, matrimonium Philippi Regis cum matrone Principe Ingeburga, Waldemari I., Daniæ Regis filia, conſanguinitatis cauſa, nullum eſſe. Ingeburga porro ab hoc judicio ad Romanum Pontificem appellavit, ut potuit, quippe quæ nec Gallice, nec Latine ſciret, exclamans: *Mala Francia, mala Francia, Roma, Roma.* Auctor *Artis purgandi probandique temporum notas*, animadvertit, & quidem merito, hallucinatum eſſe Manſium, qui hoc conciliabulum ad an. 1195. retulit; illud enim octuaginta duobus diebus ante matrimonii cæremoniam, quod nullum & irritum a Guillelmo declaratum fuit, habitum eſt; hæc autem cæremonia in decimam quartam auguſti diem an. 1193. incidit.

Concilium Montis-Peſſulani, ſeu Mons-peſſulanienſe, an. 1195.

Michael, ſanctæ Sedis Legatus, huic concilio præfuit. In eo reſtituta pax in Narbonenſi provincia; excommunicati hæretici, piratæ, & quicumque Saracenis ſubſidium præſtabant, edita præterea ſtatuta plura, quorum unum iis favebat, qui contra infideles in Hiſpaniam proficiſcerentur. *Labb. X. Hard. VII.*

Concilium Pariſienſe, an. 1196.

Romani Pontificis Legati duo cum omnibus Regni Epiſcopis & Abbatibus, eo quidem animo hoc concilium coegerunt, ut Regis Philippi Auguſti cum principe Ingeburga matrimonium expenderent; at eos pronuntiare timor impediit. *Ibid.*

Concilium Senonenſe, an. 1198. ſeu 1199.

In Poplicanos, Manichæorum genimen quoddam, hæc habita ſynodus. *Ibid.*

Concilium VVeſtmonaſterienſe, an. 1199.

Prima Octobris die, concilium hoc, Huberto, Cantuarienſi Archiepiſcopo præſide, ſuper eccleſiaſticis nonnullis negotiis, habitum fuit. *Anglic. I.*

Concilium Divionenſe, an. 1199.

Concilium hoc quod in S. Benigni Eccleſia celebratum eſt, die 6. Decembris initium habuit, & ſe-

ptem

ptem dierum spatio perduravit. Petrus Capuanus, legatus, Archiepiscopis quatuor & Episcopis octodecim adsistentibus, in eo de Philippi Augusti cum Regina Ingeburga conjugio egit. Censuras veritus Rex a concilio ad Romanum Pontificem appellavit, & legatus nihil definiit. In S. Benigni Chronico concilium hoc an. 1200. ponitur. *Ars purgandi adscripta tempora*, pag. 217.

Concilium Viennense, in Delphinatu, an. 1200.

Hæc synodus quæ superioris prosecutio quædam est, habita fuit Januario mense, eodem legato præside, qui se in Imperii regionibus versari videns, interdictum in eas omnes quæ e Galliarum Regis obedientia erant, pronuntiavit, præsulibus omnibus illud servare jussis, suspensionis indicta pœna. *Ibid.*

Concilium Londinense, an. 1200.

Fuit hoc universæ Angliæ concilium. Ei præfuit Hubertus, Archiepiscopus Cantuariensis, in eodemque quatuordecim qui sequuntur, canones pronuntiavit:

Primus id mandat, ut Sacerdotes distincte & aperte verba Canonis Missæ proferant, quin citius festinent, aut inter pronuntiata verba spatii nimium interponant.

Vetat secundus, ne iidem Sacerdotes citra necessitatem bis in die sacrum faciant; omnes hostias dominicis diebus singulis renovari vult, & Eucharistiam non nisi publice, & potentibus tantum, publicis tamen peccatoribus exceptis, præberi.

Tertius præcipit, ut infantes expositi iterum baptizentur; vetatque Diaconos Baptisma administrare, & pœnitentiam imponere, nisi forte necessitas ita postulet; videlicet, cum Presbyter aut abest, aut non vult, aut in mortis vel morbi periculo infans ægrotusve versentur.

Vult quartus Presbyteros in pœnitentiæ impositione canones sequi; eosdemque, alicujus peccati reos haud celebrare: vetat denique pœnitentiæ loco præscribi, ut Missæ celebrandæ curentur.

Quintus renovat Lateranense, sub Alexandro III. concilium quartum; vetatque præsulibus & archidiaconis, ne parochis, in suis visitationibus, oneri sint.

Vult sextus, ut Episcopus qui Sacerdotem aut Diaconum ordinat sine titulo, aut qui nihil in bonis habet, eos alat, sustentetque, quoad iisdem Ecclesiam contulerit.

Septimus jubet, ut monitio semper excommunicationis sententiam præcedat.

Octavus prohibet, ne quicpiam ob Sacramentorum administrationem, vel ob docendi veniam exigatur.

Mandat nonus, ut ne decimæ imminuantur, prætextu impensarum causa, quæ ad frugum perceptionem fiunt, & ut Parochi, prout Rothomagense concilium præcipit, decimarum detentores excommunicatione plectant.

Decimum Parochos jubet residere, prohibetque, ne clerici fœminas apud se detineant, neve caupones frequentent.

Undecimus interdicit, ne matrimonia contrahantur, quin enuntiatio triplex edita fuerit, & ne ignotæ personæ in matrimonium jungantur; vult demum conjugia publice & coram Parocho celebrari.

Duodecimus mandat, ut qui alicujus criminis, de quo convinci nequeunt, accusati sunt, ipsi se purgent, prout canones statuunt.

Decimus tertius edicit, ut leprosi segregentur, iisque Presbyter & Ecclesia peculiariter designentur, cum cœmeterio seorsim, ubi sepulturæ tradantur.

Decimus quartus interdictionem toties editam renovat, ne beneficia a laicorum manu suscipiantur, neve ob ingressum in religionem pecunia sumatur.

Concilium Romanum, an. 1200.

Summus Pontifex Innocentius III. S. Cunegundam, Imperatoris Henrici II. conjugem in hoc concilio canonizavit. *Concil. Germ.* Tom. III.

Concilium Nigellense, in agro Veromanduano, an. 1200.

Legatus Octavianus, 7. Septembris die, concilium hoc celebravit, & interdictum in eo sustulit, quod Galliarum regno ante menses octo impositum fuerat; Rex quippe Ingeburgam receperat, & cum ea tamquam cum Regina se acturum juraverat. *Labb. X. Hard. VII.*



CON-

C O N C I L I A

SÆCULI DECIMI TERTII.

Concilium Suessionense, an. 1201.

Oncilium hoc quod e medio mense Martio ad Aprilis finem usque perstitit, propositum babuit Philippi Regis cum Ingeburga matrimonium, quæ in Stempensem ercem conjecta fuit. *Labb. XI. Hard. VII.*

Concilium Parisiense, an. 1201.

Coegit Octavienus Legatus e regni Episcopis concilium hoc, in quo convicit hereseos Veldensem quemdam, *Elgaudum*, seu *Evrandum* nomine, qui Niverni, cujus urbis rector erat, flemmis addictus fuit. *Ibid.*

Concilium Perthanum, in Scotia, an. 1201.

Legatus Joannes, S. Stephani Cardinalis concilium hoc ed morum reformationem babuit; perduravit illud quatuor dierum spetio. Ejus acte periere; id unum scimus in eo mendatum, gravibus indictis pœnis, ut Sebbato a meridie Fideles ab opere desisterent, Sermonique ac Vesperis, per aris campani sonum moniti accitique, interessent. In eo præteree composita lis quæ inter sancti Andreæ Episcopum & Cherchenses monachos coorta eret. *Ibid. & Anglic. I., Mansi*, Tom. II.

Concilium Meldense, an. e204.

Convocavit hoc concilium Abbes Cosemarius, sanctæ Sedis Legatus, eo consilio, ut conciliaret Galliæ & Anglia Reges, qui inter se diffidebent super Pictevienfi Comitatu, quem Joannes. Anglia Rex e Philippo Augusto, Gallia Rege, sibi usurpetum ejebat. *Labb. X. Hard. VII.*

Concilium Arelatense, an. 1205.

Legatus Petrus Castelnaviensis coegit concilium hoc, quod in Arelatensis Ecclesiæ gratiam nonnulla statuit.

Concilium Antiochenum, an. 1205.

Concilium hoc e Cardinali Petro, sanctæ Sedis Legato ad Armenos interdicto subdendos coactum fuit. Putar Mansius huic concilio annum 1203. tribuendum esse, anni 1205. loco, ut Reginalde plecet. *Mansi*, Tom. II. col. 787.

Concilium Sanctæ-Mariæ de Andrea, seu Andrebense, in Sardinia, an. 1205.

Riccus, Archiepiscopus Caleritanus, habuit concilium hoc super nonnullis censibus quos Nurchiensis prioratus monachi solvere recusabant. *Mansi*, Tom. II. col. 789.

Concilium Perthanum, in Scotia, an. 1206.

Fuit hoc nationale totius Scotia concilium, Aprili mense celebratum, cujus, perinde ac Lambetiensis, S. Albani & Radingensis conciliorum quæ eodem anno babita fuerunt, acta non extant. *Anglic. I.*

Concilia, Londinense, & Oxoni-nse, an. 1207.

Joannes Rex, cum a transmarino itinere rediisset, hæc duo concilia convocavit. ut omnes Angliceni regni beneficiarios ed certam quamdam pecuniæ vim e beneficiorum suorum redditibus sibi solvendam adigeret; et cum hi quidem enuntiassent id in Anglicane Ecclesie ineuditum esse, eorum significationibus ecquievit Rex. *Anglic. I.*

Concilium Lavalliense, seu apud Vallem Guidonis, an. 1207. vel 1208.

Habitum fuit concilium hoc a Turonensis provinciæ Episcopis quorum Archiepiscopus Geofriddus Ludesiensis agmen ducebat. In eo editi disciplinæ nonnulli canones, quorum unus mandabat, ut Ecclesiæ bonorum catalogus in archiviis servaretur. *Mansi*, Tom. II. col. 791.

Concilium sancti Severi-Capli, in Vasconia, an. 1208.

Nevarrus, Conseranensis Episcopus Legatusque apostolicus in boc concilio sententiam tulit in ejus urbis incolas qui ejusdem loci Abbatem & monachos malu babuerant, dissidiorum causa, quæ inter eos super temporalibus quibusdam juribus intererant. *Mansi*, *Ibid.*

Concilium Montis Limarii, seu Montiliense, an. 1209.

Legatus Milo coegit, ineunte manse Junio, concilium hoc, in quo Raimundum, Tolosæ comitem cum suis fautoribus ad Valentiæ concilium accivit.

Concilium Valentinum, in Delphinatu, an. 1209.

Tolosæ comes, e Legato in jus vocatus, adfuit, medio Junio mense, concilio huic, & conditiones accepit sibi impositas, absolutionis obtinendæ gratia, quæ ei tamen etiamnum concessa non fuit. *Ibid.*

Concilium sancti Ægidii, in Occitania, an. 1209.

Idem Legatus 18. Junii die banc synodum celebravit; in eoque tandem Tolosæ comiti absolutionem tribuit, cum ab eo novum jusjurandum exegisset, quo se omnia quæ intulerat, mals reperaturum pollicebatur. *Ibid.*

Concilium sancti Ægidii, an. 1210.

Tolosæ comes, rursus in jus accitus, qui scilicet obstrictam fidem non præstitisset, in hoc concilio eam sibi veniam petiit, ut ab hæreseos necisque, qua legatum Petrum Castelnaviensem affecerat, criminibus se purgeret; quod ei tamen negatum fuit. *Ibid.*

Concilium Romanum, an. 1210.

Summus Pontifex Innocentius III. coegit Novembri mense concilium hoc, in quo Ottonem Imperatorem excommunicationi subdidit, propterea quod Romanæ Ecclesiæ regionibus quibusdam potitus esset, Siciliæque regnum usurpare vellet. *Reg. XXVII. Labb. XI. Hard. VII.*

Concilium Londinense, an. 1210.

Concilium hoc, seu supremum Senatum, vulgo *parlamentum*, convocavit Joannes Rex, ingentemque pecuniæ vim e sui regni præsulibus & monachis in eodem extorsit. *Anglic. I.*

Concilium Gnesnense, in Polonia, an. 1210.

In hoc concilio, Posnaniensis Ecclesiæ Episcopus, & decanus a communione repulsi sunt. *Mansi*, Tom. II. col. 813.

Concilium Narbonense, an. 1211.

Habitum est hoc anno concilium hoc, non eutem an. 1210. quemadmodum Labbæus & Harduinus contendunt, probat Vaissetius. In eo sanctæ Sedis Legatus, & Raymundus, Episcopus Uticensis, Tolosæ comiti proposuerunt sua ei dominia se reddituros, ea conditione, ut e suis ditionibus hæreticos pelleret, quod facere comes renuit. *Ibid.*

Con-

Concilium Arelatense, an. 1211.

Habitum fuit concilium hoc paulo post Narbonense quod Januario menſe ineunte celebratum fuerat. In eo Toloſæ comiti tam graves duræque pacis conditiones propoſitæ, ut comes ediceret mori ſe malle, quam eas accipere. Juſſa facere renuentem anathemate concilium perculit, ejuſque dominia primo occupanti reliquit. *Vaiſſettius.*

Concilium Northamtoniense, an. 1211.

Innocentii III. capellanus quidam, cum legatus in Angliam miſſus eſſet, hoc concilium coegit, in quo Joannem Regem, recuſantem ſatis Eccleſiæ facere, præſentem audientemque excommunicavit. Beverlajenſium Annalium auctor hoc concilium ad ſubſequentem annum trahit. *Anglic. I.*

Concilium Perthanum, in Scotia, an. 1211.

In hac ſynodo id initum conſilii, ut ſubſidium Terræ-Sanctæ afferretur. *Ibid.*

Concilium Kelmoellocense, an. 1211.

Kelmoellochium eſt in præſentia obſcuri nominis locus qui olim Cashellenſi ſeu Cocſallenſi, in Irlandia, archiepiſcopatu continebatur. Ex Innocentii III. epiſtola 195. nobis innotaſcit an. 1211. ſeu fortaſſe 1210. concilium eo loci habitum eſſe, in quo de Iſmalicenſis (quæ urbs hodie diruta) Epiſcopi electione & ordinatione actum fuit. *Manſi*, Tom. II. col. 817.

Concilium Vaurense, an. 1213.

Concilium hoc medio Januario menſe inchoatum, octavo poſt die abſolutum fuit. In eo rejectum, quicquid Dominus Pedrus II. Aragoniæ Rex ad Comitum, Toloſani, Convenarum, Foxienſis & Bearnienſis conciliationem obtulerat. *Labb. XI. Hard. VII.*

Concilium Bituricense, an. 1213.

De hoc concilio id unum conſtat, Archiepiſcopum Burdagalanſem, cum cœtui adeſſe renuiſſet, e ſuis metropolitani functionibus ſuſpenſum fuiſſe. *Manſi*, Tom. II. col. 847.

Concilium ad Sanctum Albanum, ſeu Albanense, an. 1213.

Stephanus de Langtonio, Archiepiſcopus Cantuarienſis, concilium hoc, menſe Julio, celebravit. In eo Joannes Rex ſe cum præſulibus & baronibus conciliavit, ſe quidem deinceps S. Eduardi, itemque Henrici I. leges ſervaturum per jusjurandum pollicitus. *Anglic. I.*

Concilium Londinense, an. 1213.

Idem Archiepiſcopus, 25. Auguſti die, hanc ſynodum habuit. In hac divini officii, ſubmiſſa voce, publice recitandi clero facultas data, quoad Joannis Regis abſolutionem Romanus Pontifex confirmaſſet. Alia eodem anno, ſuperque eodem negotio habita ſunt in Anglia concilia duo, Weſtmonaſterii unum, Radingii ſeu Redingii alterum. *Ibid.*

Concilium Muretense, in Occitania, an. 1213.

In hoc concilio de rationibus actum eſt, quibus exacerbatus Domini Padri, Aragoniæ Regis animus molliretur. *Labb. XI. Hard. VII.*

Concilium Dunſtaplense, an. 1214.

Stephanus Langtonius, Archiepiſcopus Cantuarienſis, coegit concilium hoc quod ad Innocentium III. appellavit ab agendi ratione quam ejus legatus inibat, qui ſcilicet, ut Regi Joanni gratum faceret, vacantibus eccleſiis præſules, ad eas regendas parum idoneos dabat. *Anglic. I.*

Concilium Londinense, an. 1214.

Nicolaus, Epiſcopus Tuſculanus, & Papæ legatus habuit 29. Junii die concilium hoc, in quo Rex Joannes abſolutus & reſtitutus fuit. In eo ſublatum pariter interdictum quo Anglia ab annis ſex, menſibus tribus, diebus quatuordecim perculſa erat.

Concilium Lateranense, an. 1215.

Tom. II. pag. 154. lin. 7. vacantes, *lege* vocales.

Concilium Pariſiense, an. 1215.

Robertus de Curconio, ſanctæ Sedis legatus, concilium hoc habuit Auguſto menſe, in eoque pro Pariſiorum ſchola ſtatutum edidit. Statutum hoc quod omnem ſcholæ diſciplinam complectitur, vetuſtiſſimum, ex hoc ſane genere, omnium eſt, quæ ad nos uſque ſervata ſunt, inquit Crevarius in ſua Pariſienſis Univerſitatis hiſtoria.

Concilium Genuense, an. 1216.

Otto, Genuenſis Archiepiſcopus, 8. Aprilis die, ſubſecutiſque duobus concilium hoc celebravit. In eo enuntiata Lateranenſis concilii decreta. *Manſi*, Tom. II. col. 863.

Concilium Briſtoliense, an. 1216.

Legatus Galonius habuit 11. Novembris die concilium hoc, in quo Principem Ludovicum, Regis Philippi Auguſti filium anathemati ſubdidit, qui in Angliam vocabatur, ut Regis Joannis loco regnaret. Summus Pontifex Innocentius III. jam hoc ipſe an. 1216. ſub Junii finem, vel ad Julii initium, in Ludovicum Principem ejuſque fautores anathema pronuntiaverat. *Anglic. I.*

Concilium Cantuariense, an. 1220.

In hoc concilio Stephanus, Archiepiſcopus Cantuarienſis, coram Rege, Angliæque tum proceribus, tum fere omnibus Epiſcopis, abbatibus & prioribus, corporis S. Thomæ, ejuſdem urbis Archiepiſcopi tranſlationem peregit. *Ibid.*

Concilium Dunelmense, an. 1220.

Enuntiatæ fuerunt hoc in concilio ſuper diſciplinæ ſanctiones numero plures, eædem prorſus ac quæ a Richardo, Sarumenſi Epiſcopo editæ fuerent. *Ibid.* & *Manſi*, Tom. I. col. 871.

Concilium Romanum, an. 1220.

Honorio Papæ III. hujus cogendi concilii occaſionem præbuit Imperatoris Friderici II. coronatio, quam Summus ipſe Pontifex 22. Novembris die in Baſilica Principis Apoſtolorum peregit. In hoc ipſo concilio excommunicationem in omnes hæreticos & Eccleſiæ libertatis hoſtes Pontifex pronuntiavit. *Manſi*, *Ibid.*

Concilium Græcia, an. 1220.

Huic concilio quod in loco qui nos latet, habitum fuit, præfuit Patriarcha Manuel; in eo nonnullæ ſuper diſciplina ſanctiones editæ. *Manſi*, *Ibidem* col. 877.

Concilium Perthanum in Scotia, an. 1221.

Jacobus, S. Victoris Pariſienſis canonicus, & ſanctæ Sedis in Scotia & Irlandia legatus hoc totius Scotiæ concilium convocavit. Inchoatum purificationis octava die, quatuor poſt diebus finem habuit. Ejus acta ignorantur. *Anglic. I.*

Concilium Sleſwicense, an. 1222.

Cardinalis Gregorius habuit hoc Sleſwicenſe, ſeu Sclo-Jutlandienſe concilium. Inſignitus eſt locus hic Ducatus titulo, & nunc temporis, ab anno ſcilicet 1720. ad Daniæ Regem pertinet. Presbyterorum cœlibatum hæc ſynodus propoſitum habuit. *Edit. Venet.* Tom. XIII.

Concilium Conſtantinopolitanum, an. 1222.

Gregorius II. Conſtantinopolitanæ urbis græcus Patriarcha, hoc concilium coegit, ut græcos inter & latinos Cypri Epiſcopos litigia finiret. *Manſi*, Tom. II. col. 901.

Concilium Cantuarienſe, an. 1222.

Stephanus Langtonius, hujus urbis Archiepiſcopus, hoc concilium habuit, in quo canonice puniti fuere tum impoſtor quidam, qui plagas quinque Domini noſtri J. C. ſe habere jactitabat, tum judæus neſcio quis, e chriſtiana Religione quam amplexus erat, & in qua diaconus initiatus fuerat, apoſtata. *Anglic. I.*

Concilium Avicienſe, an. 1222.

Conradus, Portuenſis Epiſcopus & ſanctæ Sedis legatus, habuit concilium hoc ſuper Boſonio, monaſterii Electenſis abbate, qui de hæreſi accuſatus erat. Monaſterium hoc non amplius ſubſiſtit; ſcilicet eodem tempore Narbonenſi capitulo unitum fuit. *Manſi*, Tom. II. col. 913.

Concilium Rothomagenſe, an. 1223.

Habitum fuit concilium hoc 27. Martii die. In eo vulgatum Lateranenſis concilii, ao. 1215. celebrati canonum compendium. *Hard. VII.* Beſſinius; *Edit. Venet.* Tom. XIII.

Concilium Pariſienſe, an. 1223.

Cardinalis Conradus, Epiſcopus Portuenſis, & ſanctæ Sedis in Gallia legatus, die 6. Julii concilium hoc in Albigenſes hæreticos celebravit. Concilium hoc initio quidem Senonenſi in urbe indictum fuerat. *Labb. XI. Hard. VII.*

Concilium Erfortienſe, an. 1223.

Sigefriddus, Archiepiſcopus Moguntinus, habuit in eccleſia ſanctæ Virginis concilium hoc, in quo mandatum, ut omnes feſti dies quibus propriæ laudes eſſent, novem quoque lectionibus inſignirentur. *Manſi*, Tom. II. col. 919.

Concilium Pariſienſe, an. 1224.

Habitum fuit concilium hoc in Raymundi, Toloſæ comitis cauſa, qui Albigenſium patronus erat. *Ibid.* & *Baluzius, Concil. Gall. Narbon.*

Concilia Peſſulana, ſeu *Montis-Peſſulani, an.* 1224.

Habita fuere hoc anno in Monte-Peſſulano concilia duo, ſeu collationes, ſuper Raymundo, Toloſæ comite; unum quidem 2. Junii, alterum vero 21. Auguſti die. *Ibid.*

Concilium Pariſienſe, an. 1225.

Legatus Romanus hoc concilium coegit, die 15. Maji, in eoque cum Galliæ Rege, Ludovico VIII. *Leone* dicto, de Angliæ & Albigenſium negotiis egit. Deſtitit deinde princeps hic ſua in Anglos jura perſequi, & in Albigenſes inceſſit. *Ibid.*

Concilium Meldunenſe, an. 1225.

Ludovicus VIII. Rex & Epiſcopi qui ad hoc concilium, 8. Novembris die, convenerant, in eo ſuper eccleſiaſtica juriſdictione, at nullo cum exitu, verſati ſunt. *Ibid.*

Concilium Bituricenſe, an. 1225.

Legatus Romanus, Galliæ centum Epiſcopis adſiſtantibus, concilium hoc, 30. Novembris die, celebravit. Raymundus, comes Toloſanus, & Amaurius Montfortienſis qui eum ſibi titulum vindicabat, donatione nixus, qua Innocentius Papa III. & Rex Philippus Auguſtus ejus patrem Simonem Montfortienſem, ipſumque Amaurium Simonis filium affecerant, ſuam in cœtu cauſam egerunt, quæ ſub judice tamen remanſit. *Ibid.*

Concilium Germanicum, an. 1225.

Simoniam hac ſynodus impugnavit. *Ibid.*

Concilium Sancti-Quintini, ſeu *Quintinenſe, an.* 1225.

Concilium hoc ſuper hujus Sancti reliquiis verſatum eſt. *Reginaldus, ad hunc annum.*

Concilia, Londinenſe & VVeſtmonaſterienſe, an. 1226.

Utrum hæc duo concilia ſecerni oporteat, an vero nonniſi unum & unicum eadem ſint, incertum eſt. Ut ut res habeat, in iis Rex Henricus III. Eccleſiæ & regni libertates ratas habuit. *Anglic. I.*

Concilium VVeſtmonaſterienſe, an. 1226.

Bulla Innocentii III. petentis præbendas duas in unaquaque cathedrali Eccleſia, pariterque monachales ſedes duas in unaquaque abbatia a ſe conferendas, in hoc concilio rejecta fuit, quemadmodum eam ſuperiore anno Bituricenſe concilium rejecerat. *Ibidem.*

Concilium Pariſienſe, an. 1226.

Fuere concilia duo hoc anno Pariſiis habita; Romanus, ſanctæ Sedis legatus, primum convocavit 28. Januarii die, Honorii III. Summi Pontificis auctoritate; fuit hoc nationale concilium, cui Ludovicus VIII. interfuit. Legatus in Raymundi, Toloſæ comitis, tamquam hæretici damnati excommunicatique ditiones jura huic principi ejuſque in perpetuum hæredibus confirmavit. Amaurius, Montfortienſis comes, & Guido ejus patruus ſua omnia in ejus comitatus ditiones jura regi ceſſerunt.

Concilium alterum a rege ipſo convocatum fuit, habitumque, eodem anno, 20. Martii die. In eo princeps cum legato, Epiſcopis & baronibus egit de Albigenſium negotio, expeditaſque deinde litteras voluit per quas quicumque belli ſervitium regi debebant, eum 17. proximi Maji die, Bituricenſi in urbe convenire jubebantur. *Labb. XI. Hard. VII.*

Concilium Leodienſe, an. 1226.

Legatus Conradus coegit Februario menſe concilium hoc. In eo depoſiti, Theodoricus, Monaſterienſis, & Bruno, Oſnabrugenſis, Epiſcopi, Friderici, Iſemburgi comitis fratres, tamquam conſortes necis S. Ingelberti, Colonienſis Archiepiſcopi, qui ejus comitis juſſu, ſuperiore anno, 7. Novembris die, ex inſidiis trucidatus fuerat, quia ſanctus præſul ei minitatus fuerat fore, ut eum advocati munere in Eſſendeeſi abbatia deſtitueret, niſi eam vaſtare deſiſteret. *Ibid.*

Concilium Cremonenſe, an. 1226.

Concilium hoc, Imperatore Friderico II. jubente & præſente, Pentecoſtes feſtis diebus habitum fuit. In eo actum de hæreticorum per Italiam extirpatione, de Terræ-Sanctæ negotio, ac de Longobardiæ urbium conciliatione, quarum pleræque in eum principem fœdus inierant. *Ibid.*

Concilium Fuxienſe, an. 1226.

Cardinalis ſancti Angeli, Honorii III. legatus, in Occitania, abſolutionem ab hæreſi tribuit, in hoc concilio, Bernardo, Fuxienſi comiti, qui Albigenſium partes ſecutus erat, ac eam quidem reſipiſcentiam ſimulabat. *Ibid.*

Concilium Trevirenſe, an. 1227.

Concilium hoc Kalendis Martiis habitum fuit. In eo editum ſtatutum quod ſeptemdecim capitibus continebatur. Horum priora quinque ad Sacramenta ſpectant; ſextum Eccleſias afficit, & quod ad eaſdem pertinet; ſeptimum canonicos & beneficiarios; octavum decanos; nonum presbyteros & clericos; decimum uſurarios; undecimum viros nobiles & advocatos; poſtrema ſex religioſos & religioſas. Hoc ipſum concilium Manſius, Martennio Duce. *Veter. Monum.* Tom. VII. ad an. 1077. protraxit. *Manſi*, Tom. II. col. 34.

Concilium Romanum, an. 1227.

Huic concilio, 18. Novembris die, præfuit Summus Pontifex Gregorius IX. in eoque excommunicationem iteravit, quam die 29. Septembris in Imperatorem Fridericum jam tulerat, propterea quod ſe navem conſcenſurum ad Terræ-Sanctæ ſubſidium pollicitus, obſtrictam fidem nequaquam præſtiterat. *Ibid.*

Conci-

Concilium Romanum, *an.* 1228.

Idem Summus Pontifex in hoc concilio, die 23. Martii in quam Majoris hebdomadæ feria quinta incidebat, excommunicationem, in Imperatorem Fridericum latam confirmavit. *Labb. XI. Hard. VIII.*

Concilium Lufitanum, *an.* 1228.

Joannes, Cardinalis, legatus & Sabinæ Episcopus, hoc concilium celebravit; in eoque excommunicationem in eos protulit, qui ecclesiasticas libertates, tranquillitatem, bona & bonorum fœminarum in claustris degentium, &c. læderent. *Ferreras*, Tom. IV.

Concilium Meldense, seu *Parisiense*, *an.* 1229.

Inchoatum fuit Meldis concilium hoc, ac deinde Parisios translatum. Raymundus, Tolosæ comes, in eo pacem iniit cum Ecclesia, & cum Galliarum Rege Sancto Ludovico IX. per conventionem signatam Parisiis, Aprili mense, ante Pascha, quod, eo anno, 15. Aprilis die celebratum fuit. *Labb. XI. Hard. VIII.*

Concilium Ilerdense, *an.* 1229.

Joannes, Cardinalis, legatus & Sabinæ Episcopus, concilium hoc 29. Martii die celebravit. In eo editæ super disciplina sanctiones plures, peculiariter quod ad clericorum agendi rationem attinet; atque ad rectam Barcinonensis Ecclesiæ administrationem peculiaris constitutio. *Balutius*, libr. IV. *Marca*, *Hispan. D'Aguirre*, Tom. V. *Edit. Venet.* Tom. XIII.

Concilium Tarraconense, seu *Tarrasonense*, *an.* 1229.

Habuit idem legatus 29. Aprilis die concilium hoc, Archiepiscopis duobus, & novem Episcopis adsistentibus. In eo pronuntiatum fuit Jacobi I. Aragoniæ Regis cum Eleonora Castellensi matrimonium, utpote inter consanguineos, absque dispensatione, initum, nullum esse. Alphonsus tamen, ex eo conjugio natus, legitimus declaratus fuit. *D'Aguirre*, *ibid.*

Concilium Westmonasteriense, *an.* 1229.

Nuntius Stephanus, Aprilis die 29. cum Angliæ præsulibus, coram Rege Henrico III. & regni primoribus celebravit concilium hoc. In eo Stephanus, Gregorii Papæ IX. nomine, omnium Angliæ & Irlandiæ redditunm partem decimam petiit, quæ scilicet ad bellum imperatori Friderico II. inferendum impenderetur. Id recusarunt laici viri principes, & clerus non alia de causa assensum præbuit, nisi quod excommunicationem pertimesceret. *Wilkins*, Tom. I. *ex Matth. Paris.*

Concilium Arausicanum, *an.* 1229.

In hoc concilio Albigenses, & qui hæreseos suspicione laborabant, ad pœnitentiam recepti sunt. *Labb. XI. Hard. VIII.*

Concilium Tarraconense, *an.* 1230.

Sparagus, Tarraconensis Archiepiscopus, die 1. Maji concilium hoc una cum suffraganeis peregit. In eo editi canones quinque, qui nondum lucem aspexerunt, quorumque postremus puræ hastæ certamina intra monasteriorum ambitum, & loca ab iisdem pendentia interdicit. *D'Aguirre*, Tom. V. *Art vérifier les dates*, pag. 219.

Concilium Remense, *an.* 1231.

Henricus Brennius, Remensis Archiepiscopus, habuit in Fano S. Quintini concilium hoc quod super disciplina versatum est. *Hard. VIII.*

Concilium Rothomagense, *an.* 1231.

Mauricius, Archiepiscopus Rothomagensis concilium hoc, super disciplina & morum reformatione, in sua metropoli celebravit. In eo quadraginta novem editi canones, quorum e numero, viginti duo monasticum ordinem spectant, eoque referantur, ut omnes & singulos monachos ad S. Benedicti regulam servandam adigant; ejusmodi sunt priores canones novem, decimus nonus, tricesimus septimus, & undecim qui eum subsequuntur. *Bibard Concil. Supplem.* Tom. V.

Decimus vetat, ne quis se nisi a proprio Episcopo, vel cum ejus venia initiandum curet, & undecimus vult, ut presbyterorum concubinæ, universo spectante populo, tondeantur.

Duodecimus presbyteros vetat duas eadem die Missas, vel unam cum duplici introitu celebrare, præter quam si gravis necessitas urgeat.

Decimus tertius prohibet, ne archidiaconi, vel decani rurales, seu quivis alius, de matrimoniorum causis agnoscant, nisi sanctæ Sedis privilegio, aut longa possessione gaudeant.

Decimus quartus presbyteris in mandatis dat, ut in cœmeteriis & ecclesiis choreas vetent, excommunicationis, ni paruerint, indicta pœna; & decimus quintus itidem prohibet vigilias in ecclesiis peragi, præter quam Patroni festo die.

Decimus sextus laicis interdicit in cœmeteriis ædificare; & decimus septimus clericos beneficia possidentes, aut sacris ordinibus initiatos vetat advocati officio fungi pecuniæ causa.

Decimus octavus vetat, ne clerici qui non sunt presbyteri cum animarum onere, ecclesiam ad locationem recipiant; eosque ipsos qui cum animarum onere presbyteri sunt, eidem interdictioni subdit, nisi perpetuum vicarium habeant, & Episcopus annuat.

Vicesimus clericos prohibet arma gestare, nisi iis suppetat justa timendi causa.

Vicesimus primus laicis interdicit, ne testamenta edant, quin aliquis sacerdos adsit, præterquam in necessitatis casu.

Vicesimus secundus Episcoporum officiales jurare vult se munera non accepturos, nisi summopere modica sint.

Vicesimus tertius monachos & clericos prohibet ad laicorum tribunalia causas deferre, quæ in ecclesiasticis tribunalibus agi consueverunt, nisi accedente peculiari in id Episcopi venia.

Vicesimus quartus vetat, ne decanatus vendantur; & vicesimus quintus, ne quid laicis judicibus ob causas solvatur, super quibus aliquam apud judices ecclesiasticos conventionem inierunt.

Vicesimus sextus mandat, ut ecclesiasticæ causæ ad ecclesiæ judices deferantur.

Vicesimus septimus eos spectat, qui ad sacrum bellum cruce insigniti sunt.

Vicesimus octavus præcipit, ut excommunicatione plectantur laici judices qui renuunt clericos criminum reos quos in carcerem conjecerunt, Ecclesiæ reddere.

Quinque sequentes canones aliquam dispositionem continent super parochis, vicariis, & deservientibus, vacationis parœciarum tempore.

Tricesimus quartus diaconis prohibet, ne ægrotantibus viaticum administrent, ne confessiones excipiant, aut baptizent, nisi forte sacerdos absit.

Tricesimus quintus vetat, ne presbyteri suis in domibus feminas habeant, præter quam matrem, aliasve, quas ætas ab omni suspicione liberat.

Tricesimus sextus presbyteros vetat ullam excommunicationem ferre, præter quam ob rerum furtum, quæ in eorum parœciis depositæ fuerint.

Quadragesimus nonus Judæis mandat, ut supra pectus aliquam notam deferant, quæ eos distinguat, & utriusque sexus Christifidelibus vetat, ne se eorumdem servitio devoveant.

Concilium Constantinopolitanum, *an.* 1232.

Germanus II. Patriarcha græcus, concilium hoc convocavit, ut in eo ageret de stauropegiis seu crucibus quas ipse iis in locis figi volebat, in quibus oratorium, monasterium, ecclesia parochialis erigebantur. In eam sententiam synodus conspiravit, ut ejusmodi loca omnia, in quibuscumque tandem diœcesibus ea esse contingeret; proxime, ex usu veteri, Patriarchæ subessent, cujus ibidem jurisdictio per ejus exarcham exerceretur. *Mansi*, Tom. II. col. 979.

Concilium Mediolanense, *an.* 1232.

Hæc synodus in Raymundum, Tolosæ comitem habita est. *Labb. XI. Hard. VIII.*

Concilium Londinense, *an.* 1232.

Londinensis Episcopus, decem aliis præsulibus adsistentibus, celebravit concilium hoc, in quo, ad Gregorii IX. querelas, excommunicatione perculsi fuere vexationum auctores, quibus Romani clerici, qui in

Anglis beneficie possidebant, affecti fuerant. *Edit. Venet.* Tom. XIII.

Concilium Noviodunense, Laudunense, & Fani S. Quintini, an. 1233.

Habita fuere in Gallia hoc anno concilia quatuor, in quibus de dissidio quod inter Regem S. Ludovicum, & Milonem, Bellovecensem Episcopum intercerat, actum est. Cum scilicet hujus urbis incolæ seditionem excitassent, inque perpetrete cædes, S. Ludovicus e perduellium numero mille quingentos cepi jussit, qui Parisiis & alibi in carcere conjecti sunt. Milo, Bellovacensis Episcopus, contendebat ecclesiæ suæ jura e principe violata esse, qui nempe justitiam Bellovaci exercuisset, & appellationem ad Romanum Pontificem interposuit; at die 6. Septembris an. 1234. e vivis excessit, ante hujus negotii exitum, quod conciliis quatuor quæ subdimus occasionem præbuit.

Primum Novioduni habitum est, Quadragesimæ hebdomada prime; alterum Lauduni, hebdomada ante passionem: tertium in Fano S. Quintini, ad Septembris initium; & quartum in eadem urbe adventus Dominica tertia. Interdictum jecerant Episcopi; et cum capitule significassent eos sine ipsorum consensu nihil agere posse, posterius S. Quintini concilium pronuntiavit Episcopos non posse, inconsulto inscioque capitulo, quicquam mandare. Ab hac definitione appellevit ad Papam Milo; et cum sequenti anno, quod diximus, e vita excessisset, antequam illud negotium finiretur, Geofriddus Clermontiensis, ejus successor, interdictum sustulit, & cum rege pacem iniit. Veteres chronologistæ horum conciliorum priora duo ad an. 1232. referunt, quia tum quidem annus 1233. inchoabatur solum a Paschate. *Mansi*, Tom. II. col. 985. & *Ars purgandi temporum notas*, pag. 219.

Concilium Francofortense, seu Francofordiense, an. 1234.

Concilium hoc, seu cœtus hic mixtus 2. Februarii die, Imperatore Friderico II. jubente & præsente, habitus fuit. Is quidem e principibus, Episcopis, Cisterciensibus, Dominicanis & fratribus minoribus conflatus fuit. In eo rejecta contra hæreticos agendi ratio, a Conrado Marpurgensi in usu posita. *Concil. Germ.* Tom. III.

Concilium Bitterense, seu Biterrense, an. 1234.

Joannes Burninius, Viennæ in Delphinatu Archiepiscopus, habuit concilium hoc 2. Aprilis die, in quam quarta Quadragesimæ dominica dies incidebat. In eo editi canones viginti sex. Est hoc illud ipsum concilium quod nos per errorem an. 1233 posuimus, præside Gauterio de Mervisin, Tornacensi Episcopo, & sanctæ Sedis legato, pag. 43. Tom. II. Analysis Conciliorum. *Ars purgandi temporum notas*, pag. 220.

Concilium Nymphæense, in Bithynia, an. 1234.

Græcorum Imperator, Joannes Ducas seu Varevius nuncupatus, qui per id temporis Nymphææ versabatur, habitum voluit concilium hoc quod a 24. Aprilis die ad Maji 10. perduravit. In eo Græci cum Papæ legatis super processione Spiritus Sancti, superque pane azymo quo latini in divinæ Eucharistiæ celebratione utebantur, magnopere disputerunt; at in sua utrique sententia perstiterunt. *Mansi*, Tom. II. col. 995.

Concilium Fani S. Quintini, an. 1235.

Henricus Brennius, Archiepiscopus Remensis, habuit cum suorum suffraganeorum sex concilium hoc, in quo de Ecclesiæ libertatibus actum, quas ut tuerentur, ad S. Ludovicum Regem, qui tunc Meliduni erat, 29 Julii mensis die, se contulerunt. *Labb. XI. Hard. VIII.*

Concilium Compendiense, an. 1235.

Iidem præsules, die 5. Augusti, concilium hoc super eadem re celebrarunt abieruntque ad S. Dionysii Fanum, ut secundam monitionem regi proponerent; quod occasionem proceribus præbuit, ut per epistolam a Fano S. Dionysii mense Septembri ejusdem anni datam, apud Gregorium IX. de præsulibus atque ecclesiasticis conquererentur. Creditur etiam in S. Dionysii cœtu edita a Rege sanctio quæ enuntiabat, ejus & procerum subditos non teneri ecclesiasticis, aliisve apud ecclesiasticum tribunal (in civili negotio) respondere; quod si ecclesiasticus judex hac de causa excommunicationem in eos ferret, tum vero fore, ut idem, per temporalium bonorum obsignationem, ad tollendam excommunicationem adigeretur; præsules, ecclesiasticos ceteros eorumque subditos, in omnibus civilibus causis, regis & dominorum judicium subire debere.

Sanctum Ludovicum Summus Pontifex cohortatus est, ut eam sanctionem revocaret, per epistolam Februarii die 15. an. 1236. datam in qua ait inter alia, Deum terrestris simul & cælestis imperii jura Papæ concredidisse; et non videtur hac epistola permovisse regis animum, qui suam scilicet sanctionem non revocavit. *Ars purgandi temporum notas*, pag. 220.

Concilium Silvanectense, an. 1235.

Iidem Episcopi Silvanectum, 24. Novembris die, convenerunt, interdictumque supra universum regis dominium, in Remensi quidem provincia situm, jecerunt.

Concilium Arelatense, an. 1236.

Super disciplina synodus hæc habita fuit. *Gall. Christ.* Tom. I. pag. 568.

Concilium Remense, an. 1236.

Egit de Ecclesiæ immunitatibus concilium hoc. *Labb. XI. Hard. VIII.*

Concilium Ilerdense, an. 1237.

In hoc concilio religiosis S. Francisci & S. Dominici in mandatis datum, ut hæreticos inquirerent. *D. Vaissette*, Tom. III. pag. 418.

Concilium Londinense, an. 1238.

Otto, sanctæ Sedis legatus, hoc totius Angliæ concilium coegit, ut in eo satis ei fieret de injuriatione, qua ab Oxoniensis Universitatis alumnis affectus fuerat. Cum porro scholares ad singularem humilitatem compositi fecissent legato satis, is quidem interdictum sustulit, cui eam universitatem subdiderat, eamdemque in exercitationes restituit, quas suspenderat. *Labb. XI. Hard. VIII. Angl. I.*

Concilium Tarraconense, an. 1239.

Petrus Albalatius, Tarraconensis Archiepiscopus, concilium hoc cum suffraganeis, 29. Aprilis die celebravit. In eo vetiti clerici se negotiis sæcularibus immiscere. In eodem mandatum, ut incendiarii publicique raptores, tamquam excommunicati homines evitarentur. Prohibitum præterea fuit, ne beneficia clam tribuerentur, ne canonicales præbendæ duæ, vel in distinctis ecclesiis, possiderentur; pariterque mandatum, ut canonici regulares & monachi apostatæ sua in claustra regredi juberentur; confirmata denique Legati, Sabinensis Episcopi constitutio quæ in sexdecim articulos divisa erat. *Baluzius*, lib. IV. *Marca Hispan. D'Aguirre*, Tom. V. pag. 188. *Mansi*, Tom. II. col. 1059.

Concilium Fani Sancti-Quintini, an. 1239.

Henricus Dreuxius, Remensis Archiepiscopus, 18. Novembris die, concilium hoc in eos habuit, qui male clericos exciperent. *Labb. XI. Hard. VIII. Edit. Venet. XIII.*

Concilium Moguntinum, an. 1239.

Sigefriddus Espostonius, Archiepiscopus Moguntinus, concilium hoc, coram Rege Conrado, Imperatoris Friderici II. filio celebravit. In eo rationes initæ, quibus hæretici reprimerentur. *Concil. German.* Tom. III.

Concilium Edimburgense, an. 1239.

Cardinalis Otto, sanctæ Sedis legatus, post aliquas Alexandri II. Scotiæ Regis oppositiones hoc concilium coegit, in quo super Ecclesiæ negotiis versatus est. *Anglic. I. Mansi*, Tom. II. col. 1051.

Conci-

Concilium Londinense, an. 1239.

Habuit idem Legatus, & quidem super eodem ergumento, concilium hoc. *Anglic. I.*

Concilium Tarraconense, an. 1240.

Archiepiscopus Petrus Albalatius concilium hoc, Majii die 8. celebravit. In eo edita sanctio, in articulos tributa quetuor, quorum secundus omnes Provinciæ Episcopos pati vetat Toletenum Archiepiscopum, per eorum diœceses transeuntem, jurisdictionis eliquem actum edere. Futurum additur, ut, siquidem is præsul ejusmodi quicquam ausus deincepe fuerit, loca in quibus id agerit, quoad ibidem permenserit, interdicto subsint, & ipse excommunicationem subeat. *Baluzius*, lib. IV., *Marca Hispan. D'Aguirre*, Tom. V. pag. 189.

Concilium Meldense, an. 1240.

Jecobus Palestrinensis, Cardiualis Legatus, habuit concilium hoc, in quo egit de Imperetoria Friderici contumacia. Idem Legetus eliud eodem enno concilium Silvaecti coegit, in qua Papæ concessa est vicesima Ecclesiasticorum redditoum pere, itemque Bituricensi in urbe aliud, in qua de nova crucis militia in Albigenses instituenda deliberetum est. *Reg. XXVIII. Labb. XI. Hard. VIII., Mansi in Raynald., & Gall. Christ.* Tom. VIII. & IX.

Concilia, Radingense & Northamtoniense, an. 1240.

Coacta fuere a Papa Legeto concilia hæc duo, eo consilio, ut magni momenti subsidia eidem summo Pontifici compararentur. *Anglic. I.*

Concilium Oxoniense, an. 1241.

Archiepiscopus Eboricensis huic concilio præfuit, quod 29. Decembris die celebratum fuit. In eo indicta preces & jejunia, ut bonue Pape, post Gregorii IX. mortem quæ 21. Augusti die contigerat, obtineretur. *Ibid.*

Concilium Tarraconense, an. 1242.

Archiepiscopus Petrus Albalatius habuit die 13. Maji concilium hoc super ratione qua hæretici conquirerentur, punirentur, &, cum suos errores abjurassent, absolverentur. In eo præterea quatuor super disciplina canones editi.

1. Episcopi & Clerici ad provinciale concilium conveniant.

2. Episcopi eorumque officieles justitiam gratis reddant.

3. Nullus Secerdos Missas una plures diebus singulis celebrabit, excepto Dominici natalis die.

4. Poterit tamen Parochus bis in die sacrum facere, siquidem ei fuerint Ecclesiæ duæ, quarum una ab altere pendeat. *Baluzius*, lib. 4., *Marca Hispan.*, *D'Aguirre*, Tom. V. pag. 193.

Concilium Perthanum in Scotia, an. 1242.

Fuit hoc omnium Scotiæ Episcoporum generale concilium. Rex Alexander II. ad illud accessit ipse, prohibuitque gravibus impositis pœnis, ne subditorum & peculiariter beronum quispiam ullem Clero injuriam inferret. *Anglic. I.*

Concilium Biterrense, an. 1243.

Archiepiscopi duo, Narbonensis & Arelatensis, adsistentibus Episcopis decem & Abbatibus numero pluribus, concilium hoc, 18. Aprilis die, celebrarunt. In eo Raymundus, Tolosæ comes, solemnibus verbis in excommunicationem invectus est, qua eum Dominicani Inquisitores duo, frater Ferrerius & frater Reymundus-Guillelmus perculerant, nulla appellationis ratione habita, quam is ab eorum actibus ad sanctam Sedem interposuerat. Quid concilium super hoc negotio definierit, non constat. *Gall. Christ.* Tom. VI. *Instr.* pag. 155. *D. Vaissete*, Tom. III. pag 441.

Concilium Tarraconense, an. 1244.

Archiepiscopus Petrus Albalatius habuit, 22. Januarii die, concilium hoc. In eo mandatum, ut Lateranensis & Ilerdensis conciliorum decreta servarentur. In eodem pronuntiata est etiam excommunicatio in eos qui ecclesiasticos spoliae., eorumve bona diripiunt. *Baluzius*, *Marca Hispan.* lib. 4., *D'Aguirre*, Tom. V.

Concilium Londinense, an. 1244.

Concilium hoc celebratum est 22. Februarii die. In eo concessum Regi subsidium, & illud elusum quod Pape petebat. *Anglic. I.*

Concilium Othoniense, an. 1245.

Concilium hoc quod in Fionie insula ad Daniam spectante coactum fuit, eo spectavit, ut Ecclesiasticorum bonorum usurpatores reprimeret, nec non eos qui Ecclesiæ cæremonias spernebant. *Hard.* Tom. VIII.

Concilium Lugdunense, an. 1245.

Non alia de cause huc revocamus concilium hoc, quam ut moneemus legendum esse Lateranense concilium quintum, quarti loco, pag. 49. Tomi secundi nostræ hujus Analysis.

Concilium Frisslardiense, an. 1246.

Sigefriddus, Archiepiscopus Moguntinus, habuit Maji die 30. concilium hoc. In eo quatuordecim ad Clerum spectantes editi canones. *Concil. Germ.* T. III.

Concilium Ilerdense, an. 1246.

Petrus Albelatius concilium hoc coram regni magnatibus celebravit. In eo conciliatus Jacobus I. Aragoniæ Rex, qui ab Innocentio IV. excommunicatus propterea fuerat, quia Berengario Gerundensi Episcopo linguam amputari jusserat, a quo suam ipsius confessionem revelatam suspicabatur.

Concilium Londinense, an. 1246.

Hujus concilii Patres obstitere postulationi a Papa propositæ, ut scilicet Anglicanus Clerus suorum redditoum tertiam partem ei largiretur. *Anglic. I.*

Concilium Tarraconense, an. 1247.

Archiepiscopus Petrus Albaletius, aliique Episcopi sex concilium hoc Kalendis Majis celebrarunt. In eo confirmetum anathema quo plectebantur qui Ecclesiasticos ipsos eorumque bona per vim capiebant, ac statutum, ut Saraceni qui Baptismum petebant, apud Ecclesiæ rectorem per dies aliquot permanerent, ut eorum resipiscentia probaretur. *Baluzius*, lib. 4. *Marca Hispan.*, *D'Aguirre*, Tom. V.

Concilium Stampense, an. 1247.

Gilonius Cornuus, Archiepiscopus Senonensis, hoc concilium coegit 23. Augusti die. In eo actum de Ecclesiasticis Senonensis Provinciæ negotiis, ut constat ex convocationis epistola, quod hujus concilii monumentum unum & unicum nobis superest. *Mansi in Raynald. Ars purgandi temporum notas*, pag. 221.

Concilium Nuyense, Coloniam prope, an. 1247.

Petrus Capucio, sanctæ Sedis Legatus, stipatus Episcopis, quoscumque cogere potuit, concilium hoc 3. Octobris die celebravit. In eo Guillelmus, Hollandiæ comitis frater in Romanorum Regem electus fuit. *Edit. Venet.* Tom. XIV. *Concil. Germ.* Tom. III.

Concilium Tarraconense, an. 1248.

Petrus Albaletius, hujus urbis Archiepiscopus habuit concilium hoc. In eo bonorum ad provinciæ Episcopos spectantium, post eorum mortem, incolumitati consultum est, hac edita sanctione, ut apud probum virum deponerentur, in eum scilicet finem, ut defuncti præsulis successuri eorum ratio redderetur. *Edit. Venet.* Tom. XIV., *Baluzius*, *Marca Hispan.* lib. 4.

Concilium Parisiense, an. 1248.

Gilo Cornuus, Archiepiscopus Senonensis, habuit concilium hoc quod canones edidit, qui sequuntur:

1. Abbates & Priores conventuales qui ad concilium non venerunt, suæque absentiæ excusationem

non

non attulerunt, Ecclesia aditu per mensem prohibebuntur.

2. Qui ad concilium venire debent, nec venient, impedimenti causa, se per cursorem excusare debebunt.

3. Loca vel prioratus in quibus cœtus haberi consueverunt, eorum, tamquam consuetudinis onus ferre debebunt, quantumvis intermissi fuerint, siquidem facultates id eos sinunt.

4. Monachi & Canonici regulares divinum officium celebrabunt, ubi satis redditüum est.

5. Abbates & Priores conventuales, quibus in locis servitium præstari solet, superiores subalternos instituent; & consueti tantum census seu redditus exigentur, nisi forte peculiarem in id veniam Episcopus dederit.

6. Abbates, Abbatissæ, Priores & Priorissæ, cæterique Officiarii proventuum expensarumque ad singulos annos spectantium capitulo rationem reddent. Suarum Abbates Ecclesiarum rationem apud seniores reddent, & monasterii statum capitulo generatim exponent.

7. Nullus Abbas, Abbatissa, Prior aut Priorissa ullam summam recipient, sine capituli consensu vel ultra quam Episcopus statuerit: qui aut quæ secus egerint, ab Episcopo punientur.

8. Abbatibus, Abbatissis, Prioribus & Priorissis mandamus, ut suo quisque Ordini congruentibus utantur vestibus: Abbatemque vel Abbatissam, si minus id præstiterint, suosque subditos corrigere neglexerint, Episcopus puniet.

9. Prior conventualis non ultra quadraginta solidos, absque Abbatis, aut Episcopi venia, mutuos sumet; si id egerit, Prioratu destituetur, ac non nisi per provinciale concilium restituetur.

10. Religiosæ nullum depositum apud se recipient, absque Episcopi facultate; quod in primis de clericorum aut secularium areis intellectum volumus.

11. Omnes & singulæ in eodem triclinio comedent, & in eodem dormitorio cubabunt, nisi Abbatissa dispensaverit. Destruentur religiosarum cellulæ, nisi earum aliquam retineat Episcopus, valetudinarii loco, vel aliqua alia de causa.

12. Abbatissæ non sinent religiosas egredi, præsertim vero noctis tempore, nisi graves causæ suppetant, atque id raro. Invigilabunt in hanc rem Episcopi, vel ipsi per se, vel per electas personas, ut scandalis occurrant, quæ hinc existere possunt.

13. Divinum officium, pro ut decet, in secularibus capitulis, ac potissimum in cathedralibus Ecclesiis, diu noctuque celebrabitur. Pausæ & psalmodia accurate servabuntur, ut ne chorus unus incipiat, antequam alter desierit.

14. Capitula quæ ad concilium appellari consueverunt, quæque haud Canonicorum satis ad illud mittent, ibique per dies octo non residebunt, distributione sua privabuntur, quam diœcesanus Episcopus pauperibus Ecclesiæque tribuet.

15. Presbyterorum & Capellanorum litteræ, super eorumdem redditibus in acta referentur, ac deinde, & quidem minore quam mensis spatio, in archiviis, consentiente Episcopo deponentur.

16. Rectores, ex Episcopi, Archidiaconi vel Officialis consensu, suis in Ecclesiis Vicarios & Capellanos instituent; qui id non præstiterit, punietur.

17. Non judicabuntur tenues causæ, modo res viginti solidos non superet, ageturque ex partium consensu, nisi judex aliter velit.

18. Qui id recipient quod legatur Ecclesiæ, ut redditus acquirant, in summas cæteras Ecclesiæ addictas legata referent, non autem presbyteris cedent.

19. Quæstores non admittentur, ut publice e suggestu dicant, ullasve reliquias exponant, nisi diœcesani Episcopi consensus accedat.

20. Renovamus vetera statuta concilii quod mandat, ut, si quis per annum neglexerit operam dare, ut in eum lata excommunicatio tollatur, secularis potestas in ejus personam & bona manum immittat, eumque proinde ad id præstandum adigat.

21. Cum quispiam in jus accire, aliudve facere jussus fuerit, id non perficiet, nisi quatenus diœceseos & partium nomina & cognomina perspicue in mandatis expressa sint.

22. Episcopus quisque in sua diœcesi idoneos circumspectosque viros eliget, ut defunctorum testamenta & ultimas voluntates executioni mandent.

23. In obedientiæ virtute mandamus Abbatibus, Prioribus, conventualibus, & capitulorum legatis, ut concilii statuta recipiant, atque hæc ipsa publice in eorum capitulis intra mensem legantur. *Mansi*, T. II. col. 1166. & seq.

Concilium Vratislaviense, *an.* 1248.

Jacobus Leodiensis, Archidiaconus & Legatus hoc concilium celebravit. In eo redditüum cleri Poloniæ ad triennium concessa est Romano Pontifici quinta pars. In eo præterea Polonis ea data venia, ut ad usque quinquagesimæ quartam feriam carne uterentur; ab ea scilicet, ante hanc dispensationem, post septuagesimæ dominicam abstinebant. *Labb. XI. Hard. VII. Ars purgandi temporum notas*, pag. 221.

Concilium Schanningiense, *an.* 1248. seu 1249.

Legatus Guillelmus, postea Cardinalis, Sabinæ Episcopus coegit concilium hoc quod in clericos concubinarios pœnas decrevit. *Ibid.*

Concilium Mildorfianum, *an.* 1249.

Philippus, Archiepiscopus Salisburgensis, aliique Episcopi tres habuere concilium hoc, ineunte anno. Ea fuit hujus concilii Patribus mens, ut ad Guillelmi Hollandiensis æmuli partes in Imperatorem Fridericum II. suscipiendas Ottonem, Bavariæ Ducem adigerent. *Edit. Venet.* Tom. XIV. *Concil. Germ.* T. III.

Concilium Ultrajectense, *an.* 1249.

Cardinalis Petrus Capucio, Portuensis Episcopus, & Conradus, Archiepiscopus Coloniensis, concilium hoc, coram Guillelmo Hollandiensi, Romanorum Rege, super Goswinio celebrarunt, qui an. 1246. Ultrajectensis Episcopus electus fuerat. Præsulem hunc concilium impulit, ut se Episcopatu abdicaret. *Concil. Germ.* Tom. III., *Mansi*, Tom. II. col. 1103.

Concilium Oxoniense, *an.* 1250.

Rex Henricus III. hanc synodum convocavit, ex omnibus ejus regni præsulibus, qui vel ipsi per se, vel per procuratores adfuerunt. In ea lectæ Principis litteræ quæ regias capellas, ab omni, etiam Papali jurisdictione exemptas declarant. *Anglic. I.*, *Mansi*, Tom. II.

Concilium Nicænum, *an.* 1250.

Patriarcha Manuel II. coegit concilium hoc cujus decreta Manueli Charitopulo Leunclevius perperam tribuit. Ea leguntur in Opere quod *Jus Græco-Romanum* inscribitur, lib. 3. pag. 238. Præferunt adscriptum æræ Constantinopolitanæ 1758. Ind. 82., mense Julio. *Ars purgandi temporum notas*, pag. 221.

Concilium Prufxinense, *an.* 1251.

Gilo, Senonensis Archiepiscopus, hoc concilium 26. Julii die celebravit. In eo Parisiensis concilii, an. 1248. habiti statuta, cum nonnullis super disciplina quoad excommunicatos servanda additionibus, renovantur. *Mansi*, Tom. II.

Concilium Insulanum, *an.* 1251.

Joannes Bauxius, Archiepiscopus Arelatensis, concilium hoc in Insula, tunc urbe comitatus Avenionensis, seu Vindascini, 19. Septembris die celebravit. In eo tresdecim super disciplina canones editi.

Mandat primus, ut sæpenumero catholica doctrina e suggestu enuntietur; & secundus, ut hæretici conquirantur. Hæreticorum bona Episcopis tertius adjudicat. Tertius præcipit, ut coram parochiæ presbytero suum quisque testamentum edat. Decimus tertius, isque postremus clandestina matrimonia interdicit. *Reg. XXVIII. Labb. XI. Hard. VIII.*

Concilium Senonense, *an.* 1252.

Senonensis Ecclesiæ suffraganei numero sex habuere concilium hoc, 15. Novembris die, eorum Archiepiscopo Gilone præside. Ad Thibaldum, Campaniæ comitem & Navarræ Regem canonicam monitionem concilium misit, ut ea permotus Ecclesiasticis bonis potiri desineret, quæ, ab annis quadraginta, in suis Campaniæ ditionibus acquisierat.

Conci-

Concilium Londinense, an. 1252.

In hoc concilio Rex pecuniarium subsidium petiit, quod ei tum quidem negatum, at sequenti anno concessum fuit. *Angl. I.*

Concilium Tarraconense, an. 1253.

Archiepiscopus Benedictus, 8. Aprilis die, concilium hoc celebravit. In eo statutum, ut Episcopi suæ quisque diœceseos excommunicatos homines, Archiepiscopi eos omnes, qui ad singulorum provinciam pertinerent, absolvere possent, presbyterisque ea concessa facultas, ut ab excommunicatione minore semutuo absolverent. *Baluzius, Marca Hispan.* lib. 4. *d'Aguirre*, Tom. V. pag. 196.

Concilium Ravennense, seu Ravennatense, an. 1253.

Philippus, Ravennæ Archiepiscopus coegit 28. Aprilis die concilium hoc, in quo Ecclesiasticorum bonorum usurpatores impetiit. *Labb. XI.*

Concilium Parisiense, an. 1253.

Gilo Cornutus, Archiepiscopus Senonensis, concilium hoc 12. Novembris die celebravit. In eo decretum editum, et Carnutensis Ecclesiæ capitulum Meldas transferretur, necis occasione, quæ Reginaldo Espinensi, ejus Ecclesiæ Chori-magistro illata fuerat, *Mansi*, Tom. II. col. 1166.

Concilium Londinense, an. 1255.

Rustandus, Alexandri V. summi Pontificis, in Anglia, Nuntius, hoc concilium convocavit, quod habitum Januarii 13. *S. Hilarii Pictaviensis* festo die. In eo ingentes immodicasque pecuniæ summas in Romani Pontificis & Regis Henrici III. gratiam a præsulibus exigi placuit; et iis injustis exactionibus concilium vehementer obstitit. Mandavit ergo synodus, anathematis indicta pœna, ut Sancti Eduerdi magna chartæ servaretur, & ad prava a Rustando proposita rationum momenta respondit, Papæ quidem jus esse in Ecclesiæ bona, tamquam patrono, ut ea defenderet, nequaquam vero tamquam proprietario, ut eorum dominium & fruitionem sibi tribueret. *Anglic. I.*

Concilium Albiense, an. 1255.

Est hoc illud ipsum concilium cui legitur adscriptus annus 1053. Tom. II. pag. 51. *Analysis Conciliorum*. Id autem ad an. 1255. referendum probat, quod Innocentii IV. die 7. Decembris an. 1254. vita functi morte posterius est, quandoquidem canon 35. hunc Papam *bonæ recordationis* titulo insignit. Illud proinde ad an. 1255. Quadragesimam protrahi necesse est; præfert enim an. 1054. notam, ex inchoandi anni ratione veteri. Domnus Vaissettius, Tom. III. pag. 481., *Art purgandi adscripta tempora*, pag. 222.

Concilium Parisiense. an. 1255.

Henricus, Archiepiscopus Senonensis, aliique Episcopi quinque concilium hoc 13. Julii die celebrarunt. In eo Reginaldi, chori-magistri Ecclesiæ Carnutensis interfectores ad carcerem damnati fuere. Concilium hoc habitum legitur feria tertia ante sanctum Arnoldum, martyrem cujus memoria die 18. Julii, in Parisiensi Ecclesia etiamnum colitur. *Mansi*, Tom. II. col. 1171.

Concilium VVestmonasteriense, an. 1256.

Archiepiscopus Messinensis, Alexandri IV. Legatus, coegit concilium hoc, eo animo, ut Angliam ad Siciliæ defensionem adduceret; quod tamen obtinere non potuit. *Anglic. I.*

Concilium Fani Sancti-Quintini, an. 1256.

Thomas Bellomanorius, Remensis Archiepiscopus, hoc concilium celebravit, in quo decretum editum quod prohibuit, ne puellæ seu sorores conversæ in ullum locum qui quidem ad *Arovaisensem* Abbatiam, e S. Augustini Ordine, in Atrebatensi Abbatia sitam pertineret, reciperentur. *Gall. Christ.* T. III. pag. 332. & in *Append.* pag. 88. Concilium hoc Mansius ad an. 1255 refert, tametsi *Gallia Christiana* quam laudat, illud an. 1256. ponat.

Concilia Parisiensia, an. 1256.

Habita sunt hoc anno Parisiis concilia duo, super Universitatis cum fratribus prædicatoribus contentione. Definitum in primo, fratres prædicatores e Parisiensium magistrorum & secularium alumnorum seu scholarium corpore exclusos fore, nisi hi posteriores suapte ipsi sponte eos appellarent. Idem negotium in altero concilio discussum fuit. Appellationem interposuere fratres prædicatores & minores ad summum Pontificem Alexandrum IV. qui in eorum gratiam contra Universitatem pronuntiavit. *Art purgandi temporum notas*, pag. 222.

Concilia Senonensia, an. 1256.

Duo quoque hoc anno concilia Senonibus habita; quorum primum 31. Julii die celebratum, chori-magistri Reginaldi Espinii occisores e carcere eductos perpetuo ad Terram Sanctam exilio addixit. Alterum 24. Octobris die coactum fuit. In hoc mandatum, ut Carnutense capitulum quod Meunie in eam urbem redierat, Stampensem in urbem transferretur, quoad ni fuisset in tuto posita Carnuti tranquillitas. *Ibid.* & *Martenne, ampl. Collect.* Tom. VII. col. 146., *Mansi, Suppl.* Tom. II. col. 1195.

Concilium Rothomagense, an. 1256.

Ponit hoc anno P. Maesius Rothomagensis provinciæ episcoporum concilium super quibusdam juribus de quibus inter Archiepiscopum ejusque suffraganeos contentio erat. Ad calcem actorum hujus concilii dicitur, ea edita fuisse Pont-Audemeri, feria secunda post S. Joannis Baptistæ festum diem, an. 1056. *Mansi*, Tom. II. col. 1190. ex *MSS. Sancti Michaelis in periculo maris*. Idem auctor eodem anno ponit aliud Strigoniæ concilium, sub Bela IV. Hungariæ Rege, & Archiepiscopo Benedicto, super dissidio quod inter Zelandum, Episcopum Vesprimensem, & Blasium, Abbatem Zalensem coortum erat. *Ibid.* col. 1193.

Concilium Londinense, an. 1257.

Bonifacius, Archiepiscopus Cantuariensis, hanc synodum convocavit, deliberandi gratia, qua demum ratione Anglicana Ecclesia, Papæ Regisque exactionibus oppressa in libertatem restitueretur. Habita fuit hæc synodus 22. Augusti die, in eaque editi articuli quinque, iis consectanei, pro quibus S. Thomas Cantuariensis pugnaverat. *Anglic. I.*, *Mansi*, Tom. II. col. 1195.

Concilium Ilerdense, an. 1257.

Jacobus, Aragoniæ Rex hoc concilium ad 4. Aprilis diem convocavit; in eoque solemnem in modum omnium sui regni Episcoporum aliorumque præsulum jura & privilegia confirmavit. *Aguirranus*, Tom. V.

Concilium Daniæ, seu *Danicum*, *an.* 1257.

In hoc concilio quatuor editi canones in vim quam viri Principes Episcopis inferebant. Hos canones die 5. Octobris hujus anni confirmavit Alexander IV. *Labb. XI. Hard. VIII.*

Concilium Lanciskiense, in Polonia, an. 1257.

Habitum fuit concilium hoc in Boleslaum, Silesiæ Ducem, qui Thomam, Vratislaviensem Episcopum in carcere detinebat. *Ibid.*

Concilium Mertonense, an. 1258.

Bonifacius, Archiepiscopus Cantuariensis, habuit die 6. Junii concilium hoc, ut Anglicanæ Ecclesiæ libertates tueretur, quas læserat decimæ in Alexandri IV. gratiam a Rege Henrico III. decretæ concessio, quibusque derogaverant ejusdem Principis literæ quæ jubebant regni præsules se judicibus secularibus sistere, ut de rebus apud eos responderent, quas haud dubium erat non nisi ad forum ecclesiasticum pertinere. Extitit etiam eodem anno super hoc ipso negotio Oxonii concilium; *Anglic. I.*, itemque super S. Dominici & S. Francisci Ordinibus, Ravennæ concilium aliud. *Labb. XI.*

Concilium Scotiæ, seu *Scoticum*, *an.* 1259.

Habitum est concilium hoc, coram Alexandro Rege, Perthæ, vel in S. Joannis urbe. Edita in eo statuta, quæ Rex & regni proceres approbarunt. *Anglic. I.*

Concilium Moguntinum, *an.* 1259.

In hoc concilio edita sunt quoad disciplinam statuta septem. *Concil. Germ.* Tom. IV., *Art purgandi temporum notas*, pag. 222.

Concilium Parisiense, *an.* 1260.

Rex S. Ludovicus hoc concilium, Martii die 21. coactum voluit, ut contra bellicos Tartarorum progressus Dei subsidium imploraretur. In eo sancitum, ut processiones peragerentur, blasphemiæ punirentur, mensarum & vestium luxus supprimeretur, ludicra certamina, omnesque ludi, exceptis arcus & balistæ exercitationibus, ad biennium prohiberentur. *Labb. XI.*

Concilium Coniacense, *an.* 1260.

Nos quidem retulimus concilia duo Coniaci habita, unum an. 1258. seu 1260., alterum an. 1260. At horum conciliorum primum ad an. 1260. & alterum ad an. 1262. referri debent; ut tum sane Gerardus de Malemortio, Burdegalensis Archiepiscopus, neutri præesse potuerit, quippe qui intra an. 1259. e vita migravit.

Concilium Cypricum, *an.* 1260.

Germanus, Limissi, Cypri insulæ quondam episcopalis urbis Episcopus, una cum nonnullis aliis præsulibus, hoc concilium celebravit. In eo actum de ratione administrandi Sacramenta septem ex usu, in antiquis conciliis, & Sanctorum Patrum scriptis exhibito. *Leo Allatius, in Tract. octav. Synodo Photiana*, pag. 506., *Hard. VIII.*, *Mansi*, Tom. II. col. 1238.

Concilium Burdegalense, *an.* 1260.

Eo spectavit concilium hoc, ut contra Tartaros, per Terram-Sanctam, & Pannoniam dissaminatos, milites conscriberentur. *Martenne*, *Veter. Monument.* Tom. VII. pag. 168., *Mansi*, Tom. II. col. 1238.

Concilium Parisiense, *an.* 1261.

Habitum est concilium hoc 10. Aprilis die, Passionis Dominicæ. In eo renovatum, quicquid in Tartaros concilium, superiore anno, Martii die 21. celebratum statuerat. D. M.

Concilium Londinense, *an.* 1261.

Maji die 16. coactum concilium hoc, & ex omnibus Angliæ Episcopis, Abbatibus, Prioribus, Archidiaconis aliisque ex ordine Ecclesiasticis viris conflatum fuit. In eo editæ novæ sanctiones aliquæ super Anglicæ Ecclesiæ statu, & Romam missi, qui concilio interessent, quod Alexander IV. ad Julii mensis initium, indixerat, ut in Tartaros agendi congruæ rationes inirentur. Aliud præterea concilium, eodem anno, ejusdemque mensis die 23. & quidem super eadem re, Beverleji habitum fuit. *Anglic. I.*

Concilium Moguntinum, *an.* 1261.

Coactum fuit concilium hoc Alexandri IV. jussu, statuendi gratia, quemadmodum Tartaris obsisteretur. In eo præterea quinquaginta quinque sanctiones editæ, ad disciplinam super divino servitio, superque cleri reformatione spectantes, tot aliis consonæ quas plura concilia quoad idem negotium ediderant. *Concil. Germ.* Tom. III.

Concilium Ravennatense, *an.* 1262.

Concilium hoc, ad mensem Julium, ab Alexandro IV. indictum fuit, ut consilium super adjumentis iniretur, per quæ Tartarorum impetus reprimi posset; at hoc Pontifice, eodem anno, 25. Maji die, Viterbii vivis erepto, indictum concilium haud celebratum fuit. *Edit. Venet.* Tom. XIII., *Mansi*, T. II. col. 1235.

Concilium apud Pontem, seu *Pontanum*, *in Irlandia*, *an.* 1262.

Patricius Oscanlanus, Archiepiscopus Armacanus, suffraganeis adsistentibus, hanc synodum habuit. In ea actum de Armacanæ Ecclesiæ primatu, editæque super disciplina sanctiones plures quæ ad nos usque non pervenerunt. Wilkinsius adscripsit huic concilio diem lunæ 19. Januarii, an. 1262., et eo anno 19. Januarii dies in feriam quartam, & sequenti anno in feriam quintam incidebat. *Anglic. I.* pag. 757., *Art purgandi temporum notas*, pag. 222.

Concilium Vestmonasteriense, *an.* 1263.

Leonardus & Berardus, quos summus Pontifex Urbanus IV. nuntios miserat, concilium hoc, post sanctæ Trinitatis festum diem, coegerunt. In eo petita in Constantinopolitani Imperatoris gratiam subsidia; at concilium respondit tantum abesse, ut Angliæ Clerus aliis opem ferre posset, ut ipse potius hac indigeret. *Anglic. I.*

Concilium Parisiense, *an.* 1263.

Tyrius Archiepiscopus, sanctæ Sedis Legatus, habuit concilium hoc 18. Novembris die, in eoque centesimum a Gallicani cleri redditibus ad quinquennium obtinuit, quo Terræ-Sanctæ necessitati consuleretur. *Labb. XI. Hard. VIII.*

Concilium Parisiense, *an.* 1264.

Præfuit huic concilio, 26. Augusti die, Simon de Briona, non autem de Brie (ut eum nuncupat Fleurius), Cardinalis Presbyter tituli Sanctæ Cæciliæ, qui deinde summus Pontifex fuit, Martini IV. nomine. S. Ludovicus in hoc concilio gravissimam contra juramenta & blasphemias sanctionem edici jussit. *Labb. XI.*

Concilium Bononiæ-ad-mare, seu *Bononiense in Gallia*, *an.* 1264.

Cardinalis Guido Fulchesius, seu de Fulchio, qui deinde Clementis IV. nomine summus Pontifex fuit, concilium hoc celebravit una cum Angliæ nonnullis Episcopis, quos ipse Bononiam miserat, propterea quod in Angliam appellere non potuerat, quo ab Urbano IV. missus erat, ut ibi Regem Henricum III. cum ejus baronibus conciliaret. Cum hos quidem Bononiense concilium reos judicasset, Legatus excommunicationis sententiam in eos pronuntiavit, mandavitque Anglis præsulibus, ut eam, cum in Angliam regressi essent, indicerent. Matthæi Parisii continuator huic concilio annum 1265. tribuit; verum Urbanus IV. die 21. Octobris, obierat; eique Cardinalis Fulchesius die 5. Februarii an. 1265. successit, sumpto Clementis IV. nomine. *Labb. XI.*, *Art purgandi temporum notas*, pag. 223.

Concilium Northamtoniense, *an.* 1265. seu 1266.

Otto Fieschius, Cardinalis titulo S. Adriani, & Legatus Apostolicus, hoc concilium habuit, in eoque excommunicationis sententiæ omnes Episcopos & Clericos subdidit, qui Simoni Montfortiensi in Regem Henricum III. opitulati vel suffragati fuerant. Cavendum porro etiam atque etiam est, ne Simon hic de Monte-fortio confundetur cum celebri ejusdem nominis supremo duce, qui eximiis se facinoribus insignivit contra Raymundum VII., postremum Tolosæ comitem, qui Milhaudii in Rotenensi regione, die 27. Septembris an. 1249. suum diem obiit. Simon Montfortiensis, de quo in præsentia sermo est, filius erat Simonis Montfortiensis qui Tolosani comitis & Albigensium flagellum fuit. Ergo Montfortiensis hic Simon, Henrici III. Regis hostis, Licestriensis comes erat, qui se statuit Anglicorum baronum signiferum, ut ad regimen reformandum Regem adigeret; quod is præstitit, solemni jurejurando recipiens se articulos serveturum, *statuta & adjumenta Oxoniensia* nuncupatos quos ministri viginti quatuor utrinque designati exararunt. Dunestaplense Chronicon ponit concilium hoc ad S. Nicolai festum an. 1265., & annales Eversleienses illud collocant intra Paschatis dies quindecim an. 1266. *Anglic. I.*, *Art purgandi temporum notas*, pag. 223.

Conci-

Concilium Bremenſe, an. 1266.

Guido, Cardinalis & legatus, concilium hoc, Novembri menſe, in clericorum concubinatum, & beneficiorum pluralitatem coegit. *Concil. Germ.* Tom. IV.

Concilium Tarraconenſe, an. 1266.

Benedictus, Archiepiſcopus Terraconenſis hoc cum ſuffraganeis concilium habuit, prima Novembris die. In eo canones tres in Eccleſiæ bonorum raptores, & in eccleſiaſticorum proditores aut detentores editi ſunt. *Martenne, Veter. Monument.* Tom. VII. pag. 171. *ex Mſſ. cod. Colbert. Manſi*, Tom. II. col. 1243.

Concilium Audemarenſe, ſeu *ad Pontem Audemari, an.* 1267.

Eudius Rigaudus, a S. Franciſci Ordine, Archiepiſcopus Rothomagenſis, 30. Auguſti die concilium hoc celebravit. In eo clericis, ſeu conjugati eſſent, ſeu non, mandatum, ut dominicis feſtiſque diebus a negotio abſtinerent, tonſuram & indumentum clericale deferrent; vetitique præterea omnes clerici, omneſque ad ſacram militiam cruce inſigniti, apoſtolicarum litterarum ullum prorſus abuſum patrare. *Labb. XI. Hard. VIII.* Beſſinius.

Concilium Daniæ, ſeu *Danicum, an.* 1267.

Guido, Cardinalis & ſanctæ Sedis legatus, coegit concilium hoc, ut pacem reſtitueret, quæ in eo regno turbata fuerat, cum Lundenenſis Archiepiſcopus in carcerem conjectus eſſet; quod in cauſa fuit, ut univerſa Dania interdicto ſubderetur, *Manſi*, Tom. II. col. 1247.

Concilium Sedenenſe, an. 1267.

Arelatenſis provinciæ Epiſcopi concilium hoc, 26. Octobris die, celebrarunt. In eo edita ſtatuta plura quæ inter Dinienſia comperiuntur. *Hard.* Tom. VIII. *ex Petro Gaſſendo, in Notitia. Eccleſ. Dinienſ.* cap. 24.

Concilium Uratiſlavienſe, an. 1267.

Cardinalis Guido coegit concilium hoc die feſto Purificationis ſanctæ Virginis, ut Terræ-Sanctæ ſubſidia compararet. *Ibid. Ars purgandi temporum notas* huic concilio annum 1268. adſcribit.

Regis Sancti Ludovici Pragmatica Sanctio, an. 1268.

Refertur hæc Pragmatica paginis 250. & 251. Tomi II. noſtræ hujus Analyſis; & ad lineam 3. pag. 251. legitur; exactiones & onera admodum gravia per Romanam Curiam impoſita vel imponenda *approbaſſe* regnum; legendum eſt, *ad inopiam redegiſſe regnum.*

Concilium Perthanum, ſeu *Perthenſe, in Scotia, an.* 1268.

Melroſienſis abbas, ejuſque monachorum plerique in hoc concilio excommunicati, quippe qui, ſancientes & occidentes, contra ea ferebat Wedelienſis de pace conventio, hoſtilia facinora perpetraſſent. *Anglic. II.*

Concilium Anglicum, an. 1269.

Wilkinſius & Manſius ponunt hoc anno habita concilia duo, unum Londini, & alterum Cantuariæ, in quibus, poſt querelarum multum, in id demum Epiſcopi conſenſere, ut regi ſubſidia concederent. *VVilkins*, Tom. II. *Manſi*, Tom. II.

Concilium Ravennatenſe, an. 1270.

Philippus Fontana, Ravennæ Archiepiſcopus concilium hoc in Ceſenenſis epiſcopatus uſurpatores, 28. Aprilis die, celebravit. *Hard.* Tom. VIII. *Hieronym. Rub. Hiſtor.* lib. 6.

Concilium Radingenſe, in Anglia, an. 1271.

Ab hoc concilio ad ſanctam Sedem appellarunt Epiſcopi, ſuper quæſtione, videlicet, an Cantuarienſis *Ricard Concil. Supplem.* Tom. V.

eccleſiæ capitulo parere deberent. *VVilkins, & Manſi, ibid.*

Concilia, Cantuarienſe & Londinenſe, an. 1272.

Actum eſt in horum conciliorum primo de decimis Eduardo Regi ſolvendis, qui Regi Henrico III. patri, 15. ſeu 16. Novembris die, vita functo ſucceſſerat. Quid in Londinenſi concilio geſtum fuerit, haud conſtat. *VVilkins, ibid.*

Concilium Lugdunenſe, an. 1274.

Manſius inter additiones alias quas in hoc concilium addidit, hanc ponit, quæ ſequitur: in eo mandatur, inquit, ut omnes concionatores hortentur populum, ut unuſquiſque caput inclinet, quoties Jeſu Chriſti nomen in eccleſia pronuntiatum audierit; Summum Pontificem Gregorium IX. die 20. Septembris ejuſdem anni de hac re ſcripſiſſe ad fratrem Joannem de Vercelis, provincialem ordinis fratrum Prædicatorum, qui in ſuo generali capitulo, an. 1278. Mediolani habito, ſtatutum hoc ediderunt: *Statuimus juxta Conſtitutionem Domini Gregorii Papæ, editam juxta concilium Lugdunenſe, quod, quandocunque nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti nominatur, omnes fratres inclinent capita ſua propter reverentiam crucifixi. Manſi*, Tom. III. col. 31.

Legitur, pag. 257. linea 18. hujus Conciliorum Analyſis, Seſſione IV. ejuſdem concilii, Tartarorum Kamum miſiſſe oratores ſexdecim ad concilium, ut foederis conventionem cum chriſtianis iniret *inter* Muſulmanos; legendum, *contra* Muſulmanos.

Concilium Conſtantinopolitanum, an. 1275.

Habitum fuit concilium hoc 26. Maji die. Joannes Veccus in eo Patriarcha Conſtantinopolitanus electus fuit, ordinatuſque ſequenti dominica, 2. Junii, Pentecoſtes die. Hic Joannes Veccus operam cum Imperatore Michaele Paleologo pro viribus contulerat, ut Græcos & Latinos inter ſe conciliaret.

Concilium Perthanum in Scotia, an. 1275.

Magiſter Bagimundus, ſanctæ Sedis legatus, concilium hoc convocavit, eo animo, ut ad Terræ Sanctæ ſubſidium decimas obtineret. *VVilkins*, Tom. II. *Manſi*, Tom. III.

Concilium Lundienſe, ſeu *Lundenienſe, in Dania, an.* 1275.

In hoc concilio ſublatum eſt regni interdictum, quod novem annorum ſpatio perſtiterat, carceris cauſa, in quem Lundienſis, ſeu Lundenienſis Archiepiſcopus, aliique nonnulli præſules, Chriſtophori Regis juſſu, conjecti fuerant, propterea quod obſtitiſſent ejus conſilio in id inito, ut Rex coronaretur Ericus ejus filius, qui ei reipſa ſucceſſit, annos natus haud plures decem, ſub matris tutela, clero licet repugnante. Erlandus quoque, Lundenſis archidiaconus, in hoc ipſo concilio ejus urbis Archiepiſcopus electus fuit. *Olaus Verminc, Meurſius.*

Concilium Arelatenſe, an. 1275.

Tom. II. hujus Analyſis, pag. 269. linea 21. ubi de hoc concilio ſermo eſt, legitur: 10. continet *vota* Papæ reſervata; lege, *caſus* Papæ reſervatos.

Concilia Conſtantinopolitana, an. 1277.

Patriarcha Veccus habuit hæc concilia duo; unum ſub Aprilem menſem, & alterum 16. Julii die. Edidit, in primo, fidei profeſſionem apprime catholicam, enuntians ſacramenta ſeptem, & quicquid Romana credit Eccleſia. Anathemate perculit in ſecundo ſchiſmaticos qui Eccleſiarum duarum conciliationi obluctabantur. Extitit etiam eodem anno Conſtantinopoli horum ſchiſmaticorum conciliabulum. *Pachimerius*, lib. 3.

Concilium Compendienſe, an. 1278.

Petrus Barbetſius, Remenſis Archiepiſcopus, concilium hoc ſuis cum ſuffraganeis habuit in vigilia Dominica Palmarum, 9. Aprilis die. Editum eſt in eo decretum in cathedralium eccleſiarum capitula, quæ ſibi arrogabant e divino officio deſiſtendi, urbiſque interdicto ſubdendæ jus, ſine ut libertates ſartas te-

ctasque servarent. Labbæus concilium hoc ad an. 1277. refert; at prapostera ac perperam, & quidam propterea quod veteram novamque annos in Gallia numerandi rationem non distinxit. *Ars purgandi temporum notas*, pag. 223.

Concilium Londinense, *an.* 1278.

Habita est hæc synodus, legati, ob Anglicanæ Ecclesiæ negotia, Romam mittandi gratia. *Mansi*, Tom. III. col. 47.

Concilium VVindsoriense, *an.* 1278.

De hoc concilio id unum constat, in Dominici netalis vigilia, rege mandante, habitum fuisse. *Ibid.* & *VVilkins*, Tom. II.

Concilium VVeddelense, *an.* 1278.

Celebratum fuit concilium hoc e Lundeniensi Archiepiscopo, Wedalit in Jutlandia seu Dania; de eo quidem id in comperto est, nihil praterea, *Mansi*, Tom. III. col. 51.

Concilium Bitteronse, seu *Bliterrense*, *an.* 1279.

Patrus de Montbrunn, Narbonensis Archiepiscopus, concilium, suffraganeorum septem adsistentibus, 4. Maji die celebravit. In eo mandatum, ut Narbonensis Archiepiscopus in Franciam ad proximum ordinum cœtum, seu parlamentum pergaret, conquerendi causa, provinciæ nomine, de vateribus & novis eusis super feudis, prædiis hæreditariis, belli servitio, petendique, ut suæ civibus libertates & privilegia servarentur. *Labb. XI. Hard. VIII. Baluzius*, *Concil. Gall. Narbon.*

Concilium Londinense, *an.* 1279.

Hæc habita synodus, ut subsidium Eduerdo Regi tribueretur. *Anglic. I*,

Concilium Ausciense, *an.* 1279.

In hoc concilio propugnata Episcopi & ecclesiæ Vasatensis, contra Vasconiæ Saneschallum, jura. *Harduin. VIII*,

Concilium Tarraconense, *an.* 1279.

Bernardus, Archiepiscopus Tarraconensis, 7. Decembris die, concilium hoc una cum pluribus aliis Episcopis & abbatibus celebravit, ut a Summo Pontifice Nicolao III. canonizationem peteret Raymundi de Pennafort, tertii Generalis Ordinis fratrum prædicatorum, qui tamen die tantum 29. Aprilis an. 1601. Clemente VIII. Ecclesiam regnis id honoris accepit. *Regin. XXVIII. Labb. XI. Hard. VIII. D'Aguirre*, Tom. V.

Concilium Bituricense, *an.* 1280.

Vilium artium plures hoc in concilio clericis vetitæ. *Edit. Venet.* Tom. XIV.

Concilium Constantinopolitanum, *an.* 1280.

Patriarcha Veccus, aliis octo præsulibus adsistentibus, tam metropolitanis quam Episcopis, habuit die 5. Maji concilium hoc. In eo facta verba de quodam S. Gregorii Nysseni textu, in quo dixerat, *Spiritum Sanctum ex Patre & ex Filio* esse, & a quo subdola fuerat expuncta syllaba, quæ quidem expuncta laodati testimonii, adeo Ecclesiæ conciliationi faventis sensum invertebat. Quod Patriarcham impulit, ut diceret: „ minima quæque in Patrum scriptis mutatio grave detrimentum affert Ecclesiæ; ac proinde „ nos qui in gregis regimine iisdem successimus, traditionem quam nobis reliquerunt, sancte & religiose servare debemus. " Porro syllaba quam Constantinopolitanæ Ecclesiæ referendarius e S. Gregorii Nysseni textu sustulerat, erat particula *ex*, quæ legitur in hujus patris super oratione Dominica, *Pater*, homilie, quæ his verbis incipit; *Cum adduceret magnus Moyses* &c. *Spiritus vero Sanctus & ex Patre dicitur, & ex Filio esse affirmatur. Leo Allatius*, lib. 3. *de consensu eccles. Græc. & Latin. Labb. XI. Hard. VIII*,

Concilium Senonense, *an.* 1280.

Gilo Cornutus II. Archiepiscopus Senonensis, & quinque e suffraganeorum numero, 25. Septembris die, concilium hoc celebrarunt, vexationum causa, quas Joannes, Ambasiæ & Chaumontii dominus, contra Pontlevojensem abbatiam, in Carnutensi diœcesi sitam edebat. *Mansi*, Tom. III. col. 63.

Idem auctor, *Ibid.* col. 69. ponit aliud concilium Senonibus habitum, in quo Simon I. de Perruchio, Carnutensis Episcopus, fidei professionem, e veteri consuetudine, apud Senonensem Archiepiscopum edidit.

Concilium Bitteronse, seu *Bliterrense*, *an.* 1280. seu 1281.

Concilium hoc super Narbonensi metropoli versatum est. *Labb. XI. Hard. VIII. Baluzius*, *Concil. Gall. Narbon. Gall. Christ.* Tom. VI. pag. 148.

Concilium Lambetanum, *an.* 1280.

Joannes Pekamus, *Cantuariensis Archiepiscopus*, cogit concilium hoc ex omnibus suæ metropolis Episcopis, abbatibus, clericisque. In eo renovatæ constitutiones quas sanctæ Sedis legati, Otto, & Ottobonus in pluribus conciliis enuntiaverant; iisque additum fore, ut omnes cum animarum cura beneficiarii ad sacerdotium intra annum promoverentur, & in posterum nemo unus ad beneficium eum animarum cura conjunctum admitteretur, quin aut sacerdos esset, aut sacerdotium intra annum susciperet, ducto anni initio ab ejusdem admissionis die. *Anglic. I.*

Concilium Perthanum, *in Scotia*, *an.* 1280.

Pronuntiate est in hoc concilio contra dominum, Guillelmum de Fontana nuncuparum, ecclesiastici prædii injustum detentorem, excommunicationis sententia. *Anglic. II.*

Concilium Noviodunense, *an.* 1280.

Editæ in hoc concilio sanctiones sex, quarum priores duæ ad lites, duæ sequentes ad usuras, duæque postremæ ad judices & causidicos spectant. *Hard. VIII.*

Concilium Parisiense, *an.* 1281.

Archiepiscopi quatuor & Episcopi viginti concilium hoc Decembri mense celebrarunt. In eo præsules conquesti sunt, religiosos mendicantes audere, iis invitis, in eorum diœcesibus, e suggestu dicere, & confessiones excipere, prætexentes Romanorum Pontificum privilegia quæ id juris iisdem tribuebant. *Du Boulay*,

Concilium Cantuariense, *an.* 1281.

Nobis ex hujus concilii actis nihil superest præter Joannis Pekami, ejus urbis Archiepiscopi litteras, quibus monachos & alios exemptos arguit, qui conciliis adesse renuunt. *Anglic. II. Mansi*, Tom. III.

Concilium Londinense, *an.* 1282.

Idem Archiepiscopus convocavit concilium hoc ad Kalendas Martias, liberandi causa Amaurium Montfortiansem, capellanum Papæ Martini IV. ab Anglis detentum, cum sororam suam, Principis Walliæ conjugem, ad sponsum duceret. *Anglic. II*,

Concilium Santonense, *an.* 1282.

Geofriddus de Saint-Brice, hujus urbis Episcopus, in hoc concilio questus est, propterea quod in ejus diœcesi excommunicati homines humo dabantur in cœmeteriis, aut tam prope, ut ne eorum sepultura ab iis quæ fidelium erant, distingui possent. *Ars purgandi temporum notas*, pag. 224.

Concilium Tarraconense, *an.* 1282.

Bernardus, Archiepiscopus Tarraconensis, una cum sex e suffraganeis, hoc concilium celebravit. In eo renovata statuta quæ in superioribus conciliis duobus, in eadem urbe, sub eodem Archiepiscopo celebratis edita fuerant; ut proinde tertii hujus concilii acta spectari non debeant nisi tamquam earum collectio,

quæ

quæ ad priora duo concilia pertinent, reformationibus nonnullis exceptis. *Manſi*, Tom. III.

Concilium Aquilejenſe, *an.* 1282.

Raymundus, Aquilejenſis Patriarcha, coegit die 14. Decembris concilium hoc, in quo conſtitutiones editæ quæ ſequuntur:

1. Celebrabitur ſanctorum Martyrum, Hermagoræ & Fortunati, Aquilejenſis eccleſiæ patrum & patronorum feſtum. Eorum præterea memoria, ferialibus diebus omnibus, ad matutinum & ad veſperas recoletur.

2. Divinum officium religioſe ac devote celebrabitur, idque ex uſu qui ad hoc uſque tempus obtinuit.

3. Vitam clerici conformabunt ad regulas quæ a reverendo patre & fratre latino Malebranca, Oſtienſi & Velitrenſi Epiſcopo, & ſanctæ Sedis legato iiſdem præſcriptæ fuerunt. Nuncupatur autem legatus hic pater & frater, quia a ſancti Dominici Ordine erat. Eum patruus Nicolaus III. Cardinalem creavit, & in tota Æmilia, Etruria, &c. legatum deſignavit.

4. Excommunicationi ſubdantur, quicumque eccleſiaſticos male habent.

5. Nullus Epiſcopus alienæ diœceſis ſubdito, ſine proprii Epiſcopi dimiſſoriis litteris, tonſuram conferet.

6. Omnes veterum canonum, ſtatutorum, conſtitutionum Aquilejenſis Eccleſiæ contemptores excommunicatione plectentur.

8. Eadem imponitur iis omnibus pœna, qui Eccleſiæ bona & jura invadunt.

9. Interdictio, ne fidelium ſepultura excommunicatis detur, ſuſpenſionis ab officio & beneficio iis qui hanc dederint, indicta pœna.

10. Omnes Aquilejenſis Eccleſiæ ſuffraganei eam ſemel in ie anno, prout ſe facturos jurarunt, inviſuri venient.

11. Suffraganeus quiſque apud ſe habebit ſtatuta hæc. *P. de Rubeis*, *Monum. Eccl. Aquil. cap.* 19. *Manſi*, Tomus III. col. 73. & ſeq.

Concilium Conſtantinopolitanum, *an.* 1283.

Græci ſchiſmatici coegere concilium hoc, Januario menſe, ſub Patriarcha Joſepho, in eoque Joannem Veccum damnarunt, tametſi ultro patriarchatum abdicaſſet, ut ſe in monaſterium reciperet. Paulo poſt perfecerunt, ut eum Imperator Andronicus, ſchiſmati ſummopere addictus in exilium mitteret. *Pachimerius*; *Manſi*, *ibid.* col. 511.

Concilium Conſtantinopolitanum, *an.* 1283.
ſeu 1284.

Conciliabulum hoc, die qui proximus Paſcha ſanctus eſt, habuere græci ſchiſmatici, in eoque Epiſcopos omnes latinos græcoſque damnarunt, qui in duarum eccleſiarum conciliationem conſentiebant. *Manſi*, *ibid.* & *P. Poſſines*, qui an. 1284. huic concilio tribuit.

Concilium Melfitanum, *in Sicilia*, *an.* 1284.

Gerardus, Sabinæ Epiſcopus, & Martini IV. in Siciliæ regno legatus, huic concilio præfuit, quod 28. Martii die celebratum, ſequentes novem canones edidit:

1. Græci omnes qui in Sicilia degunt, addent ſymbolo particulam *Filioque*.

2. Eccleſiarum eccleſiaſticorumque oppreſſores excommunicati ſunt *ipſo facto*.

3. Damnantur qui, origine latini cum ſint, uxorem ducunt in minoribus ordinibus conſtituti, deinde vero ſe ad ſuperiores ordines promovendos curent, quin e matrimonio recedant, ſuaſque uxores adducant, ut perpetuum caſtitatis votum edant, ajentes ſe Græcorum ritum ſervare velle. Qui ſe ita ordinandos curabunt, in omne vitæ tempus officio & beneficio, ſi quod habent, deſtituentur, & Epiſcopi qui eos initiaverunt, ſuſpenſi erunt ad annum ab ordinum collatione, quos iis contulerint.

4. Vetiti, ſuſpenſionis indicta pœna, Epiſcopi aliique præſules mercede conducere græcos presbyteros, ut in Latinorum Eccleſiis divinum officium peragant, & Sacramenta adminiſtrent.

5. Clerici concubinarii eorumque concubinæ excommunicationi ſuberunt.

6. Nominabuntur procuratores quibus mandabitur, ut cujuslibet præſulis, quem mori contigerit, bonorum rationem reddant.

Ricard Concil. Supplem. Tom. V.

7. Beneficiariorum ſecularium ſeu regularium nullus ſui beneficii bona ad tempus quinquennio longius locare poterit.

8. Qui ſuis eccleſias bonis ſpoliant, aut hæc laicis ad vitæ tempus, vel ad multos annos addicunt, ea conditione, ut hi laici coloni annuum iis cenſum ſolvant, excommunicatione plectentur.

9. Hæ conſtitutiones ſervabuntur, eaſque quotannis Epiſcopi ſuis in ſynodis legendas curabunt. *Martenne*, *Veter. Monument.* Tom. VII. pag. 28. *Manſi*, Tom. III. col. 103.

Concilium Lanciskienſe, *in Polonia*, *an.* 1285.

Gneſnenſis Archiepiſcopus habuit, die 6. Januarii, cum quatuor Epiſcopis concilium hoc, in quo a communione repulit Henricum IV. Sileſiæ Ducem, utpote qui omnia Uratiſlavienſis Epiſcopi bona, omneſque cleri decimas occupaſſet. *Labb. XI. Hard. VIII.*

Concilium Conſtantinopolitanum, *an.* 1285.

Ductus ad hoc concilium fuit Patriarcha Joannes Veccus in ſuaque ſententia perſtans aſſeruit, e Patrum doctrina dici poſſe Spiritum Sanctum ex Patre & ex Filio procedere. *Hard.* Tom. VIII.

Concilium Regienſe, *an.* 1286.

Roſtaingus Caprius, Aquenſis Archiepiſcopus, 14. Februarii die, concilium hoc celebravit, in quo viginti qui ſequuntur, editi canones:

1. Servabuntur accurate generalium conciliorum canones, itemque quos Valentiæ concilium edixit, & provincialia ſtatuta.

2. Edentur preces pro liberatione Caroli II. Provinciæ comitis & Siciliæ Regis qui a Siculis in carcere detinebatur.

3. Suus erit unicuique eccleſiæ codex, ſeu chartularium, in quo omnia ejus bona inſcribentur.

4. Præſules qui beneficia, ut prioratus, ſuppoſitis perſonis tribuunt, quibus non niſi tituli nomen erit, excommunicationi ſuberunt, perinde ac falſi hi titulares; & Epiſcopus diœceſanus ejuſmodi beneficia libera conferet.

5. Beneficiorum patroni tum ſolum ea conferent, cum certo conſtiterit eos pleno abſolutoque collationis jure gaudere.

6. Diœceſano Epiſcopo amplissimum jus erit ad ſuum tribunal vocandi, puniendique clericum quemlibet, qui in ejus diœceſi deliquerit, ſeu ſecularis ſeu regularis fuerit.

7. Sedulo dabitur opera, ut ab eccleſiis ejuſque finibus arceantur omnes excommunicati, ſuſpenſi vel interdicti.

8. Nemo niſi in cœmeteriis ab Epiſcopo, vel ſaltem ex ejus mandato benedictis ſepultura dabitur.

9. Clerus omnis, ſecularis ſeu regularis ſibi ſumet uniuſcujuſque clerici defenſionem, qui e ſua diœceſi eductus fuerit, ut judicetur.

10. Nemo venenum ulli vendet, quin ſeculares curias de re moneat, & id quidem excommunicationis indicta pœna.

11. Eidem pœnæ ſubduntur veneni, ſeu veneſati poculi propinatores, conſiliarii, fautores, ſocii, &c.

12. Eadem pœna ſtatuitur in religioſos, militares aliosque, qui privilegia & exemptiones ſibi conceſſas prætexunt, ut ordinariorum, horumve officialium cenſuras contemnant.

13. Ad impediendum, ne legata pia, vel reſtitutiones celentur, ſuum teſtatores parochum appellandum curabunt; &, eo abſente, notarius, qui teſtamentum recipiet, intra dies octo, ab eo numerandos, quo teſtator obierit, Epiſcopo, vel ejus officiali, vel loci in quo defunctus degebat parocho, articulos qui eos afficiunt, exhibere tenebitur.

14. Nullus ſacerdos eb edita vi, quantumvis levi, ſine ordinarii venia, abſolvere poterit.

15. Quicumque vacantis eccleſiæ bonis, per ſe vel per alios, potiri auſus fuerit, excommunicationi ſuberit *ipſo facto*.

16. Defunctorum corpora humo tradentur in ſuarum parœciarum cœmeteriis, niſi conſtet eos alibi ſepulturam ſibi elegiſſe.

17. Suos parochianos monebunt parochi, eos teneri decimam ſolvere.

18. Quicumque a præſentis concilii ſtatutis ſe exemptos contendant, intra duos ab eorum enuntiatione menſes, ſuos titulos exhibebunt.

19. Vetitus, excommunicationis indicta pœna, clericus quiſque, præſentatus aut præſentandus ad bene-

ficium, ne patrono, ecclesiastico seu laico, absque expressa ordinarii venia, jurisjurandi fidem obstringat.

20. Nemo non impedite prohibitus, ne a suffraganais ad metropolitanum appelletur. *Martenne, Thesaur. Nov. Anecdot.* Tom. IV. pag. 191. & seq.

Auctor *Artis purgandi temporum notas*, animadvertit huic concilio annum 1285. tribui, quia tunc incipiebat annus a paschate. Ait præterea in Editione Veneta adesse viginti tres ejusdem concilii canones, Tom. XIV. Martennius non affert nisi viginti quos modo transcripsimus, ex *Mss. illustrissimi Episcopi Diensis*.

Concilium Londinense, an. 1286.

Joannes Peckamus, Archiepiscopus Cantuariensis, concilium hoc, 30. Aprilis die, cum tribus Episcopis pluribusque doctoribus celebravit. In eo damnatæ tamquam hæreticæ propositiones quæ sequuntur:

1. Christi Domini mortuum corpus nullam habuit substantialem formam, ne eam quidem ipsam quam habebat suæ vitæ tempore.

2. Christi Domini mors novam substantialem formam, novam speciem seu naturam in ejus personam induxit, ut proinde Dei Filius non solum speciem seu naturam humanam habuerit, verum etiam aliam quæ non nominatur.

3. Si facta esset consecratio per dies tres quibus Christi Domini corpus in sepulcro remansit, panis transubstantiatio facta esset in eam formam seu naturam quam ejus mors novam induxerat.

4. Post Christi Domini resurrectionem, totus panis mutatur in totum Christi Domini vivens corpus, ita quidem, ut panis materia mutetur in materiam corporis Christi Domini, & panis forma in corporis formam, scilicet in intellectualem animam, pro ut hæc est corporis forma.

5. Mortui corporis Christi Domini cum ejus vivente corpore numerica identitas non nitebatur nisi identitate materiæ & dimensionum quæ haud terminatæ erant, & ad intelligentem animam referebantur.

6. Sancti seu cujusvis alterius hominis mortuum corpus non est idem *numero* ac vivens ejusdem corpus, *nisi secundum quid*, videlicet ratione materiæ quæ utrique communis est.

7. Cum hanc doctrinam tradere quispiam vult, non tenetur Papæ, seu Gregorii seu Augustini aliorumque similium auctoritati credere, sed solum sacræ Scripturæ aut rationis auctoritati.

8. Una tantum in homine forma est, nimirum anima rationis compos. *Anglic. I.*

Concilium Naumburgense, an. 1286.

In eos habita est hæc synodus, qui Episcopos & clericos in carcerem trudunt. *Concil. Germ.* Tom. III.

Concilium Bituricense, an. 1286.

Legitur pag. 69. Tom. II. hujus Analysis, in hujus Bituricensis concilii canone 27. renovari canonem septimum concilii Turonensis, an. 1133. *Legendum* an. 1236.

Concilium Londinense, an. 1287.

Prælati clerusque ecclesiæ Cantuariensis concilium hoc celebrarunt. Ejus acta non extant. *Anglic. I.*

Concilium Exoniense, an. 1287.

Petrus Quivilius, hujus Exoniensis urbis Episcopus, coegit concilium hoc, seu potius hanc synodum, 16. Aprilis die; quamvis enim vulgares Collectiones, atque adeo auctor *Artis purgandi temporum notas*, pagin. 225. illud in conciliorum numerum referant, tamen simplex tantum diœcesana synodus fuit, in qua Petrus Quivilius, Exoniensis Episcopus, synodalia statuta per quinquaginta quinque articulos enuntiavit. Abbas Lenglet Dufresnoy in aliud erratum incidit in suis tabellis chronologicis, hanc synodum Oxonii ponens, deceptus, ut videtur, similitudine latinæ vocis *Exonia*, quam sumpsit pro *Oxonia*. (*Tabella chronologica*, Tom. II. novæ editio, pag. 454.).

Concilium Mediolanense, an. 1287.

Otto, Archiepiscopus Mediolanensis, huic concilio præfuit, quod e pluribus Episcopis, omniumque provinciæ capitulorum legatis conflatum, a 12. Septembris die habitum fuit. In eo mandatum, ut Romanorum Pontificum constitutiones, & Imperatoris Friderici II. leges, in hæreticos editæ servarentur. Vetiti etiam abbates & abbatissæ, religiosi & religiosæ ad funera pergere, omnesque ecclesiastici, in virginum monasteria pedem inferre. Mandatum præterea, ut parochus ex iis quæ sepulturæ loco legata essent, & e funerum oblatione tertiam partem perciperet. *Reg. XXVIII. Labb. XI. Hard. VIII.*

Concilium Remense, an. 1287.

Petrus Barbetius, Remensis Archiepiscopus, concilium hoc cum suffraganeis septem, aliorumque duorum legatis, prima Octobris die, celebravit. Statuerunt unanimi consensu concilii Patres Romam mittere, ut suum ibi negotium cum religiosis mendicantibus, super eorumdem quoad confessionem & prædicationem privilegiis, ad absolutam expeditionem usque, prosequerentur. *Hard. VIII.*

Concilium Salisburgense, an. 1287.

Legatus Joannes Bucomatio, Tusculi Episcopus, habuit concilium hoc, in quo deliberatum est, ut ecclesiasticorum redituum decima pars in Terræ-Sanctæ subsidium ad sexennium tribueretur. *Concil. German.* Tom. III.

Concilium Salisburgense, an. 1288.

Archiepiscopus Rodulphus concilium hoc cum suffraganeis 11. Novembris die celebravit, occasione translationis exuviarum S. Vigilii, Salisburgensis Archiepiscopi. Adscribuntur huic concilio Henrici, inferioris Bavariæ Ducis epistolæ duæ per quas hortatur concilii Patres, ut nihil moribus & legibus patriis contrarium statuant. Antequam deliberaretur, Episcopis singulis tabellæ exhibitæ, ad quarum calcem suum ut sigillum apponerent, rogati sunt. Hæ continebant in clericos anathema, qui sæcularium principum negotia administrarent, vetito unoquoque præsule, ne laico provinciæ domino obsequium, seu, quod vulgo dicitur, homagium præstaret. Unus Episcopus Secuensis eas tabellas sigillo obsignare renuit; obsignarunt cæteri sine examine; fuitque deinde, quod eos facti pœniteret. *Conc. Germ.* Tom. III. *Mansi*, Tom. III. col. 131. *Art purgandi temporum notas*, pag. 225.

Concilium Viennense, in Delphinatu, an. 1289.

Guillelmus de Valentia, Viennensis Archiepiscopus, habuit cum suffraganeis concilium hoc, S. Lucæ festo die. Ejus acta non suppetunt; at Viennensium Antiquitatum capite quadragesimo octavo statuta leguntur, quæ in eo edita. *Gall. Christ.* & *Hard. VIII.*

Concilium Parisiense, an. 1290.

Girardus & Benedictus, legati duo a sancta Sede in Galliam missi, concilium hoc in Sanctæ Genevevæ ecclesia celebrarunt, cum ad illud omnes regni Episcopos appellassent. *Harduini VIII.* ex *Chronico Sancti Dionysii, edit. a R. P. Luca Dacherio Benedictino.*

Concilium Ambredunense, seu *Ebredunense*, *an.* 1290.

In hoc concilio vetitum, ne clericalis tonsura cuipiam tribueretur, quin e legitimo matrimonio natus esset; in eodem peculiares præscriptæ preces quæ in parochiali aut conventuali Missa, proxime post dominicam orationem, *Pater* &c. dicerentur, ad eorum petendam resipiscentiam, qui ecclesiæ bona diripuissent. Statim ergo ac dictum fuerat, *Sed libera nos a malo*, sacerdos celebrans incipiebat: *Deus in adjutorium meum intende*, &c. *Kyrie eleison*, ac tres deinde orationes consequebantur. Indulgentiæ præterea quadraginta iis omnibus concessi dies, qui quotidie aliquam hac mente precem ederent. *D. Martenne*, *Thesau. Nov. Anecdot.* Tom. IV. pag. 209.

Concilium Nobiliacum, seu *S. Leonardi*, *Nobliacii dicti*, *an.* 1290.

Simon de Belloloco, Archiepiscopus Bituricensis, hoc concilium habuit. In eo mandatum, ut omnes clerici, sæculares seu regulares, suorum ecclesiæ bonorum centesimam partem, ad parœciæ emolumentum,

per

per annos quinque conferrent; idque excommunicationis indicta pœna. *Ibid.* pag. 211.

Concilium Salisburgense, an. 1291.

Convocatum fuit concilium hoc, mandante summo Pontifice Nicolao IV., deliberandi gratia, quemadmodum Terræ-Sanctæ subsidium afferretur. In eo propositum Papæ consilium, ut templarios, hospitalarios, equitesque teutonicos in unum cogeret. *Reg. XXVIII. Labb. XI. Hard. VII.*

Concilium Mediolanense, an. 1291.

Otto Visecontius, seu Vice-comes, Archiapiscopus Mediolanensis, habuit cum suffraganeis concilium hoc, 27. Novembris die, ad Terræ-Sanctæ recuperationem, quæ eodem anno, 18. Maji die, capta Ptolemaide, vulgo Acre, prorsus amissa fuerat. *Ibid.*

Concilium Londinense, an. 1291.

Concilium hoc eam Judæis omnibus legem imposuit, ut suis cum bonis ex Anglia pedem efferrent. Id etiam consilii captum a synodi Patribus, ut subsidium tribueretur Eduardo Regi, cui ea mens erat, ut ad Terram-Sanctam se ipse conferret. *Ibid. & Anglic. I.*

Concilium Tarraconense, an. 1292.

Rodrigus, Archiapiscopus Tarraconensis, Nicolao IV. expressis verbis ita jubente, concilium hoc, Martii die 15. cum suffraganeis coegit. In eo constitutiones editæ quæ sequuntur:

1. Confirmantur omnia Terraconensium Archiapiscoporum statuta, per quæ cleri tam sæcularis quam regularis personis bonisque ullo unquam tempore consultum fuit.

2. Jubentur omnes Clarici vestem, tonsuram & coronam ferre, quæ eorum ordini congruunt, privandi, si secus egerint, Ecclesiæ aditu.

3. Pronuntiatur in quamvis clericum excommunicatio, qui, ut afferamus concilii verba, *diffidaverit, acunydaverit, seu acunydari fecerit, vel procuraverit;* hoc est, qui ab obedientia, seu clientali prædiorum munere, quod alteri debet, per legalem & juridicum actum, recesserit; qui ei se adversarium professus fuerit, qui eum provocaverit, seu provocandum curaverit, &c.

4. Perjuri clerici per mulctam punientur.

5. Clerici excommunicati qui semestre spatium transegerint, quin se ab excommunicatione solvendos curent, mulcta & ipsi plectentur; quod si totius anni spatium prætergressi fuerint, officiis & beneficiis quæ obtinent, spoliabuntur.

6. Eamdem mulctæ pœnam subibunt Ecclesiastici, qui Sacramentum, quodcumque fuerit, alienæ parœciæ fideli, absque ejusdem Parochi venia, administraverint, exceptis baptismate & pœnitentia, quæ Sacramenta duo, si necessitas urgeat, libere conferre poterunt.

7. Ecclesiæ aditu privabuntur omnes Episcopi, Tarraconensis Ecclesiæ suffraganei, qui non repugnabunt, quin Toletanus Archiepiscopus, aut quivis alius crucem sibi præferri jubeant, aut pallio utantur, aut indulgentias concedant, dum per eorum diœcæses transeunt.

8. Punientur hæretici, ut par est.

9. Errones qui se Apostolos aut religiosos dictitant, capientur, & e Provincia ajicientur.

10. Sæculares & Regulares Clarici qui agent contra Ecclesiæ immunitates & privilegia, excommunicatione plectantur, suisque beneficiis spoliabuntur.

11. Prohibentur laici a Clero sæculari seu regulari, certis quibusdam per annum diebus, quicpiam, ut convivia, frumenta, aliasve merces exigere.

12. Servabitur Bonifacii VIII. constitutio, quæ incipit, *Alma mater*, ad divini Officii intermissionem quod attinet.

13. Curabunt in suarum visitationum cursu Episcopi, ut super testamentorum executione perquisitiones fiant.

14. Custodietur quoad usuras & restitutiones jus. *D. Martenne, Vet. Monum.* Tom. VII., *Mansi*, T. III. col. 237.

Concilium Bremense, an. 1292.

Gislbertus, Bremensis Archiapiscopus, tribus Episcopis adsistentibus, Martii die 17. concilium hoc in eos habuit, qui in Episcopos manum immittunt, eosque in carcerem trudunt. *Edit. Venet.* Tom. XIV., *Concil. Germ.* Tom. III.

Concilium Aschaffenburgense, an. 1292.

Gerardus Epstenius, Archiepiscopus Moguntinus, 17. Octobris die, concilium hoc celebravit. In eo editi super disciplina articuli vigintiquinque. *Concil. Germ.* Tom. IV.

Concilium Spalatense, an. 1292.

Joannes, Dalmatiæ primas, in Archiepiscopalibus Spalatensis urbis ædibus, coegit concilium hoc, ut Ecclesiasticam in clericorum ordinatione disciplinam ad certum modum redigeret. In eo statutum, ut nullus Episcopus, absque Ordinarii placito, alienæ diœcesis subditos ordinare, vel ibidem ullum sacramentum administrare posset. *Mansi*, Tom. III.

Concilium Genuense, an. 1292.

Jacobus de Voragine, Archiepiscopus Genuensis, concilium hoc cum suffraganeorum nonnullis, Abbatibus pluribus, Præpositis, Archipresbyteris, aliisque Ecclesiasticis numero pluribus celebravit. In eo editæ utiles sanctiones aliquæ, & sublata dubitatio quæ nonnullorum animo inerat, super S. Syri, Genuensium Archiepiscoporum primi reliquiis quæ sub ara Ecclesiæ S. Laurentii collocatæ erant. Earum ergo non sine requisitis omnibus solemnitatibus facta recognitio, adeoque eædem rursus firmatæ fuere. *Jacobus de Voragine, in Chronic. Januensi, Rerum Italic.* T. IX. pag. 51. *Mansi*, Tom. III. col. 235.

Concilium Strigoniense, an. 1294.

Lodomerus, Archiepiscopus Strigoniensis, habuit cum suffraganeis, Andrea III. Pannoniæ Rege rerum potiente, hoc provinciale concilium. In eo Stephanus, Eremitarum S. Pauli Provincialis, obtinuit, ut S. Ladislai Kebetiensis monasterium quod ipse ædificandum curaverat, Strigoniensis Archiepiscopi jurisdictioni non subderetur. *Mansi*, Tom. III. ex *Annal. Eremitarum S. Pauli.*

Concilium Aureliacense, seu *apud Aureliacum*, *an.* 1294.

Concilium hoc ex Episcopis, Bituricensis metropolis suffraganeis, universoque sæculari & regulari clero conflatum fuit. Simon de Bello loco, Archiepiscopus Bituricensis qui tum quidem in Gallia non aderat, cœtui non nisi per procuratorem præfuit. In eo, Regi Philippo Pulcro ecclasiasticorum omnium Bituricensis provinciæ bonorum decima pars, in gratuiti doni modum, ad biennium concessa est. Extant hujus Principis literæ, feria quinta post octavam Purificationis B. Virginis datæ, per quas eam decimam partem, tamquam puram gratiam, una & unica concilii patrum liberalitate nixam, sibi concessam testatur in hæc verba: *& profitemur, quod prædicti prælati ex sola gratia & mera liberalitate prædictum subsidium nobis faciunt, & illud ab eisdem ex mera gratia recipimus.* (*Martenne, Thesaur. Nov. Anecdot.* Tom. IV. pag 21. & seq.). Coactum fuit eodem anno concilium aliud Pontii prope Santones. *Gal. Christ.* Tom. II. pag. 1076.

Concilium Tarraconense, an. 1294.

Coegit Archiepiscopus Rodrigus concilium hoc. In eo edita constitutio quæ nondum lucem aspexit. Tribuitur in articulos sex, quorum quartus convivia prohibet, quæ parochiani statis diebus a Parochis exigebant. *Ars purgandi temporum notas*, pag. 225.

Concilium Clarmontiense, seu *Claro-montiense*, *in Alvernia*, *an.* 1295.

Ait quidem Domnus Martenne concilium hoc æque atque alterum, sequenti anno 1296. Parisiis convocata fuisse; at non addit ea locum habuisse. *Ibidem*, pag. 217. & 219.

Concilia Londinensia, an. 1297.

Robertus, Archiepiscopus Cantuariensis, ejusque suffraganei primum concilium Januarii die 14. inchoarunt, Continuatum fuit ad dies octo, quorum

spatio

ſpatio actum eſt de ſubſidii petitione a Rege Ednardo propoſita, quin inter Patres convenire potuerit. Idem deinde Archiepiſcopus, eodem anno, Martii die 26, cum ſuffraganeorum aliquibus apud S. Paulum Londinenſem concilium alterum habuit. Advocati duo, & e Fratrum Prædicatorum Ordine Religioſi itidem duo, allatis bene multis rationum momentis, probare conati ſunt, Clerum poſſe belli tempore ſubſidia Regi tribuere, Romani Pontificis interdictione nihil obſtante. *Anglic. I.*, *Manſi*, Tom. III.

Concilium Conſtantinopolitanum, *an.* 1297.

Patriarcha Athanaſtus qui, cum montis Gano monachus eſſet, Gregorio Cyprienſi ſuper patriarchali Conſtantinopolis Sede ſucceſſerat, adeo ſe male geſſit in ſuſcepto munere, ut ſe omnibus inviſum redderet, & ad ſuum monaſterium regredi cogeretur. Furore abreptus evomuit in Imperatorem Andronium, ſeniorem, anathemata in quodam ſcripto quod in majoris Eccleſiæ pariete celavit. Cum forte puer quadriennio poſt id ſcripti comperiſſet, ad Patriarcham Coſmam allatum fuit, qui illud Imperatori ſignificavit. Turbatus Princeps coactum concilium voluit, in quo de eorum anathematum vi ac pondere judicaretur. Abeuntibus in contrarias ſententias concilii Patribus, Athanaſius ipſe conſultus fuit, qui reſpondit ea ſe in indignatione ſcripſiſſe, atque aſſentiri, ut tamquam nulla prorſus & irrita ſpectarentur. *Pachimerus*, lib. 3. cap. 24., *Manſi*, ibid. col. 236.

Binius & Genebrardus eodem anno Lugduni concilium ponunt. At concilium hoc ſuppoſitum eſt, quoniam Bonifacius VIII. quem huic Lugdunenſi concilio præfuiſſe dicunt, nunquam in Galliam venit, atque adeo nullum hoc quidem anno concilium habuit.

Concilium Nicoſianum, *in Cypro Inſula*, *an.* 1298.

Gerardus, Nicoſiæ Archiepiſcopus, & ſanctæ Sedis Legatus, concilium hoc 23. Septembris die celebravit. In eo præſul hic conſtitutionem emiſit, quæ nihil erat aliud, quam provinciæ veterum ſuper ſacramentorum adminiſtratione aliiſque diſciplinæ capitibus ſtatutorum renovatio. *Ars purgandi temporum notas*, pag. 225.

Concilium Bitterenſe, *ſeu Bliterrenſe*, *an.* 1299.

Ægidius Aycelinus, Archiepiſcopus Narbonenſis, concilium hoc 29. Octobris die celebravit. In eo ad Regem Philippum Pulcrum ſuper temporali Archiepiſcopum inter & Narbonis Vice-comitem litigio legatum eſt. Notat Baluzius inter Narbonenſis urbis Archiepiſcopos & Vice-comites diſſidium jampridem fuiſſe, contendentibus Archiepiſcopis Vice-comites iis ſubeſſe debere. Negotium tum quidem non ſolum ad Regem Philippum Pulcrum, verum etiam ad Bonifacium VIII. delatum fuit. Illud Benedictus XI. Bonifacii ſucceſſor in Narbonenſium Archiepiſcoporum favorem finiit. Id nobis ex Reginaldo compertum fit, qui ſubdit in Bitterenſi concilio decretum editum eſſe, perficiendi gratia, ut S. Ludovici, Galliæ Regis feſtus dies ſub duplicis feſti ritu celebraretur. *Hard. VIII.* pag. 1206.

Tribuit Martenne huic ipſi concilio unum & viginti decreta ad diſciplinam ſpectantia, duorum manuſcriptorum codicum fide nixus, quorum unus Epiſcopi Bitterenſis, alter Marchionis Aulaſii eſt. *Theſaur.* Tom. IV. pag. 227.

Concilium Conſtantinopolitanum, *an.* 1299.

Imperator Andronicus ſenior hoc concilium cogi juſſit, obtinendi animo, ut Alexii, nepotis; Layſiorum Principis cum Iberienſis domini filia matrimonium abrogaretur, & Thumni, Caniclea adminiſtratoris, & Imperatoris favore gaudentis filia, conjux ab eo duceretur. Nitebatur Princeps imperiali dignitate, ſuoque tutoris officio quod Alexium qui, eo inſcio, & abſque ejuſdem conſenſu matrimonium inierat. Diſcuſſa re, Epiſcoporum aliqui Imperatoris poſtulationi annuendum putabant; at Patriarcha Joannes & Epiſcoporum plerique contra ſenſerunt; atque hæc poſterior opinio pervicit. *Pachimerus*, lib. IV. cap. 8., *Manſi*, Tom. III. col. 955.

Concilium Cantuarienſe, *an.* 1300.

Robertus Winchelſius, Archiepiſcopus Cantuarienſis, concilium hoc, 13. Junii die, cum ſuffraganeis celebravit. In eo renovata conſtitutio quæ vetabat, ne Religioſi mendicantes ad divinum verbum nuntiandum & confeſſiones excipiendas admitterentur, niſi poſtquam ab Epiſcopis quibus in eum finem ſe ſiſterent, examinati & approbati eſſent. In eodem ſanctimonialium quoque clauſuræ modus adhibitus. *Anglic. I.*

Concilium Mertonenſe, *an.* 1300.

Coegit idem Archiepiſcopus concilium hoc, in quo conſtitutiones enuntiavit ſuper decimis, ſuper legatis quæ morientes ſuis parœciis relinquere debent, ſuperque ornamentis atque utenſilibus quibus ſacriſtiæ inſtructæ ſint, oportet. *VVilkinſius* concilium hoc an. 1305. ponit, *Labb. XI*, *Hard. VIII*, *Anglic. I.*



CON-

C O N C I L I A

DECIMI QUARTI SÆCULI.

Concilium Remense, an. 1301.



Robertus de Curtenajo, Remensis Archiepiscopus, concilium hoc, 22. Novembris die, celebravit. In eo edita constitutio in articulos tributa septem, quorum plerique clericos spectant, qui ad sæculare tribunal acciti essent. Novum opus inscriptum *Gallia Christiana*, Tom. IX. col. 121. concilium hoc Compendii ponit; & Hartehemius illud ipsum Cameraci collocat. Harduinus & ipse concilium hoc Compendii habitum vult, cum Cossartii, quæ sequitur, adnotatione: *Liber MSS. ex quo descripti sunt hi canones, Remensis Provinciæ concilium appellat, non designato concilii loco; quem docemur a Meyero, lib. X. Annal. Fland. ad hunc annum. Mense,* inquit, *Novembri, die Mercurii, coacta apud Compendium synodus provincialis per Archiepiscopum Remorum. Hic excommunicati Abbates, quicumque conspiraverunt in suos Episcopos. Fulminati item magistratus laici, qui non patiebantur, ut laici in foro Ecclesiastico convenirentur.* Decretum *quoque, ut, ubicumque a judice temporali capiatur Clericus, a divinis cessetur officiis. Quæ omnia huic concilio convenire manifestum est.* Hard. VIII.

Concilium apud Pennam Fidelem, an. 1302.

Habitum fuit concilium hoc a Gonsalvio, Archiepiscopo Toletano, ejusque suffraganeis, a 1. Aprilis die ad usque 13. Maji. In eo editi qui sequuntur, canones quindecim:

1. Clericus quisque in sacris ordinibus constitutus, aut beneficium possidens, quotidie canonicas horas recitare debebit, secus privandus beneficii fructibus, aut, si minus beneficium obtinet, ab ordinum functionibus suspendendus.

2. Eadem in clericos concubinarios statuta pœna.

3. Parochus quisque, cujus culpa parochianorum quispiam sine Sacramentis obierit, in omne vitæ tempus beneficio spoliabitur.

4. Nullus Parochus Eucharistiam parochiano administrabit, nisi certus sit eumdem confessum esse.

5. Quicumque Sacerdos Confessionem revelaverit, trudetur in carcerem, ut ibi e pane & aqua, quod ei vitæ superest, trahat.

6. Toletanæ Provinciæ Episcopus quisque Bonifacii VIII. constitutionem quæ Clero favet, in sua diœcesi enuntiandam curabit.

7. E rebus omnibus solvetur decima.

8. Presbyteri, vel saltem, iis præsentibus, Clerici triticeæ farinæ panes, consecrationi addictos ipsi conficient.

9. Usurarios puniet Episcopus.

10. Judæi seu Agareniani qui se baptizatos voluerint, non amittent proinde bona quæ ante susceptum Baptisma possidebant, quamvis id velit civile jus. Agareniani porro sunt Arabes, ita dicti, quia ab Ismaele, Agaræ filio descenduet.

11. Coletur S. Ildephonsi, Toletani Archiepiscopi festus dies, duplicis officii ritu.

12. Canentur diebus omnibus & in omnibus quidem Ecclesiis, *Salve Regina*, & orationes, *Concede nos famulos tuos; Ecclesiæ tuæ; Deus omnium Fidelium; Quæsumus, omnipotens Deus*, &c. post Completorium.

13. Interdicent Episcopi eorum earumque prædia, qui Ecclesiarum immunitates violaverint.

14. Quicumque Episcopum, aut cathedralis Ecclesiæ canonicum in carcere detinebit, excommunicationi suberit.

15. Diœcesanus Episcopus militares aliosque non privilegiatos excommunicatione plectat, qui emerint Ecclesiæ bona. *D'Aguirre*, Tom. V. *Reg. XXVIII. Labb. XI. Hard. VIII.*

Concilium Parisiense, an. 1302.

Cum Rex Philippus Pulcher, an. 1301. Bernardum de Saissetu, Apamiensem Episcopum, quicum in contentionem devenerat ob Legati munus quod Bonifacius VIII. huic præsuli demandaverat, in carcerem trudi jussisset, conquestus proinde est apud Regem Pontifex per epistolam diei 5. Decembris ejusdem anni, eademque die misit ad eum Bullam, quæ incipit, *Ausculta, fili*, in qua ita Regem alloquitur: „ Ne „ tibi ergo persuaderi sinas esse supra te neminem, „ neque Ecclesiasticæ hierarchiæ Capiti te subesse; „ qui ita sentit, est sensus expers, & qui id pertinaciter asserit, est infidelis, e boni Pastoris grege „ sejunctus. “

Itaque cum Philippus Pulcher præsules, proceres insignesve viros urbium apud Dominam nostram Parisiensem, an. 1302. Aprilis die 10. coegisset, ut super ea Bulla deliberaretur, proceres datis ad Cardinales litteris conquesti sunt de Romano Pontifice, qui contenderet Regem, quoad temporalia, ejus subditum esse; cum contra Rex omnesque Galli semper dixerint, regnum, ad temporalia quod attinet, a Deo tantum pendere. Ad Papam quoque scripsere præsules, obsecrantes, ut veterem consociationem Ecclesiam inter & ditionem servaret, eorumque incolumitati consuleret, mandatum revocans, quo eos Romam acciverat, ut de hoc negotio cum eo judicarent; quod res & barones se nulla prorsus ratione passuros significarunt. *Reg. XXVIII. Labb. XI. Hard. VIII.*

Mansius qui concilium hoc ad an. 1303. refert, addit Regem, e præsulum procerumque sententia, edita in eo voluisse statuta hæc; ut Ecclesiarum & monasteriorum libertates & immunitatem, quemadmodum olim S. Luduvici tempore, servarentur; nemo unus in ullius præsulis bona, Regis nomine, absque peculiari mandato, manum immitteret; vacarent divinis officiis clerici, nec Rex eorum feuda requireret, præter quam ex ipsorum consensu, aut nisi ad regnum ea pertinerent; excommunicati qui biennium, quin absolutionem paterent, elabi siverent, ad proximum concilium accirentur, & tamquam de hæresi suspecti punirentur. *Mansi*, Tom. III. col. 263.

Concilium Remense, an. 1302.

Robertus de Courtenay, Remensis Archiepiscopus, coegit 30. Septembris die concilium hoc in cathedralium Ecclesiarum canonicos qui summorum Pontificum privilegiis abutentes, suis se legitimis creditoribus subducere conabantur. Hac de re concilium ad Bonifacium VIII. scripsit, obsecrans, ut ejusmodi abusui remedium afferret. *Mansi*, ibid. col. 269.

Concilium Romanum, an. 1302.

Summus Pontifex Bonifacius VIII. coegit concilium hoc contra Philippum Pulcrum, in eoque vulgavit decantatam decretalem, *Unam sanctam*, cujus vis & ratio eo demum spectat, ut statuat temporalem potestatem spirituali subesse, atque Papam jure pollere, ut supremos Principes instituat, corrigat & deponat, ea obducta specie, quod omnes homines Papæ subduntur; qua quidem in re subjectio quoad temporale cum subjectione quoad spirituale confunditur. Clemens V. per Bullam Kalendis Februariis an. 1305. datam enuntiavit Bullam *Unam sanctam*, Regi aut regno Galliarum præjudicii nihil afferre; ac si minus id enuntiasset, non minus esset extra omnem controversiam posita res apud eos omnes qui evangelicæ legis vim & œconomiam norunt. *Reg. XXVIII. Labb. XI. Hard. VIII.*

Philippus Pulcher, sequenti anno, Lupare in Parisiensi urbe, super eodem negotio, mixtos habuit cœtus duos. Primus e duobus Archiepiscopis, tribus Episcopis & virorum principum multis conflatus, Martii die 12. celebratus est. In hoc Guillelmus de Nogaretio postulationem, seu libellum supplicem Regi in Papam exhibuit, ei notam impingens hæreseos, simoniæ, &c. regemque obsecrans, ut generale concilium cogi juberet, quod eum deponerat, & Papam alium in ejus locum sufficeret.

Cœtus alter qui & ipse e præsulibus numero pluribus, dominis aliisque nobilibus viris constitit, habitus est in Regis aula, 13. Junii die. Guillelmus *du Plessis* in eo contra Papam postulationem obtulit, in ar-

in articulos tributam viginti septem; universisque cætus ab iis omnibus quæ Papa moliri ac facere posset, ad generale concilium appellavit.

Bonifacius Papa, cum audisset quod Parisiis actum erat, emisit Bullas quinque, datas omnes Augusto mense, in quarum postrema, ejusdem mensis die 15. edita, omnes Episcopatus omnesque Abbatias regni Galliæ, vacantes & vacaturos suæ dispositioni reservat, usque eo dum Rex ad sanctæ Sedis obedientiam redierit.

Idem summus Pontifex Bonifacius exarabat aliam eamque postremam Bullam quam 8. Septembris die annuntiatam volebat, cum Anagniæ a Guillelmo de Nogaratio captus fuit. Verum ab Anagniæ incolis liberatus, nulla interjecta mora, instituit Romam iter, ubi mœrore pressus, 11. Octobris die an. 1303. vivere desiit.

Benedictus XI., Bonifacii successor, at indole moribusque admodum alius, triste negotium hoc tamquam fidelium communis pater, & vere pacificus Papa finiit. Philippo Regi e censuris absolutionem concessit, quam is quidem nequaquam petiarat, sed quam ut reciperet, siquidem ei offerretur, oratoribus suis mandaverat; nihilque non in Gallia restituit in integrum, prout omnino ante ejusmodi molesta dissidia se res habuerant; plures super hac fausta pace Bullas edidit, quarum aliquæ Aprili mense, reliquæ Majo an. 1304. datæ sunt. In harum una eos absolvit, qui capti Papæ Bonifacii participes fuerant, unumque ex iis excipit Nogaretium cujus absolutionem sibi reservat. Columnenses etiam Principes, Nogaretii socios restituit.

Benedictus XI. antequam ad supremum Pontificatum extolleretur, Nicolaus Bocasinius appellabatur. An. 1240. Tervisii natus, & an. 1254. in S. Dominici ordinem ingressus est. Peregit omnia sui Ordinis munia, ad Generalis titulum usque. Eum Bonifacius VIII. cardinalem creavit. Electus Papa die 22. Octobris an. 1303. e vita migravit 6. seu 7. Julii die an. 1304. Eum Clemens XII. 24. Aprilis die an. 1736. in beatorum numerum retulit.

Concilium Cameracense, an. 1303.

Remensis Provinciæ Episcopi concilium hoc 27. Decembris die celebrarunt. In eo statuta edita quæ sequuntur:

1. Quicumque Sæculares seu Religiosi, exempti vel non exempti eos ad divina officia vel ad Ecclesiasticam sepulturam receperint, qui nominatim excommunicati aut interdicti fuerint, privabuntur Ecclesiæ aditu.

2. Qui excommunicatis vel interdictis hoc in capite favarint, excommunicationi suberunt ipsimet *ipso facto*.

3. Eadem in eos pœna, qui clandestina matrimonia contrahunt, qui ad ea suam operam conferunt, qui denique iisdem adsunt.

4. Eidem pœnæ subjiuntur, qui clericis regium vectigal imponunt, prætexentes eos mercatores & negotiatores esse.

5. Excommunicati qui anni vel longius spatium elabi sinunt, quin se ab excommunicatione absolvendos curent, Terra sancta post mortem privabuntur.

6. Ordinarii, in sua quisque diœcesi, haud negligent excommunicatos punire biennio post aut diutius, qui ad hoc concilium vocati non accesserunt.

7. Omnes Remensis Provinciæ Ecclesiastici jusculo duobusque ferculis in quoque convivio contenti erunt sine ulla fraude vel dolo, præterquam dum iis aliqua insignis notæ persona, ut Reges, Duces, Comites, Barones, &c. supervenerint.

Domnus Martenne & P. Mansi dedere concilium hoc, Remensis concilii nomine; animadvertit tamen posterior Martennium his statutis addidisse alias nonnullas absque titulo constitutiones quas ait esse aliarum fragmentum, quæ in Cameracensi synodo editæ fuere; quod credendi locum præbet, concilium quod hi duo docti viri nobis dedere, Remensis concilii nomine, Cameraci a Remensis Provinciæ Episcopis habitum esse, quemadmodum Hartzemius testatur. *Concil. Germ.* Tom. IV., *Martenne, Vet. Monum.* Tom. VII. pag. 1324., *Mansi*, Tom. III. col. 259.

Alii concilium hoc Compendii ponunt; & canones quos nos quidem, Compendiensis concilii, an. 1304. celebrati nomine attulimus, iidem sunt ac qui hoc loco ceruuntur. Quidni concilium quod alii Remense, alii Cameracense nuncupant, vera ac reapsa illud ipsum Compendiense concilium fuerit?

Concilium Oscense, an. 1303.

In hoc concilio lecta sunt privilegia duo, unum olim concessum in Jaccensi concilio an. 1063. & alterum filii ejusdem principis, ad Oscensis Ecclesiæ reparationem, quæ e barbaris diruta fuerat. *D'Aguirre*, Tom. V. pag. 230.

Concilium Compendiense, an. 1303.

Concilium hoc nos quidem ad an. 1304. post omnes conciliorum editiones retulimus. At doctus auctor *Artis purgandi temporum notas*, nos docet eas editiones omnes deceptas fuisse, propterea quod hoc concilium hanc temporis notam adscriptam habet: *pridie nonas Januarii, anno MCCCIII. die veneris post Circumcisionem*. Jam vero dies qui proxime nonas seu 4. Januarii antevertebat, re sane ipsa in feriam sextam, anno 1303. incidebat, a computandi ratione qua nos utimur in præsentia, ab ea admodum alia quæ vigebat apud Remensem Ecclesiam, quæ annum mensibus novem & diebus septem citius quam nos, inchoabat.

Concilium Nogariense, an. 1303.

Hujus Analysis Tom. II. pag. 354. canones 14. & 15. *operarios*, lege *usurarios*.

Concilium Pintevillense, seu apud Pintavillam, an. 1304.

Guillelmus de Flavacurtio, Rothomagensis Archiepiscopus, feria tertia post sanctæ Agathæ festum diem, cum suorum suffraganeorum tribus hoc concilium habuit. In eo pronuntiata est in eos omnes excommunicatio, qui sæcularibus Judicibus quoad eorum injusta in Ecclesiasticos ausa favissent. *Bessinus, in Concil. Normann.*

Concilium Tarraconense, an. 1305.

Rodrigus, Tarraconensis urbis Archiepiscopus, in hoc concilio, 22. Februarii die constitutionem edidit in articulos tributam sex, quæ nondum lucem aspexit. *Domnus Ursinus Durandus*, quam laudat auctor *Artis purgandi temporum notas*, pag. 227.

Concilium Londinense, an. 1305.

Concilium hoc ab Eduardo, Angliæ Rege convocatum, & e pluribus Episcopis, Abbatibus & Baronibus Angliæ & Scotiæ conflatum fuit. Viginti dierum spatio perstitit, initio ducto a 15. Septembris die, pacisque inter ea regna duo redintegrationem propositam habuit. *Anglic. I.*

Concilium Coloniense, an. 1306. seu 1307.

Huic concilio annus 1306. adscriptus est, anni exordio a Paschate ducto, a Coloniensi stylo. Henricus Virnemburgensis, Coloniæ Archiepiscopus, ei præfuit 20. Februarii die. In eo editi articuli quindecim in Beguardos, in eos qui ecclesiasticas libertates impetunt, ac super disciplina. *Concil. Germ.* Tom. IV., *Ars purgandi temporum notas*, pag. 227.

Concilium Aquilejense, an. 1307.

Ottobonus, Aquilejensis Patriarcha, celebravit Januarii diebus 30. & 31. concilium hoc, in quo super disciplina constitutionem edidit, quæ nobis non amplius suppetit. Paganus Turrianus, Episcopus Patavinus, de prima post Patriarcham Sede in hoc concilio sibi negata ad summum Pontificem appellavit. *De Rubeis, in Monum. Eccles. Aquil.* pag. 82., *Mansi*, T. III. col. 279.

Concilium Tarraconense, an. 1307.

Concilium hoc Guillelmus, Archiepiscopus Tarraconensis, ejusque suffraganei concelebrarunt. In eo edita constitutio quæ nondum in lucem prodiit. Ea duobus articulis constat; quorum secundus mandat, ut quæ Fratribus Minoribus legata sunt, ea ordinarius aliis addicat, qui iis recipiendis fratres minores inepti sunt. *Ars purgandi temporum notas*, pag. 227.

Concilium Sisense, in Armenia, an. 1307.

Gregorius, Armenorum Patriarcha, & Episcopi viginti

ginti sex, coram Hagione, ejusque filio Leone, totius Armeniæ Rege, ad Armenæ Ecclesiæ cum Romana redintegrationem hoc concilium habuerunt. In eo statutum, ut præcipua festa iisdem ac Romani diebus Armeni celebrarent; in trisagio dicerent, *Christe, qui crucifixus es, &c.* in Missæ sacrificio aqua cum vino misceretur; panis azymus adhiberetur; crucis signum ad Romanum modum fieret, &c. Huic concilio adscriptus est annus 756. æræ Armenorum; qui in Christi Domini annum 1307. recidit. *Galanus, Concil. Armen. Edit. Ven.* Tom. XIV. *Mansi, Suppl.* Tom. III. col. 270. & seq.

Concilium Ravennatense, an. 1307.

De huc concilio id unum constat, quod *P. de Rubeis* in sua Ravennæ Historia, lib. 6. scribit in hæc verba: *Raynaldus Archiepiscopus in dies virtutibus ac religione proficiens, purissimum cultum Divini numinis, legibus perfectis edictis, propagandum apud suum populum diligenter curavit. Quapropter provinciale concilium anno ab ortu Christi* MCCCVII. *Ravennæ celebravit.*

Concilium Budense, an. 1309.

Cardinalis Gentilius, sanctæ Sedis in Pannonia legatus, coegit die 6. Maji concilium hoc, in quo edita pro Carolo seu Charoberto, Pannoniæ Rege constitutiu. *Petersy, Concil. Hungar.*

Concilium Udvvardense, an. 1309.

Themas, Archiepiscopus Strigoniensis, suffraganeis adsistentibus, hoc concilium celebravit, quod statuta quatuor edidit, quæ sequuntur:

1. Sonabitur *Angelus* ad meridiem & vespere.

2. Budæ urbis incolæ, quoad renuent vectigalia Danubii portis imposita solvere, excommunicationi suberunt.

3. Eadem in eos pœna, qui Caroli seu Charoberti, Hungariæ Regis electioni obluctantur.

4. Servabuntur Cardinalis legati Gentilii constitutiones. *Petersy, Concil. Hungar.* Tom. I. pag. 161. *Mansi*, Tom. III. col. 335.

Concilium Londinense, an. 1309.

Robertus de Winchelsio, Archiepiscopus Cantuariensis, feria secunda post S. Edmundi, Regis & Martyris festum diem, concilium in ecclesia S. Pauli cum suffraganeis celebravit. In eo lectæ Clementis V. Bullæ duæ, quibus generale concilium Viennæ in Delphinatu, ad Templariorum negotium indicebatur. *Anglic. II.*

Concilium Utinense, an. 1310.

Ottobonus, Aquilejensis Patriarcha, coegit hoc concilium, 9. Februarii die, in eoque statuta Aquilejensis concilii, an. 1307. habiti confirmavit. *Mansi*, Tom. III. col. 335.

Concilium Salisburgense, an. 1310.

Conradus, Archiepiscopus Salisburgensis & Angliæ legatus, habuit una cum Episcopis sex, quadragesimali tempore, concilium hoc. In eo mandata decimæ solutio, quam Clemens V. ad biennium petierat. In eodem etiam renovati canones, duodecimus concilii Salisburgensis an. 1074. secundus concilii in eadem urbe an. 1281. celebrati, itemque decretalis epistola Bonifacii VIII. in clericos qui histrionum seu mimorum scurrarumve artem profitentur, eaque Clementis V. quæ pœnam in Bonifacii VIII. decretali, *Clericis laicos*, inflictam moderatur. Auctorum aliqui, ut Labbæus, Salisburgensia concilia duo, hoc anno habita perperam memorant. *Regin. XXVIII. Labb. XI. Hard. VIII.*

Concilium Trevirense, an. 1310.

Balduinus Luxemburgius, Archiepiscopus Trevirensis, & Imperatoris Henrici VII. frater, concilium hoc 29. Aprilis die celebravit. In eo edita centum quinquaginta statuta, iis consona, quæ in superioribus conciliis enuntiata fuerant, si centesimum decimum sextum excipias, qui confessionem, si necessitas urgeat, & sacerdos desit, apud laicum peragi sinit.

Licet sane homini morti proximo, si sacerdos desit, sua laico peccata, humilitatis & pœnitentiæ animo, exponere; et eum credere suam confessionem. in hac facti specie, sacramentalem confessionem fore, & laicum cui sua ipse peccata declarat, eorum absolutionem valide eidem conferre posse, hic vero error est. *Concil. Germ.* Tom. IV. *Edit. Venet.* Tom. XIV. *Martenne, Thesauri* Tom. IV.

Concilium Moguntinum, an. 1310.

Petrus Aichspalter, Archiepiscopus Moguntinus, Maji diebus 12. & 13. concilium hoc habuit. In eo confectum est superiorum conciliorum compendium, actumque, Clementis V. jussu, de Templariorum negotio. Horum equitum unus & viginti se ultro sistere concilio, suam ut innocentiam in eo testarentur, seque ob actis in ipsos editis ad futurum Papam appellantes enuntiarent. Remissi sunt, quin mali quicquam iis afferretur. *Reg. XXVIII. Labb. XI. Hard. VIII.*

Concilium Parisiense, an. 1310.

Philippus *de Marigny*, Archiepiscopus Senonesis, hoc concilium convocavit, quod ab Octobris die 11. usque 26. continuatum est. In eo discussa est Templariorum causa. Eorum alii remissi sunt absoluti, dimissi alii cum imposita pœnitentia; quinquaginta novem ad flammas damnati, utpote qui in hæresim relapsi essent; gradu ab Episcopo spoliatos concilium sæculari justitiæ tradidit; & sententia in agro, S. Antonii abbatiæ proximo executioni mandata est. *Regin. XXVIII. Labb. XI. Hard. VIII.*

Concilium Salmanticense, an. 1310.

Rodericus, Archiepiscopus Compostellanus, 21. Octobris die hoc concilium coegit. In eo Templariorum negotium ad examen revocatum est; eosque cœtus innocentes unanimi sententia pronuntiavit. *Mariana, Histor. Hispan.* Lib. XV. cap. 10. *Hard. VIII.*

Concilium Ravennatense, an. 1310.

Reynaldus, Ravennæ Archiepiscopus, apostolicusque legatus, hoc an. 1310. coegit ea in urbe super templariorum negotio concilia duo; primum ante Junium mensem, alterum 17. Kalendas Julias, seu Junii die 15. Equites septem jussi concilio se sistere, super articulis a Clemente V. præscriptis interrogati fuerunt, ut super Dei, Christi Domini, B. Virginis & Sanctorum abjuratione, quam, dum in ordinem reciperentur, edere ferebantur, superque criminibus cæteris quæ iisdem adscribebantur. Hoc eorum responsum fuit, se quidem ea omnia horroris plena execrari; remissique sunt. Egit etiam concilium de Terræ Sanctæ subsidio. *Hieronymus de Rubeis*, lib. VI. *Histor. Ravennatis, ad an.* 1310. *Hard. VIII.*

Concilium Silvanectense, an. 1310.

Robertus de Courtenai, Remensis Archiepiscopus, coegit concilium hoc in Templariorum negotio. In eo ad flammas damnati novem e miseris iis equitibus, quin eorum quispiam crimina confiteretur, de quibus accusabantur. *Raynaldi, ad hunc ann. Ars purgandi temporum notas*, pag. 227.

Concilium Eboracense, an. 1310.

Guilleimus de Greanfeild, Archiepiscopus Eboracensis, coegit concilium hoc, in quo egit de Templariis, suæque Ecclesiæ reformatione. *Anglic. II. Mansi*, Tom. III. col. 339.

Concilium Cantuariense, an. 1310.

Robertus de Wincheisey, Cantuariensis Archiepiscopus, concilium hoc habuit, in eoque excommunicationem in eos pronuntiavit, qui usurpant aut violant Ecclesiæ jura. *Ibid.*

Concilium Bitterense, seu Bliterrenses, an. 1310.

Ægydius Aycelinus, Archiepiscopus Narbonensis, una cum suffraganeis hoc concilium celebravit, in quo editæ quæ sequuntur, constitutiones:

1. Servabitur Bonifacii VIII. quoad eos sanctio, quibus conferenda tonsura est; eamque Episcopus iis tantum conferet, qui pietate permoti clero adscribi vo-

fuerint, qui ab omni irregularitate immunes, quique congrua scientia instructi fuerint.

2. Nec magis minoribus quatuor ordinibus insignietur, quicumque nescierit psalterium, epistolas, lectiones, exorcismos legere, aut antiphonas & vesperas canere.

3. Scient subdiaconi legere, canere, nec penitus grammaticen ignorabunt. Iisdem praterea, ut cæteris omnibus ad ordines promotis præsto erunt suæ ordinationis testimoniales litteræ.

4. Scient diaconi legere, epistolasque, homilias & evangelia explicare.

5. Non evehentur ad sacerdotium nisi qui ita moribus & scientia comparati sint, ut populis exemplo præeant, eosdemque adocare possint.

6. Servabuntur inter peculiares ordines interstitia.

7. Neminem mittat Episcopus, ut ordines in aliena diœcesi suscipiat, nisi eum, post maturum examen, ordinatione dignum judicaverit, eidemque testimoniales litteras tamquam idoneo tradiderit.

8. Quicunque clandestina conjugia contrahunt, aut ejusmodi conjugiis benedictionem impertiuntur, aut ad ea operam conferunt, eadem approbant, consulunt, iisdemve utcumque favent, excommunicati erunt *ipso facto*.

9. Omnes perjuri falsique testes excommunicationi solemnem in modum subdentur.

10. Vetantur ecclesiastici sepulturam aut matrimonii benedictionem iis denegare, qui stipendium in ejusmodi functionibus conferri solitum nolunt iisdem tribuere, certumve reddere.

11. Nullus extraneus sacerdos ad regendam parœciam, vel ad sacrum quodque faciendum admittetur, nisi sui Episcopi, ejusve generalium vicariorum dimissorias litteras exhibuerit.

12. Parochi residebunt in suis parœciis, ut ibi sua omnia pastorum munia, prout decet, expleant.

13. Nullus secularis seu regularis sacerdos chirurgiam aut medicinam profiteri poterit; sub interdicti pœna.

14. Eadem in beneficiarios pœna, qui sine peculiari Episcopi venia suorum beneficiorum proventus numerata pecunia vendunt.

15. In eos quoque eadem pœna, qui dominicis festisque diebus res non comestibiles vendunt.

16. Animarum pastores jussi parochianos monere, ut ad superius statutum, quoad venalia, se conforment, nec magis officinas, aut loca operi addicta, seu laboratoria aperiant, & servilibus operibus abstineant, festis diebus.

17. Suos quoque parochianos pastores monebunt, in excommunicatos actum iri, tamquam in hæreseos suspectos homines, nisi se intra dies quindecim aut intra mensem, aut serius absolvendos curaverint.

18. Parochi publice ex ecclesia eos e parochianis ejicient, qui convicti fuerint neglexisse per annum & mensem legata pia quibus obstringuntur, exsolvere.

19. Cum excommunicatus ex ecclesia egredi renuit, sacerdos celebrans qui id eum monuit, Missam intermittere debet, si nondum canonem inchoavit. Quod si eum inchoavit, debet Missam prosequi ad communionem, & hanc ipsam usque; at omnes adsistentes exire debent, præter unum duosve clericos, quos remanere necesse est, ut sacerdoti deserviant. Hic vero, communione sumpta, altare & ecclesiam deseret, quin Missam absolvat.

20. Sacerdos excommunicatum non evitabit, nisi cum excommunicatus suum crimen apud sacerdotem pluresve tales confessus fuerit, aut cum publicus rumor id testabitur, aut cum sacerdos id ita viderit, ut probare possit, aut cum ecclesiæ judex eidem mandaverit, ut excommunicatum evitet.

21. Excommunicatio major in eos omnes qui Missam, vel cætera divina officia interdictis in locis celebrari jubent, quique excommunicatos ad ea recipiunt, multoque magis qui eos monitos volunt, ut ad eadem conveniant. *Martenne, Thesauri nov. anecdot.* Tom. IV. pag. 925.

Concilium Bergomense, an. 1311.

Gasto Turrianus, Archiepiscopus Mediolanensis, concilium hoc, 5. Julii die, celebravit. In eo edita constitutio, in rubricas tributa triginta quatuor ad disciplinam spectantes, in quibus, cum innumeris aliis conciliis, decentia, simplicitas & modestia clericis commendantur. Vetantur iisdem sericæ aut variis coloribus exaratæ vestes, argentei aut cujusvis alterius metalli globuli, &c. *Edit. Venet.* Tom. XV.

Concilia, Londinense, Cantuariense & Eboracense, an. 1311.

Hæc tria concilia Templariorum causam propositam habuerunt. *Anglic. II.*

Concilium Aquilejense, an. 1311.

Coactum est concilium hoc, ut consuleretur impensis itineris præsulum qui ad Viennense in Delphinatu generale concilium ituri erant. *De Rubeis, Monum. Eccles. Aquil.* cap. 83. *Mansi*, Tom. III. col. 371.

Concilia Londinensia, an. 1312.

Habita fuere Londini an. 1312. concilia duo; primum coegit Robertus de Winchelsey, Archiepiscopus Cantuariensis, coegere alterum Arnaldi duo, sanctæ Sedis legati, quorum primus cardinalis erat, Pictaviensis Episcopus alter. Hæc duo concilia super ecclesiæ regnique Angliæ negotiis versata sunt. *Wilkins, Anglic. II. Mansi*, Tom. III.

Concilium Tarraconense, an. 1312.

Guillelmus de Rocuberti, Archiepiscopus Tarraconensis, hoc concilium, suffraganeis adsistentibus, celebravit, in eoque suæ provinciæ Templarios omnium criminum quorum accusabantur, innocentes, maturo habito examine, pronuntiavit. *D'Aguirre*, Tom. V. pag. 233. ex D. Josephi Blanchii, qui Tarraconensis ecclesiæ canonicus & cartophylax erat, Catalaunensi manuscripto codice, cui titulus; *Archiepiscopologium sanctæ metropolitanæ Ecclesiæ Tarraconensis*.

Concilium Salmanticense, an. 1312.

Archiepiscopus Compostellanus hoc concilium convocavit, Clementis V. summi Pontificis jussu. In eo concessa Salmanticensi Universitati nona decimarum pars, quæ e clero decerpebantur. *Ibid.* pag. 234.

Concilium Magdeburgense, an. 1313.

Burchardus Seropelovius, Archiepiscopus Magdeburgensis, habuit Martii die 7. concilium hoc. In eo edita super disciplina statuta novem. *Concil. German.* Tom. IV.

Concilium Senonense, an. 1315.

Ludovico X. Hutino dicto, Galliæ Regi decima in hoc concilio concessa est. *Dubois, Histor. Eccles. Paris.* Tom. II. pag. 565. *Mansi*, Tom. III. col. 397.

Concilium Tarraconense, an. 1317.

Hoc provinciale concilium quod mercurii die 22. Februarii celebratum fuit, edidit, quæ sequuntur, statuta septem;

1. Capientur Beguini & Beguinæ, pellenturque a provincia, siquidem indumentum deferere, quod eos distinguit, noluerint.

2. Nullus iis erit vulgari lingua theologicus liber.

3. Qui S. Francisci tertium ordinem profitentur, non versabuntur una, nisi prout fert Nicolai III. Bulla quæ hanc iis veniam dat.

4. Non exigetur, nec recipiatur virginitatis votum a puella, nisi a canonici juris vi.

5. Quicumque Beneficiarius sui beneficii bona subdet sigillo regio, excommunicatus erit *ipso facto*.

6. Canonici & beneficiarii communicabunt bis in anno.

7. Omnes ad unum clerici, seu conjugati, seu non, tonsuram & habitum clericalem deferent; abstinebunt ab omni negotiatione & ab omni usuræ genere, ab omni demum arte quæ dedecet. Sinuntur iidem tamen mare in infideles excurrere, & bellum gerere, ut semetipsos suasve ecclesias defendant. Martenne, *Veter. Monum*, Tom. VII. pag. 305. *Mansi*, Tom. III. col. 397.

Concilium Silvanectense, an. 1318.

Robertus *de Courtenai*, Remensis Archiepiscopus, una cum quatuor e suffraganeis, cumque septem aliorum absentium legatis, concilium hoc, Martii die 27. contra usurpatores bonorum Ecclesiæ celebravit. Adscri-

ſcribitur huic concilio annus 1317. a temporis ſtilo. *Ars purgandi temporum notas*, pag. 228.

Concilium Cæſaraugustanum, an. 1318.

Petrus de Luna, Cæſaraugustanorum Archiepiſcoporum primus, 13. Decembris die, cum ſuffraganeis hoc concilium habuit. In eo ſolemnem in modum enuntiata eſt Cæſaraugustanæ ſedis in metropolitanam erectio quæ ſuperiore anno ſtatuta fuerat. *Carrillo, in Catalog. Præſulum Eccleſ. Cæſarang.* pag. 258. *D'Aguirre*, Tom. V. pag. 241.

Concilium Hallenſe, an. 1320.

Burchardus Serapelovius, Archiepiſcopus Magdeburgenſis, coegit concilium hoc, in quo ſuper diſciplina ſtatutum in ſeptem articulos tributum edidit. *Concil. Germ.* Tom. IV.

Concilium Londinenſe, an. 1321.

Galterius Raynaldus, Archiepiſcopus Cantuarienſis, habuit Decembri menſe cum ſuffraganeis concilium hoc. Non extant ejus acta, perinde atque alterius concilii quod eodem anno Perthæ in Scotia habitum eſt. *Angl. II. Manſi*, Tom. III. col. 401. & ſeq.

Concilium Borgolienſe, an. 1322.

Concilium hoc inchoatum primo quidem Borgolii, deinde vero Valentiam, in Mediolanenſi ducatu, Martii die 14. a Ricardo, Mediolanenſi Archiepiſcopo translatum fuit. Hujus concilii Patres Matthæum Vicecomitem, ſeu Viſcontium hæreticum pronuntiarunt, eumdem anathemate perculerunt. *Edit. Venet.* Tom. XV.

Concilium Magdeburgenſe, an. 1322.

Burchardus Serapelovius, Archiepiſcopus Magdeburgenſis, habuit concilium hoc quod ad cleri defenſionem ſtatutum edidit. *Concil. Germ.* Tom. IV.

Concilium Colonienſe, an. 1322.

Henricus de Virnemburgo, Colonienſis Archiepiſcopus, concilium hoc una cum duobus Epiſcopis nonnulliſque abſentium legatis, 31. Octobris die, celebravit. In eo renovata firmataque, tamquam provincialia, ſynodalia ſtatuta quæ Archiepiſcopus Engelbertus, pro peculiari Coloniæ diœceſi, an. 1266. ad vim in perſonas & bona eccleſiaſtica reprimendam ediderat.

Concilium Pariſienſe, an. 1324.

Guillelmus Meloduanſis, Archiepiſcopus Senonenſis, coegit die 3. Martii concilium hoc, in eoque ſtatutum in articulos tributum quatuor, prope modum ad verbum, ex ejuſdem provinciæ concilio an. 1320. per eumdem præſulem habito exſcriptum edidit. *Ars purgandi temporum notas*, pag. 228.

Concilium apud Sconam, ſeu Sconenſe, in Scotia, an. 1324.

Coactum fuit concilium hoc e Scotia univerſa; id de eo conſtat, nihil prætarea. *Anglic. II.* pag. 524. *ex carthulario Glaſguenſi*.

Concilium Complutenſe, an. 1245.

Joanes, Archiepiſcopus Toletanus, 11. Decembris die, hoc concilium celebravit. In eo renovatæ ſuper diſciplina conſtitutiones aliquæ quæ clericis mandant, ut ſuas promotionis ad ordines litteras proferant, quæque iis longiorem comam, & elegantiæ in calceamentis, veſtibus, &c. ſtudium omne interdicunt. *D'Aguirre*, Tom. V. pag. 260.

Concilium Avenionenſe, an. 1327.

Coegit Joannes XXII. concilium hoc in Antipapam Petrum de Corbario, Franciſcanum, qui Nicolai V. nomen ſumpſerat. Aſſerebat ille Chriſtum Dominum ejuſque diſcipulos nihil omnino tamquam proprium, ſeu in commune, ſeu peculiariter poſſediſſe. *Artis purgandi temporum notas* auctor, in conciliorum chronologia, Joannem XXI. ait coegiſſe concilium hoc; *Ricard Concil. Supplem.* Tom. V. & in chronologia Romanorem Pontificum, ejuſdem concilii celebrationem Joanni XXII. tribuit. Id etiam pro certo ponit in chronologia conciliorum, Petrum Corbarienſem Avenionenſis concilii an. 1327. habiti tempore jam Antipapam fuiſſe; & in ſummorum Pontificum chronologia teſtatur eumdem Petrum Corbarienſem non niſi 12. Maji die an. 1328. Antipapam electum fuiſſe, Ludovici Bavari auctoritate. *Reg. XXIX. Labb. XI. Hard. VIII. Ars purgandi temporum notas*, pagg. 229. & 304.

Concilium Toloſanum, an. 1327.

Joannes de Commieges, Toloſæ Archiepiſcoporum primus, convocavit ad 8. Junii diem concilium hoc, ſuper admodum ſingulari re quæ Toloſæ, eo abſente, contigerat. Uni conſulum ejus urbis, cui nomen *Eſcalquenſio*, ea fuit abſona ac portentoſa pietas, ut Aprilis die 22. an. 1327. in fratrum Prædicatorum eccleſia ſibi Miſſam in funere cani juberet, omneſque funebris pompæ cæremonias peragi, præſente ipſo in feretro, junctis manibus, accenſiſque quadraginta ad feretrum cereis. Miſſa omnibuſque cæremoniis abſolutis, delatum eſt feretrum corpuſque, veluti ſepeliendum, ad altare majus. Ibi funebris ſcena finem habuit; fictus mortuus domum rediit, ubi collegas ſplendide excepit. Reverſus Archiepiſcopus, cum de re tota certior factus eſſet, audiſſetque ſuæ cathedralis eccleſiæ capitulum funebri pompæ adfuiſſe, haud cunctatus provinciale concilium convocavit, quod tridui ſpatio celebratam definiit funebris pompæ anticipatam celebrationem nihil aliud quam vanam omnique fundamento deſtitutam ſuperſtitionem eſſe, omneſque ſeu ſæculares, ſeu regulares clericos qui deinceps ei ſuum miniſterium præſtare auſi fuerint, excommunicatos fore. *Harduinus*, Tom. VIII. *ex Chronico Mſſ. Guillelmi Bardini ſub anno* 1327.

Concilium Londinenſe, an. 1328.

Simon Maphate, Cantuarienſis Archiepiſcopus, habuit Londini cum ſuffraganeis concilium hoc, Februario menſe, an. 1328. ex Anglico ſtylo qui tum obtinebat, ut anni initium a 25. Martii die duceretur. In eo ſtatuta novem edita quæ ſequuntur:

1. Abſtinebitur a ſervilibus operibus feria ſexta majoris hebdomadæ; poterunt attamen divites, charitatis ergo, perficere, et eodia agri a pauperibus excolantur.

2. Per univerſam Cantuarienſem provinciam, tamquam feſtus dies, B. Virginis conceptio celebrabitur.

3. Eccleſiaſticarum immunitatum violatores excommunicatione plectentur.

4. Eadem in eos pœna, qui ſervilis conditionis hominum teſtamentis obicem ponunt.

5. Nihil exigetur pro teſtamentorum inſinuatione, quæ a pauperibus edita fuerint, quorum bona ſterlinios aſſes centum non ſuperabunt.

6. Appellari poterit ante peremptoriam ſententiam, nihil obſtante Oxonienſis concilii ſtatuto, quod ejuſmodi appellationes prohibet.

7. Qui fidelium conſuetas oblationes, aut decimas impediunt, earumve partem ſibi ſumunt, excommunicationi ſuberunt.

8. Nullum matrimonium ſine ſolemnibus enuntiationibus celebrabitur.

9. Ordinario id curæ erit, ut id ſtatuat quod beneficiorum reparationes ſpectat. *Anglic. II. Labb. XI. Hard. VIII.*

Concilium Pariſienſe, an. 2329.

Fuit hic e præſulibus & proceribus mixtus cœtus, die prima Septembris habitus, coram Rege Philippo VI. inquit Valeſius. In eo Eccleſiæ juriſdictioni temporali modus adhibitus. *Ibid.*

Concilium Marcianenſe, an. 1329.

Celebratum fuit concilium hoc ab Archiepiſcopo Auſcenſi, Guillelmo Flavacurtio, ejuſque ſuffraganeis, Sancti Nicolai hiemalis die. In eo actum in proditores Airenſis Epiſcopi, Aneſancii nomine, qui biennio ante occiſus fuerat. Hujus concilii titulus, quod ſex dies perduravit, annum 1329. adſcriptum præfert; actis vero annus 1330. tribuitur. *Ibidem.*

Concilium Tarraconense, an. 1329.

Joannes', Alaxandrinus Patriarcha, & Tarraconensis ecclesiæ administrator, concilium hoc cum hujus metropolis suffraganeis, 26. Februarii die celebravit. In eo rauovata conciliorum statuta, quæ superioribus annis in Tarraconensi, aliisque Hispaniarum urbibus habita fuerant. Idem præstitum in aliquibus aliis conciliis, quæ deinceps idem Patriarcha, ejusque successor Arnoldus Tarracone coegerunt. *Martenne, Thesauri* Tom. IV. pag. 283. & seq.

Concilium Charnense, an. 1330.

Concilium hoc quod æra Armenæ annum 779. adscriptum habet, mensem integrum occupavit. Coactum fuit studio curaque Principis Georgii, & Bartholomæi Bononiensis, Dominicani, Maragæ Episcopi. In eo Armena Ecclesia Romano Pontifici tamquam universæ Ecclesiæ capiti obedientiam promisit. *Galanus*, Tom. I. pag. 511.

Concilium Gradense, an. 1330.

In hoc concilio concessæ fidelibus indulgentiæ, qui ad ædificationem ecclesiæ S. Joannis, in Concordiensi diœcesi contribuerent. *Mansi*, Tom. III. col. 431.

Concilium Beneventanum, an. 1331.

Concilium hoc in simoniacos habitum fuit. *Synod. Benevent.*

Concilium Eboracense, an. 1331.

Coactum fuit concilium hoc S. Tiburtii & S. Valeriani festo die, mandante Archiepiscopo Eboracensi. Ejus acta non exstant. *Anglic. II.*

Concilium Maghfeldense, an. 1332.

In hoc concilio enuntiata est Simonis, Cantuariensis Archiepiscopi constitutio quæ super festorum dierum celebratione, qui Sanctis in cælo regnantibus addicti sunt, versabatur. *Anglic. II. Labb. XI. Hard. VIII.*

Concilium Complutense, an. 1335.

Simon de Luna, Toletanus Archiepiscopus, coegit concilium hoc quod defensionem libertatum Ecclesiæ propositam habuit. *D' Aguirre*, Tom. V. pag. 264.

Concilium Avenionense, an. 1337.

Hoc concilium a tribus Archiepiscopis & septemdecim Episcopis conflatum fuit. Finem habuit 3. Septembris die, post editum statutum, in sexaginta novem tributum articulos, quorum plerique ex concilio an. 1326. habito repetiti. *Labb. XI. & Baluzius.*

Concilium Trevirense, an. 1337.

Habitum fuit concilium hoc ab Archiepiscopo Balduino Luxemburgensi. Statutum in eo editum, constans articulis octo, & clerum spectans. *Concil. Germ.* Tom. IV.

Concilium Barcinonense, an. 1339.

Huic concilio præfuit Cardinalis Rhodesius, apostolicus in Hispaniis legatus, coram Domno Pedro IV. *nimia comitatis studioso* dicto, & Regina Maria ejus uxore. Eo spectavit concilium hoc, ut ei principi subsidia suppeditarentur. *D' Aguirre*, Tom. V.

Concilium Nicosia in Cypro, seu *Nicosiunum*, *an.* 1340.

Helias, hujus urbis Archiepiscopus & quatuor ex ejus suffraganeis hoc concilium celebrarunt. In eo edita fidei confessio, superque disciplina constitutio, continens articulos octo; quorum primus mandat, ut decima accurate omninoque solvatur; secundus clandestina conjugia vetat; tertius latinos omnes Episcopos his suas synodos quotannis habere jubet; quartus populum per aliquod signum de momento moneri vult, quo in Missa consecratio paracta est; quintus constitutiones in antecessum enuntiatas confirmat; sextus *expectativas*, quas vocant, vetat quoad cathedralium ecclesiarum canonicos quos nuncupat *expectantes*, qui, in canonicatus expectatione, sibi sumebant cum canonicis in choro locum, voca gaudebant in capitulo, &c. clericos prohibet testamentorum executioni se immiscere, & laicorum servitio se dedere. *Regin. XXIX. Labb. XI. Hard. VIII.*

Concilium Salisburgense, an. 1340.

Henricus *de Pierpunn*, Archiepiscopus Salisburgensis, habuit cum suffraganeis concilium hoc, in quo degradatus presbyter, Rodulphus nomine, qui realem Christi Domini in Eucharistia præsentiam & alia dogmata inficiabatur. Traditus deinde sæculari brachio, flammis addictus fuit. *Concil. Germ.* Tom. IV.

Concilium Constantinopolitanum, an. 1341.

Patriarcha Joannes Aprius hoc concilium 11. Junii die, coram Imperatore Andronico celebravit. In eo monachus Barlaam doctrinam denuntiavit Gregorii Palamæ, qui ex ejus monasterio ad Thessalonicensem episcopalem sedem migraverat. Hic asserebat divinam naturam a sua operatione, vel a suis proprietatibus suisque attributis distinctam esse, & lucem quæ Christum Dominum supra montem Thabor ambierat, non fuisse creatam lucem, sed lucem divinam, æternam, eamque ipsam qua divinitas perfusa est. Concilium, seu potius conciliabulum Barlaamum damnavit, qui dogmata Palamæ erroribus opposita propugnabat. quin tamen disertis verbis approbaret errores Palamæ, in cujus gratiam Imperator Andronicus tam acriter disputavit, ut, morbo quo tunc laborabat, per eum contum aucto, biennio post e vivis excederet. *Rainaldi, ad hunc ann.*

Concilium Cantuariense, an. 1341.

Joannes de Stratfordio, Archiepiscopus Cantuariensis, concilium hoc an. 1341. vel circiter celebravit. In eo edita quæ sequuntur, statuta octo:

Primum taxæ modum adhibet ob testamentorum insinuationem, &c.

Secundum archidiaconorum aliorumque ordinariorum visitationes & procurationes spectat.

Tertium statuit, eorum stipendia, qui titularibus beneficiorum quibus insigniti sunt, possessionem tribuunt.

Quartum prohibet, ne beneficiarii, quive ad ordines promoti sunt, per injustas exactiones graventur.

Quintum eos excommunicatos vult, qui falso clericos accusant, aut qui eos in carcere detinentes, Ordinariis reclamantibus reddere renuunt.

Sextum Missam in capellis vel oratoriis, absque ordinarii venia, celebrari vetat.

Septimum archidiaconos ab officio suspendit, qui capitula in locis cogunt, ubi victus carior est, atque ita parochis & vicariis qui ad ea pergere debent, graviores expensas afferunt.

Octavum statuit apparitorum numerum, quos archidiaconi mittere possunt, ut e pecunia vel aliunde collecturi circumeant, quod iis intra suorum archidiaconatuum fines debetur. *Anglic. II.*

Concilium Magdeburgense, an. 1344.

Otto *de Hesse*, Archiepiscopus Magdeburgensis, concilium hoc, 13. Junii die, ad ecclesiasticarum immunitatum defensionem coegit. *Concil. Germ.* Tom. IV.

Concilium Armenia, seu *Armenum*, *an.* 1344. seu 1345.

Patriarcha Mekquitardus, Archiepiscopi sex & Episcopi viginti duo habuere concilium hoc, coram Constantino, minoris Armeniæ Rege, super erroribus de quibus Armena Ecclesia accusabatur. Concilium concinnavit scriptum quoddam, in quo super accusationis capitibus 117. se purgabat. Scriptum hoc apostolici nuntii ad Clementem VI. attulerunt, qui per illud haud sibi satis omnino factum censuit, & ad Armenos præsules, an. 1346. novos nuntios remisit, qui eos hortarentur, suam ut mentem super quibusdam articulis aperirent, ad quos nequaquam responderant; quod præstitere per scriptum alterum quod sub ann. 1350. Romam allatum fuit. Iis nuntiis in mandatis dederat Summus Pontifex, ut omnes fidei articulos omnesque Romanæ Ecclesiæ traditiones Armenis exhiberent. Ii quidem quoad singula capita se subdiderunt,

runt, ut ex altero scripto Romam ellato compertum fit. *Martenne, ex Mss. cod. bibl. reg. Vet. Mon.* Tom. VII. *Mansi, Suppl.* Tom. III. & *in Reginald.* ad an. 1342. & 1345.

Concilium Cantuariense & Eboracense, an. 1345.

Eduardo Regi decimas ad triennium concessit Cantuariensis provinciæ clerus; Rex vero ipse id clero tribuit, ut clericorum nullus teneretur sæcularibus judicibus, sed solum ecclesiasticis respondere. *Anglic. II.*

Concilium Cantuariense, an. 1345.

Proposita fuit huic concilio cleri, ejusque jurium & privilegiorum defensio. *Ibid.*

Concilium Constantinopolitanum, an. 1345.

Patriarcha Joannes Aprius concilium hoc, ut Palamitarum errores proscriberet, convocavit. Lequienius & Boivinius, in *Notis ad Nicephorum Gregoram.*

Concilium Pragense, an. 1346.

Ernestus *de Pardubicz*, Pragensium Archiepiscoporum primus, coegit an. 1346. seu circiter concilium hoc, in quo sequentes canones edidit:

1. Non credetur, nec docebitur, nisi quod sancta Romana Ecclesia credit & docet.

2. Legentur provincialia statuta in provinciæ conciliis, & statuta synodalia in synodis diœcesanis.

3. Ut eorum fraudibus occurratur, qui apostolica rescripta impetrant, quorum vi quempiam extra propriam provinciam trahunt, atque apud alienorum judicium tribunal eumdem in jus vocent; qui se a sancta sede delegatos aut subdelegatos contendunt, ei legi suberunt, ut apostolicas Bullas proferant, quæ iis hos titulos & hanc jurisdictionem tribuunt.

4. Approbatur mos, e quo Moguntinus Archiepiscopus judicibus qui ejus suffraganeorum diœcesibus præsunt, causas demandare potest, quas ipse potest judicare, cum ad ejus, ipsiusve officialis tribunal interposita est appellatio.

5. Quoties occurrerit electio seu collatio beneficiorum, bonorumve alienatio, vel aliud grave negotium, quodque ægre in capitulis discuti atque expediri possit, omnes canonici absentes, dummodo extra provinciam non sint, convocabuntur; secus, superior, ab iis quidem rogatus, quicquid sine ipsis actum fuerit, abrogabit.

6. Beneficiarii qui suis se beneficiis, absque Ordinarii venia, abdicabunt, erunt ab ordinibus suspensi, quos susceperint.

Canon hic ecclesiasticos impetit, qui sibi tenuia beneficia conquirebant, quæ iis ad ordines suscipiendos titulorum loco essent, & post ordinationes se iis abdicabant, satius habentes ab una ad aliam ecclesiam migrare sacri faciendi gratia, quam ea retinere.

7. Episcopi eos omnes rejicient, qui se ordinibus initiandos sistent, quin iis ætas, scientia, morum puritas, legitima natalia, omnes denique ad clericatum necessariæ dotes suppetant.

8. Ecclesiasticorum nullus ad sacrum faciendum admittetur, siquidem ignotus & advena fuerit, nisi proferat non sui solum Episcopi suæque ordinationis formatas litteras, sed Episcopi quoque, in cujus diœcesi postremo sacrum fecerit.

9. Poterunt archidiaconi tum ipsi per se, tum per suos assessores de causis ad conjugia usurasque spectantibus judicium ferre; cæteræ vero Episcopis eorumque officialibus erunt reservatæ.

10. Episcopi, canonici aliique ecclesiastici seculares & regulares qui ei legi subsunt, ut parochos aut vicarios, ad congruam portionem, ponant, qui ecclesiis deserviant, quæ eorum beneficiis addictæ sunt, iis statuent dotis satis, quo honeste vivant, & omnibus quæ ferre debent, oneribus pares sint.

11. Nulla & irrita pronuntiabuntur interdicta a sanctæ Sedis delegatis aut subdelegatis jacta, quæ eorum mandata prætergrediuntur.

12. Inferiores præsules non impedient, quominus ii quibus causæ ab eorum tribunalibus pendentes sunt, ab eorumdem sententiis ad præsules superiores appellent.

13. Inferiores clerici, pro suo quisque gradu, observantiam & honorem superioribus debitum exhibebunt; & clericorum nullus id sibi sumet, ut viri principis capellæ deserviat, sine proprii Episcopi venia.

14. Sacerdotes, & dignitarii, seu aliqua dignitate insigniti qui sacerdotes non sunt, advocatorum officio fungi non poterunt, nisi ut suas ipsorum, suarumve ecclesiarum causas agant; nec magis id religiosis licebit, nisi ut suorum monasteriorum causas pertractent, & quidem eorum superioribus annuentibus.

15. Gravis metus quique constantem virum afficere possit, excusat ab obedientia superiori debita, qui mandat, ut acte in eos edita, qui Ecclesiæ rebelles sunt, enuntientur; at hic idem metus non excusat, cum id agitur, ut clericus cum excommunicatis communicare, aut divina officia interdictis in locis celebrare cogatur.

16. Nulla fiet causæ mutatio, nisi ordinario cognoscente & annuente judice.

17. Quicunque judicis nuntium verberat, spoliat, aut veneno inficit, excommunicatus est *ipso facto.*

18. Excommunicatione plectetur laicus judex qui sibi judicandas sumet criminales aut civiles clericorum, vel etiam laicorum ecclesiastica bona possidentium causas, quocunque demum titulo eadem possideant; eademque feretur in ecclesiasticum judicem sententia, qui laicorum causas mere civiles judicandas suscipiet, nisi eas forte quæ pauperum sunt, aut laico judice deficiente.

19. Eadem in eos pœna, qui publici notarii officium obibunt, quin apud diœcesanum Episcopum, ejusve officialem rite probaverint, se id officii legitime possidere.

20. Appellans qui suam appellationem non prosequetur, judicis a quo appellavit, sententiæ stare debebit.

21. Abstinebunt clerici non solum malo, sed ejus specie ipsa. Caste vivent, crapulamque & vinolentiam vitabunt. Cum etiam prandia impertientur, quod raro contingat, oportet, ad eorum mensas peculiaria fercula non plura quam sex afferantur. In cauponas pedem non inferent, nec arma gestabunt, nisi per iter, ita postulante necessitate. Commercio non vacabunt, nec laicorum propriam ullam, nominatimque cauponum & laniorum artem profitebuntur. Deferent clericalem habitum tonsuramque, ita quidem, ut aures detectæ prostent. Eorum vestes nec variis coloribus exaratæ erunt, nec in anteriore parte patebunt. Aleas, publicos cœtus, choreas, ludicra certamina, & omnia profana spectacula sedulo effugiant. Nunquam puellarum monasteria, sine evidenti causa, & sine superioris venia, ingredientur. Errabundos clericos apud se non recipient. Parochi non conjugatos homines, ut eorum æra campana pulsent, sed clericos sument, qui legere & cantare cum ipsis possint. Nullus sacerdos sine deserviente sacrum faciet.

22. Clerici concubinarii suis beneficiis, quoad vixerint, destituentur, si quod habent, aut, si nullum habent, in omne vitæ tempus ab ordinibus suspensi erunt; & archidiaconi seu parochi qui eos tolerant, eamdem pœnam subibunt.

23. Beneficiarius, quicunque non residebit, siquidem residentiæ legi subsit, suo beneficio privabitur.

24. Quicumque in quodlibet beneficium intrusi fuerint, eo spoliabuntur.

25. Nemo unus installabitur, ut loquuntur, in beneficio, seu beneficii possessione donabitur, nisi postquam se Superioribus obedientiam præstiturum, provincialia & synodalia statuta servaturum, omniaque beneficio addicta onera fideliter executurum juraverit. Spoliabitur in omne tempus præsentationis jure patronus, qui clericum in beneficium intrusum cui canonica institutio deerit, sustinebit.

26. Nullum cathedralis aut collegiatæ ecclesiæ capitulum recipiet canonicum ad præbendam quæ nondum vacat, etsi, Episcopi quidem judicio, evidens ecclesiæ utilitas ita ferat.

27. Aderit in capitulorum sacristia recensio, seu codex omnium ad ea spectantium bonorum, librorum, ornamentorum, &c. Bona hæc qui administrabunt, nec alienare, nec vendere, nec permutare poterunt, sine majoris canonicorum partis consensu; quod si hæc conditio desit, contractus, quos ediderint, nulli erunt.

28. Adigetur per censuras ad restitutionem, qui ereptas res emerit.

29. Qui castellum aut quodvis aliud bonum cui jus patronatus addictum est, oppigneraverit, id juris retinebit, quia ejus fructus spiritualis cum sit, per temporalia compensari non potest.

30. Beneficiarii non poterunt de suarum ecclesiarum bonis testari, sed de iis tantum, quæ hæreditatis jure a consanguineis acceperint, vel propria industria acqui-

acquisierint. Constitutiones porro quæ summam designabant, quæ ecclesiæ ejusve ministris legari poterit, nullæ sunt & injustæ, quia testamentorum quæ ordinariorum vigilantiæ, quoad executionem, demandata sunt, libertatem de medio fuodiius tollunt.

31. Qui sepeliunt in cœmeteriis interdicti tempore, quique excommunicatos aut interdictos publice denuntiatos ecclesiastica sepultura donant, in excommunicationem incidunt *ipso facto*. Eadem pœna, Summo Pontifici reservata, præter quam in mortis articulo, in omnes clericos sæculares seu regulares statuitur, qui quempiam adegerint, ut per jusjurandum, per votum, aut aliter, se in aorum ecclesiis sepulturam sibi electurum, eamve non mutaturum promittat.

32. Parochus quisque, antequam Missam incipiat, elata voce quærat, adsit, necne, in ejus ecclesia alienus aliquis parochianus, ut eum, siquidem adsit, illico egredi jubeat. Nullus parochus ullum sacramentum administrabit alterius parochi subditis, absque hujus venia.

33. Omnes abbates & abbatissæ, priores aliique superiores monasteriorum virorum puellarumve, sine ullo supervacaneo ornamento regularem habitum deferent, eamdemque modestiam in mensis, apparatu, &c. servabunt.

34. Religiosi non poterunt sui ordinis parochos in iis ipsis ecclesiis ponere, quæ pleno jure ad eosdem pertinent, cum ea vigebit consuetudo, ut ejusmodi ecclesiis sæculares sacerdotes deserviant; nec poterit Episcopus, sine capituli consensu, parochiales ecclesias earumve reditus ulla ex parte religiosis addicere.

35. Cum ecclesiasticus a patrono ad beneficium quod animarum curam adjunctam habet, præsentatus fuerit, ordinarius loci ad quem pertinet institutio, per decanum, ecclesiæve beneficio propioris parochum proclamari jubebit, eos qui habent, quod præsentato ejusve præsentationi opponant, debere se sistere: secus, institutio *ipso facto* nulla erit.

36. Si patronus simoniacam præsentationem edit, eamque præsentatus acceptat, patronus suo patronatus jure quoad hanc vacationem privabitur, & præsentatus non solum beneficio destituetur, sed etiam ad alia beneficia possidenda, sacrosque ordines suscipiendos ineptus evadet.

37. Divinum officium in polluta ecclesia non peragetur, nec quispiam in contiguo cœmeterio sepulturæ dabitur, ante utriusque conciliationem. Missæ duæ in eadem ecclesia uno eodemque tempore non canentur. Non dicetur pro vivis defunctorum officium. Non legentur, nec canentur historiæ, hymni, sequentia nova in ecclesia, nisi ea singula in provinciali concilio, vel in diœcesanis synodis approbata fuerint.

38. Nonnemo, in necessitatis casu, baptismum conferet vulgari lingua; at si sacerdos de ejus validitate merito dubitet, eum sub conditione repetet.

39. Custodientur, apposita clave, in ecclesia, chrisma, eucharistia, sacra olea, baptismalis aqua; quod si designatum custodem suo muneri deesse contigerit, is quidem trium mensium spatio ab officio suspensus erit. Non ponentur ulla mobilia bona in ecclesiis, præter quam in necessitatis casu, ut a flammis vel ab hostibus farta tecta serventur; & dabitur opera, ut, quicquid inservit ecclesiæ, admodum nitidum concinnumque sit.

40. Indicantur festi dies, & quidem numero plures, quos inter occurrunt S. Martinus, S. Nicolaus, S. Procopius, S. Marcus, S. Lucas, & latinæ Ecclesiæ Doctores quatuor, Gregorius, Ambrosius, Augustinus & Hieronymus. Subditur tamen, ad hos quatuor postremos quod attinet, populum operi vacare posse, postquam parochiale officium audierit.

41. Servabuntur omnia jejunia quæ ab Ecclesia, vel consuetudine præscripta sunt; qui vero ea servare non poterunt, ab ecclesiastico superiore, siquidem eum convenire possint, dispensationem petent; simplicis sacerdotis venia non sufficit, nisi immineat ei periculum, qui jejunaret.

42. Nemo novam ecclesiam extruet, aut veterem alio transferet, quin Episcopus ejusve commissarius primum lapidem ponat. Parochialibus ecclesiis non plura erunt altaria quam duo vel tria, nisi etiam collegiatæ sint.

43. Præstabitur ecclesiarum asylis observantia, præter quam quoad fures publicos aut nocturnos, eosve qui, immunitatis spe, in ecclesia vel in cœmeterio occidissent, aut mutilassent. Quicumque laicus, absque ecclesiastici judicis venia, clericum in carcerem trudet, excommunicationem Summo Pontifici reservatam *ipso facto* subibit.

44. Matrimonium contractum *per verba de præsenti*, validum est, nec solvi potest per subsequens matrimonium; at futuri matrimonii simplex promissio, quamvis jurejurando firmata subsequenti matrimonio *per verba de præsenti* contracto cedere debet.

45. Numerantur casus ad viginti usque, in quibus spiritalis cognatio, seu compaternitas matrimonium contrahendum impedit, aut jam contractum dissolvit; ut inter eum qui puerum levat, & puerum ipsum; inter levatum puerum, & patrinorum ac matrinarum filios; inter levati pueri consanguineos & patrini conjugem, inter baptizatum & baptizantis filios, &c.

46. Consanguinei vel affines ad quartum gradum, excommunicati sunt *ipso facto*, si matrimonium inter se contrahunt; eadem clericorum qui in sacris ordinibus constituti sunt, religiosorumque & religiosarum est ratio, qui matrimonium ineunt.

47. Si conjugatus promittit fœminæ se eam ducturum post suæ conjugis mortem, & adulterium cum ea perpetrat, ejus matrimonium nullum est, siquidem eam reapse post suæ conjugis mortem duxerit, & adultera sciverit eum conjugatum esse. Perinde res habet, si is aut ejus adultera legitimæ conjugis morti causam præbuerint.

48. Omnia sacramenta & sepulturæ gratis tribuentur, hujusque constitutionis transgressores punientur; ita quidem, ut qui eam transgreditur, si parochus est, suam curam in omne tempus amittat, sin vicarius, in episcopali carcere ad usque vitæ exitum detineatur. Archidiaconi, aut decani rurales qui ob sanctum chrisma aut sancta olea aliquid extorquebunt, suis beneficiis, quoad vixerint, spoliabuntur.

49. Christiani homines haud se subdent judæorum servitio; his vero non licebit novas synagogas extruere.

50. Hæretici, eorumque fautores excommunicati sunt.

51. Christifideles qui inter judæos commendant, aut ad eorum sectam redeunt post christianam susceptam fidem, tamquam hæretici spectabuntur.

52. Vetantur omnes parochi opitulari aut favere ullo modo furibus, proscriptis, exulibus, incendiariis, ea, si secus egerint, indicta pœna, suorum ut beneficiorum jacturam subeant.

53. Denuntiabuntur usurarii ad Episcopos eorumve officiales, ut eos cogant restituere.

54. Nullus ecclesiasticus eos recipiet, qui se apostolicarum litterarum latores dictitant, nisi eos Episcopi, horumve officiales viderint.

55. Suos parochianos identidem monebunt parochi, sortilegia nihil in morbos, grandinem, tonitrua, sterilitatem posse, iisque, excommunicationis indicta pœna, vetabunt, ne quod sortilegii aut superstitionis genus exerceant, ne ariolos consulant, apud se recipiant, &c.

56. Offensas seu injurias quisque reparare debet, quarum se reum reddidit, eas inferens ipse, aut aliis opem præbens, ut easdem inferrent.

57. Populos in ipso Quadragesimæ initio monebunt presbyteri, ne confessiones ad finem remittant, sed eas quamprimum peragant. Eos ad restitutionem adigent, qui proximo detrimenti aliquid attulerunt, & eleemosynas in pœnitentiam imponent. Impertiri non poterunt Episcopi nisi unius anni indulgentiam, die dedicationis ecclesiæ, ne pœnitentiam & satisfactiones enervent, quæ peccati consecutiones sunt. Quoad ecclesiæ dedicationis anniversarium diem, Episcopi largiri non poterunt nisi indulgentiæ dies quadraginta, sacerdotes porro sæculares vel regulares, exempti vel non exempti, nullam suis in ecclesiis indulgentiam enuntiare poterunt, nisi quam diœcesanus Episcopus approbaverit.

58. Quicumque a jure vel consuetudine excommunicandi facultatem obtinet, neminem excommunicabit, nisi de scripto quod excommunicationis causam continet, & post canonicam monitionem reo factam coram idoneis testibus, ut eam testentur, si opus fuerit.

59. Cum excommunicationis sententia in cathedrali Ecclesia, vel in synodo, vel in parœcia ad quam reus spectat, vel in quovis alio congruo loco, qui cum excommunicato communicabit, sui errati canonicam pœnam non evitabit, nisi probet se extra diœcesin fuisse, vel in tam remoto loco, ut verosimile fiat eum non potuisse de excommunicationis sententia certiorem fieri, cum enuntiata est.

60. Intelligi debent verba e vulgari usu, & prout cau-

causæ, seu rei qua de agitur, vis & ratio fert; *quia non sermoni res, sed rei est sermo subjectus.*

61. Concilium explicit per aliquas juris regulas, cujusmodi hæ sunt:

Dubia in meliorem partem sunt interpretanda.

Utilius scandalum nasci permittitur, quam veritas relinquatur.

Necessitas licitum facit quod in lege licitum non habetur.

Non potest esse pastoris excusatio, si lupus oves comedit, & pastor nescit. (*Mansi, Suppl.* Tom. III. col. 543. & seq.) Auctor *Artis purgandi temporum notas*, protrahit concilium ad an. usque 1356. post *Concil. Germ.* Tom. IV.

Concilia Constantinopolitana, an. 1347.

Habita sunt hoc anno Constantinopoli concilia duo. Depositus in primo Patriarcha Joannes Aprius, propterea quod Barlaami doctrinam amplexus asser, & ab ea recessisset, quam Palamas disseminaverat. In altero approbati pariter errores Palamæ. *Mansi*, ibid. col. 577. *Lambecius*, Tom. VI. *Biblioth. Imper. Vindobon. Cantacbusen*, lib. 3. *Histor.* & *Allatius*, *de Consensu.*

Concilium Paravinum, an. 1350.

Cardinalis Guido, titulo Sanctæ Ceciliæ, convocavit concilium hoc quod morum reformationem propositam habuit. *Labb. XI. Hard. VIII.*

Concilium Dublinense, an. 1351.

Alexander Bickner, seu Bricknor, Dublini Archiepiscopus, hoc concilium cum suffraganeis celebravit. In eo quæ sequuntur, statuta edita:

1. Excommunicatione plectentur, qui renuunt decimas solvere, quive eos in carcerem trudunt, qui easdem colligunt; loca vero in quibus hæc facinora perpetrantur, interdicto subdentur.

2. In eamdem majoris excommunicationis pœnam incident *ipso facto*, quicumque Ecclesiarum & cœmeteriorum asyla violaverint, seu annona iis interclusa qui eo se recipiunt, seu iisdem abstractis, ut morti tradantur.

3. Eadem in eos pœna qui Ecclesiasticas immunitates violant, qui potiuntur Ecclesiæ bonis, quocumque tandem pacto id fieri possit, quive ad eorum deprædationem conferunt.

4. In religiosos pœna eadem, qui quampiam adigunt, ut se apud eos humatum velit, aut sepulturam sibi non mutent, cum in eorum Ecclesiis seu monasteriis eam elegerunt.

5. & 6. Conjuratio, perjurium & homicidium, seu publicum, seu occultum, sunt casus Episcopo reservati.

7. Beneficio privabuntur ad triennium Decanus, Archidiaconus aut officialis, qui tamquam procuratores admissi fuerint ad Ecclesiastici gerenda negotia, nisi is ipse, per se præsens, procurationem *ad hoc* iis vere tradiderit, coram testibus fide dignis, qui id testari possint.

8. Beneficia in pleno tantum capitulo conferentur, postquam ii quorum interest, vocati fuerint, editæque necessariæ proclamationes, ut de beneficii vacatione constet.

9. Clerici beneficiarii, vel in sacris ordinibus constituti, nec provinciæ præsides, nec seneschali laicorum erunt, secus, ab Episcopo puniendi.

10. Rurales decani matrimoniales causas non agent.

11. Matrici seu parochiali Ecclesiæ restituentur oblationes in capellarum gratiam editæ, cum id in actu notatum fuerit, qui Parochi aut vicarii portionem designat.

12. Qui testamentorum libertatem impediunt, excommunicati sunt *ipso facto*.

13. Eadem statuitur in eos pœna, qui pacem perturbant, qui Ecclesiasticas immunitates violant, qui in beneficia intrusi sunt.

14. Clerici tonsuram & coronam clericalem deferent.

15. In eos pronuntiatur excommunicatio, qui Ecclesiasticæ jurisdictionis exercitationem impediunt.

16. In eamdem pœnam incident *ipso facto*, quicumque Ecclesiasticum cogerent publicum munus obire, quod ejusdem status dignitati repugnaret, eumve irregularem redderet.

17. Nullum spirituale officium locabitur, nunquamque sepultura aut sacramenta Ecclesiastica negabuntur, ea obducta causa, quod qui iis opus habet, debitor est ministri qui eadem tribuere debet.

18. In laicos excommunicatio qui lites in Ecclesia aut cœmeterio agitabunt, in eos quoque qui profanos libellos ibidem affigent.

19. Nullus seu ejusdem seu alterius diœceseos capellanus ad divinorum officiorum celebrationem absque ordinationis literis admittetur.

20. Major *ipso facto* subeunda in eos excommunicatio, qui falso accusant de criminibus, quæ morte, vel exilio, vel membrorum mutilatione, vel exhæredatione, vel maximæ propriorum bonorum partis privatione digna sunt.

21. Qui rurales decanos seligunt, eorum malæ administrationis rationem reddent.

22. Nullus stipis coactor ad concionandum recipietur, quem non communionis literis loci ordinarius munierit.

23. Agatur S. Patricii, Hiberniæ Apostoli & Patroni festus dies, duplicis festi ritu, ejusque etiam solemnis memoria, semel hebdomadis singulis, in aliqua vacante feria, quadragesimali excepto tempore, celebrabitur. *Anglic. II. Mansi*, Tom. III. col. 529.

Concilium Dublinense, an. 1351.

Joannes de Sancto-Paulo, Archiepiscopus Dublinensis habuit cum suffraganeis concilium hoc, feria quarta post S. Patricii festum diem, qui 19. Martii die colitur; in eoque statuta edidit, quæ sequuntur:

1. Peragetur conceptionis B. Virginis, perinde atque ejusdem nativitatis festum.

2. Colentur pariter sanctæ Annæ, translationis Sancti Thomæ Cantuariensis, & S. Catharinæ Virginis & Martyris festa.

3. Ecclesiastici depositi violatores majorem excommunicationem *ipso facto* subibunt.

4. Eidem pœnæ suberunt, qui clandestine ineunt matrimonia, vel iisdem benedictionem impertiuntur, itemque qui in matrimonialibus causis falsa edunt testimonia.

5. Renovatur superioris concilii, ab Archiepiscopo Alexandro coacti, in Ecclesiasticæ immunitatis gratiam, decretum, eique additur majoris excommunicationis in laicos sententia, qui in locis immunitate gaudentibus singulare certamen inierint, quive res iisdem in locis depositas eripuerint, aut eripiendas curaverint.

6. Majoris hebdomadæ feria sexta a servilibus operibus abstinebitur.

7. Indulgentiæ dies decem omnibus contritis confessisque Fidelibus conceduntur, qui caput corpusque flectant, quoties sanctum nomen Jesu in publicis officiis per dominicos & duplices festos dies pronuntiatum audierint.

8. Ecclesiæ ministri inclinationem edent ad *Gloria Patri* in divino officio, cum hoc in Ecclesia publice recitabunt.

9. Ter in anno, majoris Missæ tempore, majores omnes excommunicationes enuntiabuntur, quæ in nostris, nostrique decessoris constitutionibus continentur. Peragetur hæc enuntiatio, adventus Dominica prima, Dominica Septuagesimæ, & prima ante festum S. Petri ad vincula, Dominica die; & quidem ad æris campani sonitum, accensisque cereis. *Ibid.*

Si Alexander Bicknor, Joannis de Sancto-Paulo proximus in Dublinensi Archiepiscopatu decessor mortem occubuit an. 1349. ut aliqui auctores ajunt, concilium quod an. 1351. habitum dicitur, retrahi debet biennii spatio.

Concilium Hispalense, an. 1352.

Coactum fuit ab Archiepiscopo Nunio concilium hoc. Ignorantur ejus statuta, si illud excipias, quod Baptismi patrinos ad quatuor redigit. *D' Aguirre*, Tom. V. pag. 293.

Concilium Toletanum, an. 1355.

Huic concilio præfuit Blasius, Archiepiscopus Toletanus. In eo edita capitula duo, quorum primum declarat Toletanæ Ecclesiæ provincialia statuta, tam vetera quam nova, atque adeo futura ad pœnam tantum minime vero ad culpam obligare, nisi aliter, expressisque verbis per statuta ipsa mandatum sit. Capitulum alterum obligationis statutorum Cardinalis Legati Apostolici rationem explicat. *Ibid.* pag. 294.

Concilium Londinense, an. 1356.

Simon Islipius, Archiepiscopus Cantuariensis, hoc concilium coegit, quod a 16. ad usque 24. Maji diem conti-

continuatum fuit. In eo concessæ ad annum clari decimæ Eduardo Regi, qui ass ad sexennium petebat. *VVilkins, Concil. Anglic.* Tom. III.

Concilium Aptense, an. 1365.

Provinciarum trium, Arelatensis, Embrodunensis, & Aquensis, Episcopi conflarunt concilium hoc, quod 13. Maji die habitum fuit. In eo edita, quæ sequuntur, statuta viginti octo:

1. Celebrabitur in unaquaque parœcia, semel hebdomadis singulis, dieque non festo, Missa de Spiritu sancto, vel de Beata Virgine, prout Parocho libuerit, pro Papa & pro Ecclesia universa; qui vero eidem interemit, siquidem contriti confessique fuerint, indulgentiæ quadraginta dies lucrabuntur.

2. Qui genua flectent ad ea symboli, *Credo*, verba: *Qui propter nos homines, &c.* lucrabuntur indulgentiæ viginti dies. Eadem conceditur iis indulgentia, qui genua pariter flectent ad ea verba: *Gratias agamus Domino Deo nostro*.

3. Datur id consilii, ut Missa pro defunctis dicatur singulis secundis feriis, in quas nullum festum inciderit; cum vero is dies festus erit, Sacerdotibus qui mortuorum Missam dicent post festi Missam, itemque Fidelibus qui eam audient, conceduntur indulgentiæ viginti dies.

4. Quadraginta dierum indulgentia in eorum gratiam, qui se conferunt orandi causa ad suas cathedrales Ecclesias diebus Nativitatis, Resurrectionis & Ascensionis Domini nostri, Pentacostes die, præcipuis quatuor diebus festis Sanctæ Virginis, &c.

5. Quicumque Episcopus Pontificali ratione in propria diœcesi officium peraget, concedere poterit, ea quidem die, quadraginta indulgentiæ dies; totidemque, quoties in aliena diœcesi, cum ordinarii venia, concionabitur.

6. Omnes Episcopi suis in urbibus Episcopalibus, Adventus saltem & Quadragesimæ tempora, residebunt ipsi per se, ibique factum facient, divinum verbum nuntiabunt, confessiones audient, omnibus denique pastorali muneri addictis officiis fungentur.

7. Episcoporum nullus Scurras, canes, avesque venaticas apud se detinebit; esset quippe summopere execranda res, pauperum panem canibus dare.

8. Episcoporum domestici aliique officiarii modestis indumentis utentur.

9. Qui ea lege adstringuntur, ut diœceseon visitationes peragant, pecuniam non accipient, ut eas perficiant, vel ut ab iisdem perficiendis abstineant, ut nonnunquam accidit.

10. Metropolitani eorumque suffraganei pro suo visitationis jure florenis quatuor contenti erunt.

11. Prohibetur, ne laicis vendantur reditus qui e spiritualibus rebus proveniunt.

12. Ordinarii per censuras & alia juris remedia sibi subditos fideles adigent, ut Dei mandata servent, festos dies colant, Missam & Sermonem Dominicis diebus audiant.

13. Vetatur, ne nundinæ seu mercatus Dominicis festisque diebus habeantur.

14. Curabunt Ordinarii, ut provincialia & diœcesana statuta serventur, adhibitis, si opus fuerit, Ecclesiæ censuris.

15. Ordinarius in eos procedet, qui paschale officium non exequuntur.

16. Utetur Ordinarius iisdem remediis, ut excommunicatos ad resipiscentiam pertrahat.

17 Ordinarii eorumve officiales operam dabunt, ut omnes religiosi, exempti vel non exempti, retineantur, qui sui ordinis habitum non detulerint, aut eum quidem gestaverint, non tamen ut decet.

18. Quicumque ei muneri addicti sunt, ut legata vel eleemosynas in Ecclesiis aliisve piis locis recipiant, quotannis sui officii rationem reddent loci Parocho seu Vicario perpetuo, seu cuivis altari quem Ordinarius designaverit, ut ejusmodi stationes suscipiat.

19. Expendet ordinarius semel in anno Apostolicorum stipis collectorum litteras.

20. Operam dabunt Episcopi, ut semel in anno, in diœcesanis, quas habebunt, synodis enuntientur statuta in Sancti-Rufi concilio edita; quodque ad quædam peculiariter statuta pertinet, cujusmodi est illud quod his verbis incipit: *Item quia curati, &c.* hæc vero per sex consequentes dominicos dies in parœciis enuntiabuntur.

21. Gaudebunt indulgentiæ diebus viginti, qui contriti confessique, singulis Sabbatis, Beatæ Virginis Missam audient.

22. Cum quispiam ob æs alienum excommunicationi perculsus in sua ipsa excommunicatione e vivis excesserit, creditores quorum opera excommunicatione obstrictus fuit, non pergent, quemadmodum contingit, perficere, ut in enuntianda ejus excommunicatione persistatur.

23. Servabitur statutum a Sancti-Rufi concilio quoad Judæos editum.

24. Haud sepulturæ quispiam dabitur in alio quam parœciæ cœmeterio, quin id parocho significetur.

25. A Matrimonii annuntiationibus non facile dispensabitur; & cum dispensabitur, nihil ob dispensationem exigetur.

26 Addicentur piis usibus mulctæ pecuniariæ excommunicatis impositæ, qui ad Ecclesiæ gremium redeunt.

27. Vicarii generales poterunt Episcopos excommunicatos, interdictos & suspensos absolvere, dummodo hac in re fraudis & malitiæ nihil occurrat.

28. Poterunt Episcopi dispensationes & absolutiones eorum superioribus non reservatas concedere. *D. Martenne*, Thesauri Tom. IV.

Concilium Magdeburgense, an. 1370.

Albertus de Luxemburgo, Archiepiscopus Magdeburgensis, habuit concilium hoc quod Provinciæ statuta vetera renovavit, eaque in primis, quæ Archiepiscopus Burchardus ediderat. *Concil. Germ.* Tom. IV.

Concilium VVinnuchlense, an. 1375.

Jaroslaus, Gesnensis Archiepiscopus, concilium hoc celebravit, ut in Sultanum Amuratium, Italiæ minitantem subsidia Gregorio XI. compararet. *Labb. XI. Hard. VIII.* & Baluzius.

Concilia Cantuariensia, an. 1376.

Habita fuere hoc anno Cantuariæ concilia duo; unum quidem mense Aprili seu Majo, alterum vero mense Junio. In hoc posteriore Cantuariensis Archiepiscopus se relaxavit a testamentaria institutione, in Norvicksensis Episcopi gratiam, salvis, in simili facti specie, Cantuariensis Ecclesiæ juribus. *Angl. III.*

Concilium Eboracense, an. 1377.

Convocatum fuit concilium hoc Richardi II. Regis jussu. Idem Princeps aliud eodem anno Cantuariæ coactum voluit, in quo ei promissæ fuere decimæ duæ. *Anglic. III.*

Concilium Cantuariense, an. 1379.

Concilium hoc quod 9. Maji die in S. Pauli Londinensis Ecclesia habitum fuit, id habuit propositum, ut Anglicanæ Ecclesiæ libertates propugnaret, & Regi Richardo II. subsidium suppeditaret. Extitit concilium alterum, eodem anno, superque eadem re, Eboraci celebratum. *Ibid.*

Concilium Complutense, an. 1379.

A Petro Tenario, Toletano Archiepiscopo habitum est Compluti an. 1379. aut fortasse superiore anno, nationale concilium hoc, ut perspiceretur, utri e Romanis Pontificibus, Urbano ne VI. an Clementi VII. obedientia exhibenda esset. Videtur tum quidem res sub Judice remansisse. Extitere præter hoc in Hispaniis eodem anno super eodem negotio concilia tria; unum Ilerdæ, in Castellæ regno Urbis; Toleti alterum; & Burgi tertium. *D'Aguirre*, Tom. V.

Concilia, Cantuariense & Eboracense, an. 1380.

Eodem spectarunt hæc duo concilia, ut scilicet Regi Richardo II. subsidium, prout regni ratio postulabat, concederetur. *Anglic. III.*

Concilium Salmanticense, an. 1380.

Incepit concilium hoc die 23. Novembris an. 1380. Metinæ Campi, ad Salmanticensem diœcesin spectantis urbis, & sequenti anno, 19. Maji die, in urbe ipsa Salmantica finem habuit. Unum igitur idemque concilium est; nec distinguenda duo, quod facere visum est editori Veneto Conciliorum P. Labbæi. Joannes I. Castellæ Rex interfuit concilio huic cui id propositi fuit, ut inter duos ad Papatum contendentes, Urbanum VI. & Clementem VII. lis fieiretur. Cardina-

dinalis Petrus de Luna, qui huic concilio præerat, tamquam Clementis VII. legatus, perfecit, ut huic ſuffragia faverent. *D'Aguirre*, Tom. V. & *Manſi*, Tom. III.

Concilium Pragenſe, *an.* 1381.

Joannes Genſtoniue, Pragenſis Archiepiſcopus, concilium hoc 29. Aprilis die celebravit. In eo edita ſtatuta ſeptem, ad eorum veluti interpretationem, quæ Archiepiſcopus Erneſtus an. 355. protulerat. *Concil. Germ.* Tom. IV.

Concilium Oxonienſe, *an.* 1382.

Guillelmus de *Courtenay*, Cantuarienſis Archiepiſcopus 18. Novembris & ſubſecutis diebus hoc concilium habuit. In eo recepta plurium Wicleffitarum abjuratio. *VVilkins*, *Concil. Anglican.* Tom. III. *Manſi*, Tom. III.

Concilium Strigonienſe, *an.* 1382.

Demetrius, Strigoniæ Archiepiſcopus, in hoc concilio ſibi ſtatuit cæterorum Hungariæ diœceſeon cleri ad ſuum concilium vocendi jus. *Manſi*, *Ibid.*

Concilium Cameracenſe, *an.* 1383.

Cardinalis Guido Pictavienſis prima Octobris die hoc pſeudo-concilium coegit, ut Clementis VII. partes tueretur. *Manſi*, *Ibid.*

Concilium Eboracenſe, *an.* 1385.

Habitum fuit Eboraci concilium hoc poſtridie feſti S. Hilarii, in S. Petri eccleſia, ut regi ſubſidium tribueretur. *Anglic. III.*

Concilia, *Navarrenſe & Barcinonenſe*, *an.* 1387.

Coacte fuerunt hæc duo concilia in Clementis VII. gratiam, & eum quidem pro Papa habuerunt. *Mariana*, *de Rebus Hiſpan.* lib. XVIII. cap. XI.

Concilium Moguntinum, *an.* 1387.

Conradus Winſpergius, Archiepiſcopus Moguntinus, hoc concilium habuit, quod Valdenſes triginta ſix condemnavit, quos ſæcularis juſtitiæ vivos flammis tradi juſſit. *Concil. Germ.* Tom. IV.

Concilium Panormitanum, *an.* 1388.

Ludovicus Bonitus, Archiepiſcopus Panormitanus, concilium hoc, 10. Novembris die, in ſua archiepiſcopali urbe celebravit. In eo ſtatuta quæ ſequuntur, edita, capitulorum nomine:

1. Beneficiarii clerici omnes, non ægrotantes, quotidie omnibus & ſingulis divini officii horis intererunt.

2. Canonicis & clericis qui in ſuis eccleſiis reſidebunt, iiſque deſervient, diſtribuentur eorum reditus, qui nec reſidebunt, nec deſervient, tribus ſaltem e quatuor anni partibus, niſi in theologiæ vel juris univerſo ſtudio verſentur.

3. Omnes clerici concubinarii ab officiis & beneficiis ſuſpenſi erunt, uſque eo dum concubinas in omne tempus dimiſerint.

4. Clerici beneficiarii quique ſacris ordinibus inſigniti ſunt, caupones, quibus in locis reſident & degunt, edendi cauſa, non ingredientur; aleis non ludent, nec nuptiis intererunt.

5. Nullus clericus in ſuæ reſidentiæ locis arma publice ſeu clam deferet, ſub pœna ſuſpenſionis ab officio & beneficio.

6. Omnes clerici tam breves capillos ferent, ut aures non ſuperent.

7. Unus tantum eadem eccleſiæ canonicatus haberi poterit; quod ſi duos a quopiam obtineri contigerit, unum in metropoli, alterum in aliqua metropolis cathedrali eccleſia, is quidem tribus e quatuor anni partibus metropoli, quod autem reliquum erit temporis, cathedrali eccleſiæ deſerviet.

8. Quotidianas diſtributiones canonici, pro ſua quiſque ad divina officia aſſiduitate, percipient.

9. Nullus presbyter capellaniam, atque adeo Miſſas in capellania, vel collegio, vel loco exempto celebrandas ſuſcipiet, abſque ſui ſuperioris venia.

10. Beneficiarius quiſque, ſemel ſaltem in hebdomada, per ſe, vel per alium, in ſui beneficii eccleſia ſeu loco ſacrum faciet.

Ricard Concil. Supplem. Tom. V.

11. Nullus clericus ad ſuperiorem ordinem promovebitur ſine teſtimonialibus Epiſcopi litteris, qui priores ordines eidem contulerit.

12. Nullus clericus ad beneficium, cum, ſeu ſine animarum onere, nominatus, ſui beneficii functionibus, ejuſve fructuum perceptioni ſe non ante immiſcebit, quam, ex Epiſcopi mandato, ejuſdem poſſeſſionem inierit. Cum beneficiarius, poſt canonicas monitiones, perget anni ſpatio laicis veſtibus uti, aut clericalem tonſuram non gerere, aut divinum officium non recitare, aut ſæcularibus negotiis vacare, poterit Epiſcopus de ejus omnibus beneficiis, tamquam reipſa vacantibus pro arbitratu ſtatuere.

13. Suſpendetur ab officio & beneficio clericus quicumque, ſine ſuperioris venia, ſæcularia negotia gerenda ſuſceperit.

14. Eadem in quemvis clericum pœna, qui ſingillatim ſuis ipſe manibus, in ſua vel aliena domo vinum venderet, vel etiam alterius manu iis venderet, qui illud in ejus ædibus bibere vellent.

15. Prohibetur clericus quiſque, indicta majoris excommunicationis metropolitano reſervatæ pœna, in ſuum præſulem ſuamve eccleſiam, vel in alium quemvis eccleſiaſticum conſpirare aut conventicula habere.

16. Interdicitur cuique clerico negotiatio, ea pœna ſecus indicta, ut ei nulla ſuppetat in debitores actio.

17. Nullus clericus deferet rubeas aut virides veſtes, aut humerale coccineum, aut corrigias argenteas, aut annulum, iis exceptis quibus hujus ferendi jus ex dignitate eſt.

18. Nullus clericus, ſe exemptum dictitans, exemptionis privilegio gaudebit, niſi cum ordinarii approbatione.

19. Nullus clericus egredietur e regni finibus, ſine ſui Epiſcopi dimiſſoriis litteris, ſecus eam pœnam ſubiturus, ut beneficio, ſi quod habet, deſtituatur, aut, ſi nullum habet, arbitrariæ punitioni ſubſit, prout ejus ſuperiori viſum fuerit.

20. Nullus clericus vel ſibi vel aliis beneficium, ante tituleris ſepulturam, petet, ac, ſi petierit, privabitur ad annum proprii beneficii fructibus, ſi quod poſſidet, vel ſemeſtri ſpatio a divinis, ſi beneficiarius non eſt, ſuſpendetur.

21. Quicumque beneficiarius alium impediet, ne ſui beneficii fructibus gaudeat, ſuorum ipſe beneficiorum jacturam ſubibit; ſi vero beneficiarius non fuerit, pro ſuperioris arbitratu punietur.

22. Religioſi mendicantes ſepeliant apud ſe neminem, ſine parochi venia, ad cujus eccleſiam defunctus pertinet.

23. Cum defunctus humo dabitur alibi quam in propria parœcia, ceræ ad funebrem pompam ſpectantis tres quartæ partes ejus parocho cedent.

24. Epiſcopo ſemper erit piorum legatorum quarta pars, cum hæc per conſuetudinam aut per jus eidem addicta erit, contrario ſtatuto quolibet nihil obſtante.

25. Suæ eccleſiæ bona nullus clericus emphyteuticæ locationi ſubdet, nec eadem locabit ad annos quinque, quin id ſciat approbetque ſuperior.

26. Omnes beneficiarii cogentur a ſuperioribus ſua beneficia, & ab his pendantes eccleſias reparare.

27. Omnes canonici in minoribus ordinibus conſtituti ei legi ſuberunt, ut ſacros ordines intra pacificæ poſſeſſionis annum ſuſcipiant.

28. Quicumque a canonicis capituli ſecretum deteget, ſui canonicatus fructibus ad annum privabitur. *Manſi*, *Supplem.* Tom. III. *ex Libro*, *inſcripto de principe templo Panormitano*, *edito Panormi an.* 1728. *per Joannem Mariam Amatum.*

Concilium Tiberienſe, ſeu *apud Fanum Sancti-Tiberii*, *an.* 1389.

Joannes Rogerius, Archiepiſcopus Narbonenſis, hoc concilium convocavit, quod 26. Julii die apud Fanum Sancti-Tiberii in Agathenſi diœceſi habitum fuit. Huic cœtui nullus adfuit Epiſcopus ipſe per ſe; verum Narbonenſis Archiepiſcopus ejuſque ſuffraganei ſuos procuratores qui eos repræſentarent, eo miſerunt, & eos quidem omnes eccleſiaſticos doctos & in dignitatibus conſtitutos, ut magnos vicarios, officiales, canonicos &c. Edidit concilium ſanctiones plures, fere ſuper rationibus quibus eccleſiaſticæ libertates, implorato ſummi Pontificis præſidio, ſervarentur. *Martenne*, *Theſauri*, T. IV.

Concilium Colonienſe, *an.* 1390.

Fridericus de *Sarwerden*, Archiepiſcopus Colonienſis, huic concilio, 16. Septembris die habito præfuit. In eo renovata provinciæ ſtatuta vetera. *Art pergandi temporum notas*, pag. 230.

Concilium Londinense, an. 1391.

Guillelmus de *Courtenai*, Archiepiscopus Cantuariensis, suffraganeis adsistantibus, habuit 28. Aprilis die in arca Croydonensi concilium hoc. In eo renovata Roberti de Winkelsey qui Guillelmum præcesserat, constitutio, qua capellanorum aliorumque presbyterorum stipendio gaudentium super parochorum juribus molimina reprimebantur. *Labb. XI. Hard. VIII. Angl, II.*

Concilium Pragense, an. 1392.

Joannes Genstonius, Pragensis Archiepiscopus, concilium hoc 17. Junii die celebravit. In eo vetiti sæculares judices impedire, quominus rei ad mortem damnati pœnitentiæ atque adeo Eucharistiæ Sacramenta, petentes quidem, perciperent. *Concil. German.* Tom. IV.

Concilium Ultrajectense, an. 1392.

Archiepiscopus Florentius ejusque suffraganei numero septem coegere concilium hoc, 30. Septembris die; cui habendo cœtui causam præbuit Frater quidam e Minorum ordine, Jacobus Juliacensis nuncupatus, quippe qui originem ex Juliacensi ducatu trahebat. Nequam hic religiosus, se Episcopum venditans, sacerdotes plures in Flandria & Hollandia initiaverat. Cum concilium eum degradasset, sæculari brachio traditus, capitis jacturam subiit. *Raynaldi, ad an. 1391, Mansi*, Tom. III.

Concilium Parisiense, an. 1395.

Fuit hoc nationale concilium, coactum 4. Februarii die, conflatumque e Patriarchis duobus, Alexandrino scilicet, Carcassonensis episcopatus, & Jerosolymitano, ecclesiæ S. Pontii administratoribus, Archiepiscopis septem, Episcopis quadraginta sex, abbatibus novem, decanis nonnullis, magnoque doctorum numero. In eo, Regis Caroli VI. jussu de ratione deliberatum est, qua tolleretur schisma quo Ecclesiam turbabat Antipaparum, Petri de Luna, Benedicti XIII. nuncupati, & Roberti Gebennensis, dicti Clementis VII. pertinax ambitio. Ea fuit, per plura suffragia, concilii sententia, duorum contendentium cessione nihil fore ad schisma finiendum aptius. Huic concilio, e Gallicanum stylo, annus 1394. adscriptus est. *Raynaldi, ad hunc ann. Mansi*, Tom. III.

Concilium Arbogense, an. 1396.

Henricus, Upsaliensis in Svetia Archiepiscopus, hoc provinciale concilium cum suffraganeis habuit, dominica die *Laetare*. In eo, quæ sequuntur statuta edita:

1. Quicumque presbyter matrimoniis, tempore per jus vetito, benedixerit, destituetur officio, & irregularitatem sanctæ Sedi reservatam subibit.

2. Prohibiti laici, cujuscumque conditionis fuerint, ad ecclesiam accedere, ut nuptialem benedictionem percipiant, hebdomadis aliquot ante tempora e jure vetita, idque ea mente, ut nuptias celebrant, suisque cum uxoribus conjugalem in modum vivant. Prohibiti quoque presbyteri benedictionem ejusmodi matrimoniis tribuere.

3. Bissextilibus annis singulis dies duo inter cathedræ S. Petri, & S. Matthiæ festum intererunt.

4. Qui homicidium die dominico perpetraverit, a carnis comestione, die ipso dominico, quoad vixerit, abstinebit; qui vero die veneris, singulis diebus veneris, dum in vivis erit, a piscibus; qui denique sabbatu, sabbatis omnibus per omne vitæ tempus a lacticiniis, quin super hac re cum eo dispensare possit Episcopus. Hæc sunt ipsa concilii verba: *Qui dominica die homicidium perpetraverit, eadem die a carnibus; qui vero sexta feria, a piscibus; qui autem die sabbati, a lacticiniis, eisdem diebus, perpetuo abstinebit.* Perspicuum est latinum textum nam homicidæ pœnam imponere, ut a carne, seu piscibus, seu lacticiniis non quidem quotidie per omne vitæ tempus abstineat, sed anniversario solum patrati homicidii die, vel, ut summum, anni dominicis diebus omnibus, seu sextis omnibus feriis, seu sabbatis omnibus; neque enim satis apertus est clarusque canon, quin horum sensuum alterutrum pati possit.

5. Non tribuetur fidelium sepultura piratis, expilatoribus, incendiariis, majorum viarum latronibus, pauperum oppressoribus, Ecclesiæ immunitatum violatoribus; nisi fecerint ante mortem satis, aut solidas cautiones dederint.

6. Octobris die septima celebrabitur sanctæ Birgittæ, patronæ nostræ solemne festum.

7. Non recipietur ad divinorum officiorum celebrationem ullus alienæ diœcesis presbyter, nisi eidem expressa & peculiaris proprii Episcopi ejusve officialis venia suppetat.

8. Nullus Episcopus aliusve præsul laico homini, quicumque demum fuerit, suæ jurisdictionis usum conferet.

9. Cathedrali cuique ecclesiæ præsto erunt Sabinensis Cardinalis statuta, eaque Episcopus semel quotannis in suorum canonicorum cæterorumque ecclesiasticorum synodo legi jubebit. Dabit etiam operam, pro sua virili parte, ut eadem serventur.

10. Ad invigilandum, ut autographa Ecclesiæ privilegiorum acta custodiantur, hæc sane in cathedralibus ecclesiis omnibus supra codicem transcribentur, e quo, prout res tulerit, eorum exempla depromi poterunt. *Mansi*, Tom. III. *ex Mss. biblioth. publ. Upsal.* num. 29.

Concilium Londinense, an. 1397.

Nos quidem concilium hoc ad an. 1396. retulimus. Habitum fuit a Thoma Arondelio, 19. Februarii die; quia porro præsul hic archiepiscopalem Cantuariæ sedem nonnisi Augusto mense hujus anni 1396. conscendit, hoc anni 1396. concilio adscriptum tempus ex Anglicano stylo sumatur, oportet, ducto scilicet anni initio a Martii die 25. *Ars purgandi temporum notas*, pag. 230.

Concilium Parisiense, an. 1398.

Rex Carolus VI. qui jam nationale concilium Parisiis an. 1395. coactum voluerat ad schisma finiendum, quod inter duos ad papatum contendentes Ecclesiam dividebat, hoc quoque ob idem negotium haberi jussit. Adfuere cœtui Archiepiscopi undecim cum Alexandrino Patriarcha, Episcopi sexaginta, abbates septuaginta, sexaginta octo capitulorum procuratores, Parisiensis universitatis rector cum facultatum procuratoribus, universitatum Aurelianensis, Andegavensis, Montis-Pessulani, Tolosanæque ministri, præter longe maximum in theologia & in jure doctorum numerum. Exstitere sessiones duæ, prima 22. Maji die, Julio mense altera. In hac convenit inter concilii patres, potiorem Papæ Benedicti ad mentem redigendi rationem eam esse, ut ei non modo beneficiorum collatio, sed omnis etiam auctoritatis exercitatio, per integram absolutamque obedientiæ subtractionem, adimeretur. Hac mente Rex 28. Julii die edictum protulit, quod eodem anno, 28. Augusti die a Senatu seu Parlamento in acta relatum fuit, evulgatumque Avenione ad sequentis Septembris mensis initium. Ad usque 30. Maji diem an. 1403. perstitit subtractio hæc. Eam Rex eo die revocavit, suamque ipse suique regni obedientiam Papæ Benedicto XIII. restituit. Idem princeps per declarationem diei 19. Decembris ejusdem anni mandavit, ut, quicquid, ejus subtractionis tempore, quoad beneficiorum provisiones, actum fuerat, suum robur & vim retineret, nihil obstantibus Benedicti Pontificis contentionibus, qui de beneficiis, quæcumque post subtractionem vacaverant, statuere volebat. *Ibid. & Spicileg.* Tom. VI.

Concilium Londinense, an. 1400.

Thomas Arondelius, Archiepiscopus Cantuariensis, habuit Londinense concilium hoc, a 26. Januarii ad 8. usque Martii diem anni 1400. ex Anglia stylo. Eo potissimum spectavit concilium, ut, super erroribus hæresibusque bene multis inquireret, quibus adhærebant non pauci tam presbyteri quam clerici inferiores & laici; agebatur de Wicleffitarum erroribus quos perinde atque eorum assertores concilium damnavit. *Wilkins, Concil, Angl,* Tom. III. *Mansi, Supplem.* Tom. III.

Concilium Vaystenense, an. 1400.

Daniel, Archiepiscopus Upsaliensis, coegit concilium hoc in monasterio S. Birgittæ, *Vaysten* seu *Vaystan* dicto, coram Ericio Rege, & Regina Margarita ejus conjuge. Princeps hic enim ad justam agendi & gerendi ætatem pervenisset, in eo cœtu plenam absolutamque sui regni administrationem suscepit. *Mansi, Ibidem.*

CON-

C O N C I L I A

DECIMI QUINTI SÆCULI.

Concilium Valdoletanum, seu *Vallisoletanum*, *an.* 1403.



Uit hic cœtus mixtus, e Rege, regnique magnatibus, compluribusque præsulibus constans, quorum omnium suffragia ad Antipapam Petrum de Luna accesserunt. *D'Aguirre*, Tom. V.

Concilium Parisiense, *an.* 1404.

Habitum est concilium hoc 21. Octobris die. In eo statuti articuli octo ad privilegiorum incolumitatem schismatis tempore. Domnus Martenne & P. Mansi contendunt concilium hoc unum idemque atque illud esse, quod an. 1408. Parisiis celebratum fuit. Quod ajunt, ex eo probant, quod constitutionum una, quæ in jactato an. 1404. concilio lectæ fuerunt, an. 1408. præfert, quodque aliæ quæ inter Gallicanæ Ecclesiæ libertatum probationes occurrunt, annum & ipsæ 1408. adscriptum habent. *Martenne*, *Anecdot.* Tom. II. pag. 1398. *Mansi*, Tom. III. col. 761.

Concilium Pragense, *an.* 1405.

Contra Petrum de Luna coactum fuit concilium hoc. *Labb. XI. Hard. VIII.*

Concilium Hammaburgense, *an.* 1406.

Joannes Slamestorpius, Bremensis Archiepiscopus, una cum suffraganeorum tribus hoc concilium celebravit; quod opinionem per id temporis apud populum disseminatam proscripsit, eum qui cum Franciscanorum habitu moreretur, de sua salute certum fore, nec diutius in purgatorio mansurum, propterea quod S. Franciscus quotannis eo descendebat, ut secum eos omnes in paradisum duceret, qui ei, dum viverent, addicti devotique fuerant. *Hartzeim*, *Concil. Germ.* Tom. V. *Mansi*, *Supplem.* Tom. III.

Concilium Parisiense, *an.* 1406.

Hoc concilium, ex universo Galliarum claro convocatum, S. Martini festo die inchoatum, nonnisi 16. sequentis Januarii die absolutum fuit. Id habuit propositum, ut schisma finiret. Decrevere concilii patres generale concilium petere, & se Benedicti XIII. obedientiæ subtrahere.

Concilium Londinense, *an.* 1408.

Franciscus Hugutio, Archiepiscopus Burdegalensis & Cardinalis, concilium hoc ad 23. Julii diem convocavit. In eo Angliæ, Scotiæ & Hiberniæ clerum permovit, ut Gregorii XII. obedientiam desereret, eique ita se Cardinalibus adderet, qui Pisanum concilium indixerant. *Anglic. III.*

Concilium Pragense, *an.* 1408.

Concilium hoc ad Wicleffi damnandos errores coactum fuit. *Cochlaus*, *Histor. Hussit.*

Concilium Perpiniacense, *an.* 1408. *seu* 1409.

Benedictus XIII. aperuit concilium hoc, prima Novembris die. Præsules qui illud conficiebant, in contrarias sententias abiere, 5. Novembris die; cumque numero plures sensim concilium deseruissent, octodecim tantum cum Benedicto remanserunt, eique, prima Februarii die an. 1409. id dedere consilii, ut nulla interjecta mora cessionis viam amplecteretur, & nuntios ad Gregorium XII. ejusque proprios Cardinales mitteret, qui tunc Pisæ concilium habebant. Atque is quidem reapse legatos septem ad urbem Pisam 26. Martii die, nominavit, at eorum legatorum sex remansi, Galliarum Regis jussu retenti fuere; septimusque Catalaunæ remanserat, ut legationem apud eumdem Galliarum Regem, Carolum VI. Benedicti nomine, obiturus pergeret. *Labb. XI. Hard. VIII.*

Ricard Concil. Supplem. Tom. V.

Concilium Pisanum, *an.* 1409.

Dum de Gregorio XII. sermo est, nonnunquam Gregorius XIII. perperam nuncupatur, Tom. II. *hujus Analysis*, pag. 91. lin. 18.

Concilium Francofortense, seu *Francofurtense*, *an.* 1409.

Landulphus, Cardinalis-Archiepiscopus Bariensis, concilium hoc sub Epiphaniam celebravit. Designatus erat ab utriusque obedientiæ Cardinalibus, Pisæ residentibus, ut ad concilium eadem in urbe indictum Germaniæ præsules & principes invitaret. Francofurtensis concilii is exitus fuit, ut oratores in Italiam, sollicitandæ conciliationis gratia, mitterentur. *Labb. XI. Hard. VIII.*

Concilium Florentinum, *an.* 1409.

Etruriæ Episcopi habuere Februario mense concilium hoc, in quo confirmatum fuit decretum quod Florentina respublica ediderat, ut se Gregorii XII. obedientiæ subtraheret. *Ars purgandi temporum notas*, pag. 231.

Concilium Aquilejense, *an.* 1409.

Austriæ, Utinum prope, in Aquilejensi diœcesi, concilium hoc Gregorius XII. coegit, quo tempore Pisæ dabatur opera, ut is ipse deponeretur. In eo Gregorius sententiam pronuntiavit in Petrum de Luna, & in Petrum Cretensem, qui in sua se obedientia Alexandrum V. nominatum voluit. *Regia. XXIX. Labb. XI. Hard. VIII.*

Concilium Aquense, *an.* 1409.

Concilium hoc a provinciis tribus conflatum præsules designavit, qui ad Pisanum concilium mittendi erant. *Mansi*, Tom. III.

Concilium Salmanticense, *an.* 1410.

Concilium hoc coram Regum oratoribus, magnoque doctorum numero celebratum, Petrum de Luna tamquam solum veri nominis Papam agnovit. *D'Aguirre*, Tom. V.

Concilium Aurelianense, *an.* 1411.

Habitum est concilium hoc in Joannem, Burgundiæ Ducem, super Aurelianensis Ducis morte. *Juvenalis de Ursinis*, *Historia Caroli VI.*

Concilium Hispalense, *an.* 1412.

Patriarcha Hispalensis Ecclesiæ perpetuus administrator, habuit concilium hoc, quod assiduitatem ad divina officia clericis commendavit, statuitque nativitatis B. Virginis festum diem, sub duplicis solemnis officii ritu. *D'Aguirre*, Tom. V.

Concilium Perthanum, seu *apud Perthum*, *in Scotia*, *an.* 1416.

Abbas Pontiniacensis, cum a Constantiensis concilii patribus in Scotiam missus esset, coegit ibidem concilium hoc, in quo Scoticam Ecclesiam determinaret, ut Constantiensi concilio adhæreret, & Petri de Luna, qui tum quidem in Paniscolense oppidum relegatus erat, obedientiam desereret. *Anglic. III.*

Concilium Cantuariense, *an.* 1417.

Habitum fuit concilium hoc 26. Novembris die, in S. Pauli Londinensis Ecclesia. In eo Regi concessæ decimæ duæ. *Ibid.*

Concilium Cantuariense, an. 1419.

Octobris die 30. concilium hoc in S. Pauli Londinensis Ecclesia celebratum est. Id habuit propositum, ut Regi subsidium tribueretur; solveretur id quod ecclesiasticis ad Constantiense concilium missis debebatur, cleri mores reformarentur, veneficusque & hæretici duo damnarentur. Hi posteriores abjurarunt errores suos. *Ibid.*

Concilium Calischiense, an. 1420.

Calischii, qui Gnesnensis in Polonia diœceseos locus est, concilium hoc 26. Septembris die coactum fuit, Martino V. Ecclesiam regente, in collegialis ecclesiæ choro, ut de Strigoniensis in Pannonia episcopi electione ageretur. In eo editi, e decretalium ordine ac forma, canones plures, super beneficiorum permutatione, super exteris clericis, super archidiaconis, vicariis, judiciis, diebus festis, episcopatibus vacantibus, testamentis, &c. *Labb. XII. Hard. IX.*

Concilium Vernoniense, an. 1422.

Habitum fuit concilium hoc, ut, qui ad Ticinense concilium mittendi, designarentur. *Bessinius, in Concil. Norman.*

Concilium Ticinense, an. 1423.

Constantiensis concilii patres hoc Ticinense, seu Papiense concilium indixerant. Apertum fuit mense Majo, at Junii die 22. Senas translatum, pestis causa, quæ Ticino minitabatur.

Concilium Senense, an. 1423.

Cœpit 22. Augusti die, desiitque 26. Februarii sequentis an. 1424. post decretum editum in hæreses Constantiæ damnatas, in eosque omnes qui Wicleffitis, aut Hussitis subsidium tribuerent; at reformationis, itemque Græcorum redintegrationis negotia ad concilium remissa, quod Basileæ indictum, habitumque an. 1431. *Labb. XII. Hard. IX.*

Concilium Trevirense, an. 1423.

Otto Ziegenhemius hoc concilium una cum suffraganeis habuit. In eo edita fuere statuta sex, quorum primum Joannis Hus & Wicleffi hæreses impetit. *Concil. Germ.* Tom. V. *Ars purgandi temporum notas*, pag. 632.

Concilium Hafniense, an. 1425.

Luckius, Lundinensis in Dania Archiepiscopus, hoc concilium cum suffraganeis, aliisque nonnullis præsulibus, abbatibus, decanis, præpositis, &c. celebravit 21. Januarii die, quæ feria secunda, post S. Canuti Martyris festum, erat. In eo edita synodica epistola ad disciplinam restituendam, reformandosque, tam ecclesiasticorum quam sæcularium hominum mores, quos admodum bella, fere absque intermissione iis in regionibus grassantia vitiaverant. Concilii patres luxum, vinulentiam, cauponas, arma, concubinas, in religiosarum monasteria ingressum ecclesiasticis interdixere; pronuntiarunt in eos omnes anathema, qui ecclesiam aut civile regimen perturbabant; mandaruntque, ut ne religiosi sine eorum venia egrederentur, quorum esset eam dare, neve Episcopi ordines alienæ diœceseos cuipiam conferrent, iis ad quos pertinebat, non annuentibus. *Labb. XII. Hard. IX.*

Concilium Cantuariense, an. 1428.

Concilium hoc, die 5. Julii, in S. Pauli Londinensis Ecclesia, ad Ecclesiæ pacem, ad fidei incolumitatem, ad hæreseon exstirpationem, habitum fuit. *Anglic. III.*

Concilium Rigense, an. 1428. *seu* 1429.

Henricus, Rigæ, quæ Livoniæ metropolis, Archiepiscopus, hoc concilium habuit. Romam misit legatos sexdecim, omnes presbyteros, de iis conquerendi causa, qui Rigensem Ecclesiam opprimebant; at eos innocentes presbyteros Gowinensis arcis præfectus, teutonici ordinis eques, cum in Livoniæ finibus retinuisset, per inhumanam sævitiem, manibus pedibusque vinctis, in gelidum flumen projici jussit, quo submersi periere. *Labb. XII. Martenne, Concil. Germ.* Tom. V.

Concilium Narbonense, an. 1430.

Editi fuerunt in hoc concilio nonnulli disciplinæ canones; in eoque Narbonensis sedis suffraganei Castriensi Episcopo, concilii præsidi, libellum supplicem obtulerunt, suam ut jurisdictionem a Narbonensis archiepiscopatus ecclesiasticis officiariis usurpatam conquererentur. *Martenne, Anecdot.* Tom. IV.

Concilium Moguntinum, an. 1439.

Conflarunt concilium hoc Cardinalis unus, Archiepiscopi, Trevirensis, Coloniensis & Moguntinus, Alberti Imperatoris oratores, &c. In eo recepta Basileensis concilii decreta, iis exceptis, quæ in Summum Pontificem Eugenium edita fuerant. Bituricensi cœtui, anno 1440. habito eadem mens fuit.

Concilium Frisingense, an. 1440.

Nicodemus de Scala, Frisingæ in Germania Episcopus, habuit cum aliquot aliis præsulibus concilium hoc, in quo, quæ sequuntur, constitutiones editæ:

1. Vetiti, excommunicationis indicta pœna, superiores omnes ad sacramentorum administrationem, & ad minimam quamque ecclesiastici regiminis partem admittere quemvis exterum clericum qui non sui Episcopi, ejusve magni vicarii testimoniales litteras, pro ut jus & ratio postulant, exhibuerit.

2. Ne vanis in jus vocationibus laici vexentur, omnibus Ecclesiæ judicibus interdicimus, ne quemquam ad suum tribunal in jus vocent, quin iis a lege vel consuetudine id juris suppetat, nisi vocationis in jus causam perspicuis verbis aperiant. Quod autem ad legalia judicia, & legitima omnia mandata ecclesiasticorum superiorum spectat, hæc servabuntur, excommunicationis indicta pœna.

3. Interdicimus, imposita anathematis pœna, ne ad sæcularia tribunalia clerici traducantur. Eidem pœnæ clericos & laicos subdimus, qui id sibi sumunt, ut de matrimonialibus causis cognoscant.

4. Quoniam clericorum est Dei voluntatem exequi, & agendi ratione pacem præferre, iis omnibus singulisque mandamus, ut in re qualibet honestum piumque in modum se gerant, vitent crapulam & vinolentiam, zonas aureas argenteasque, vel e quavis alia materie, rubeas aut virides vestes, tabernarum aditum, indecoros, & imprimis talorum ludos, &c.

5. Nullæ clericis erunt concubinæ, sub pœnis a Basileensi concilio statutis.

6. Presbyteri qui beneficia, animarum curam adjunctam habentia possident, residebunt ipsi per se, & canonici qui per integram nec intermissam hebdomadam officio deerunt, mulctæ libras decem suæ ecclesiæ fabricæ solvent.

7. Omnes beneficiarii beneficia possidentes quæ simul stare nequeunt, necesse habebunt dispensationes proferre, quibus nituntur, ut ea possideant.

8. Si canonicus ad canonicatum nondum vacantem receptus fuerit, nulla erit, *ipso facto*, receptio, nisi eam Episcopus peculiari venia firmaverit.

9. Ecclesiæ bona non sine requisitis facultatibus alienabuntur; quique id egerint, ejusmodi bonorum administratione destituentur.

10. Prohibentur omnes ecclesiastici, ne Ecclesiæ sepulturam, sine Episcopi ejusve magni vicarii peculiari venia, iis tribuant, qui in patibulo mortui sunt, iisve qui in ludicris certaminibus, aliisque id genus spectaculis occubuerunt, vel demum iis qui intra annum ad pœnitentiæ tribunal non accesserunt.

11. Concionatores & confessarii populis commendabunt, ut omnium terræ fructuum decimam accurate solvant.

12. Cum regularium conditio postulet, ut potiorem purioremque quam cæteri, vitam agant, abbates aliique monastici superiores sollicitudinis multum conferent, ut, qui iis subsunt, regulas constitutionesque præscriptas servent.

13. Patroni & abbates ad quos Ecclesiæ pertinent, tum ipsi, tum qui nos excipient, juribus contenti erunt, quæ iis primigenia institutio tribuit.

14. Ecclesiasticorum nullus se laicorum exactionibus subdet, sine Episcopi venia; perinde se gerent ecclesiastici quoad decanos vel archidiaconos, qui ab iis quidpiam exigere vellent.

15. Qui-

15. Quicumque parœcias regunt, salis & aquæ benedictionem perficient, & processionem peragent, dominicis diebus singulis, ante solemnem Missam.

16. Nemo Sacrum faciet sine luminibus, nec Hostia ante consecrationem elevabitur, ne populus Hostiam non consecratam adoret; quæ idololatria esset.

17. Monebunt Presbyteri populum, omnes utriusque sexus fideles ei legi subesse, ut Infantes, si necessitas urgeat, vulgari lingua baptizent. Expendent deinde, an ab iis qui in hac facti specie Baptisma contulerint, quæcumque requiruntur, ut Baptisma validum sit, servata fuerint; tum vero non illud iterabunt, sed solum pectoris, humerorum & capitis unctiones supplebunt; at si quid ad baptismatis vim & rationem pertinens, seu quoad materiam, seu quoad formam, omissum fuerit, illud Presbyteri repetent.

18. Eucharistia, Chrisma & sancta Olea, clave opposita, custodiantur; & quæcumque altari inserviunt, ut mappæ, pallæ, corporalia, &c. admodum nitida servabuntur.

19. Nemo clandestinis Matrimoniis intererit; quod si quis ita matrimonium inierit, Parochi erit eumdem adigere, ut in facie Ecclesiæ illud enuntiet.

20. Nullus Presbyter Sacramenta negabit, quæcumque fuerint, prætexens consuetum stipendium sibi negari, ita tamen, ut eidem integrum sit, apud Ecclesiæ judicem sua jura persequi, postquam Sacramenta quæ ab eo petuntur, administraverit.

21. Judæi non sinentur ad usuram dare, ad suumque servitium Christianis uti; & Christifidelium nullus suam iis domum locabit, ut ibidem usuram exerceant.

22. Christiani non erunt usurarii; quique in hoc notorio peccato morientur, terra sancta privabuntur.

23. Statutum servabitur, quod Guido Legatus edidit, ut, qui clericum enormiter sauciaverit, veneno infecerit aut necaverit, quicquid, feudi, census aut emphyteusis titulo, ab Ecclesia tenuerit, in omne vitæ tempus amittat.

24. Prohibentur, excommunicationis indicta pœna, Sacerdotes ad unum omnes, seculares seu regulares, a casibus, Papæ vel Episcopo reservatis absolvere, sine alterutrius venia.

25. Vetitus, quicumque jurisdictione gaudet, in quempiam, nisi de scripto & post canonicam monitionem, anathema pronuntiare.

26. Omnes secularium seu regularium communitatum superiores præ manibus habebunt statuta hæc, & apud suas communitates bis in anno legenda curabunt, excommunicationis pœnam, ni paruerint, subituri.

Concilium Moguntinum, an. 1441.

Theodoricus Erbachius, Archiepiscopus Moguntinus, coegit concilium hoc, & coacto præfuit. In eo recepta: 1. Basileensis concilii decreta, super provincialium & diœcesanorum conciliorum celebratione; 2. ejusdem concilii in clericos concubinarios statuta; 3. ejusdem concilii super localibus interdictis decretum; 4. Nicolai V. in eos Bulla, qui Ecclesiasticos male haberent, deinde vero adoptata fuerunt ejusdem Basileensis concilii decreta quatuor, quorum secundum vetat, ne sanctum Sacramentum, quæcumque demum causa prætexi possit, in monasteriorum Ecclesiis exponatur, præter tempus octavæ Corporis Christi Domini. *Concil. Germ.* Tom. V. *Ars purgandi temporum notas*, pag. 234.

Concilium Constantinopolitanum, an. 1450.

Fuit hoc pseudo-concilium, e Patriarchis tribus, Alexandrino, Antiocheno & Hierosolymitano coactum contra Græcorum Latinorumque conciliationem, quæ Florentiæ inita fuerat. Ita de hoc cœtu loquuntur omnes Conciliorum collectores, qui ad unum omnes ejusdem acta, seu vera seu falsa, in suis editionibus ponunt; at concilium hoc suppositum est, ut perspici potest, siquidem consulantur Allatius, *de consensione*, col. 1381. & *P. le Quien*, *Or. Christ.* Tom. I. col. 311.

Concilium Salisburgense, an. 1451.

Cardinalis Cusanus, & Fridericus Emerbergius, Archiepiscopus Salisburgensis, habuere concilium hoc 8. Februarii die. In eo provinciæ monasteriorum indicta est reformatio. *Concil. Germ.* Tom. V. *Ars purgandi temporum notas*, pag. 235.

Concilium Coloniense, an. 1452.

Cardinalis Nicolaus Cusanus, in Germania Legatus, Nicolai V. nomine, concilium hoc 3. Martii die celebravit. In eo statuta quæ sequuntur, edita fuere:

1. Provinciæ concilium, tertio quoque anno, post octavam Paschatis, Coloniæ habebitur.

2. Cogetur etiam quotannis diœcesana synodus in qua, quicquid correctione opus habebit, corrigetur, secundum canones & statuta.

3. Legetur in diœcesanis synodis Opus S. Thomæ Aquinatis super Fidei articulis & Sacramentis Ecclesiæ, incumbentque sedulo Parochi ad ejus partis studium, quæ Sacramenta spectat.

4. Enuntiabuntur sæpenumero, & religiose servabuntur Engelberti & Henrici, Coloniensium Archiepiscoporum, provincialia statuta, cum aliorum Archiepiscoporum Romanorumque Pontificum, quoad Ecclesiasticas libertates, additionibus.

5. Utriusque sexus Judæi notam deferant, per quam dignoscantur, nec eorum truces usuræ tolerabuntur.

6. Servabuntur provincialia statuta, quoad ingressum ad ordines & beneficia, itemque ad parochorum residentiam & beneficiorum permutationem attinet.

7. Omnes Clerici tonsuram deferent, *patentibus auribus*, longasque, decentes, & undique conclusas vestes.

8. Mercatus Festis & Dominicis diebus haberi non sinentur, nisi quoad ea quæ vitæ necessaria sunt, & in aliqua facti specie, prout jus patitur, atque in primis e S. Thomæ Aquinatis sententia.

9. Non recipientur stipis collectores, nisi quatenus communi juri congruit, & quæ synodalium statutorum vis & ratio est.

10. Nulla admittetur virorum aut mulierum congregatio, ut in communa vivant, nisi ea regulam a sancta Sede approbatam profiteatur.

11. Nec magis recipietur ulla societas, seu confraternitas, quæ Religioni aut Ecclesiæ juribus detrimenti aliquid afferre possit.

12. Omnis Clericus concubinarius publicus omnibus sui beneficii fructibus, *ipso facto*, ad menses tres destituetur; ac si postquam ad bonam frugem redierit, eum relabi contigerit, ad omne officium, ad omne beneficium, ad omnem honorem omnesque dignitates ineptus erit.

13. Nullus Ecclesiæ Judex locum, quicumque fuerit, interdicto subdet ob pecuniarium debitum, idque e Bonifacii VIII. Constitutione, *Provide*, &c. nisi alienum illud æs Ecclesiam, aut Ecclesiasticum beneficium afficiat.

14. Adigent Ordinarii Religiosos & Religiosas, ut e regula vivant, prout commune jus & synodalia statuta postulant.

15. Religiosi mendicantes qui se reformare noluerint, regularis vitæ ratione inita, nec ad confessiones audiendas, nec ad divinum verbum nuntiandum recipientur.

16. Ordinarii in suarum visitationum cursu exportandas curabunt imagines quæ populo superstitionis & idololatriæ occasionem præberent; idemque præstabunt quoad hostias quas quæstuarii circulatores exhiberent, perinde ac si in carnem aut sanguinem mutatæ essent.

17. Ad majus Sanctissimi Sacramenti decus, illud quidem non exponetur, nec processionis ordine deferetur, nisi semel in anno, die ipso & per octavam ejusdem festi, nisi Episcopus peculiarem facultatem tribuerit, aut aliqua extra ordinem necessitas ita postulet.

18. Omnes Ordinarii poterunt ab omnibus pœnis & censuris per Coloniensis diœcesis provincialia concilia inflictis absolvere, iis exceptis quæ sedi Apostolicæ reservantur. *Labb. XII. Hard. X.*

Concilium Magdeburgense, an. 1452.

Cardinalis Cusanus, & Fridericus de *Brielinghen*, Archiepiscopus Magdeburgensis, cum suffraganeis duobus, concilium hoc ipso Pentecostes die celebrarunt. In eo Legatus enuntiavit statuta aliqua, & ad regularium canonicorum reformationem delegatos duos nominavit. *Concil. Germ.* Tom. V.

Concilium Cashelense, an. 1453.

Joannes Cantwellus, Cashelensis in Hibernia Archiepi-

chiepiſcopus, 6. Auguſti die, Limerickii, hoc provinciale concilium habuit. In eo edita ſtatuta ejus conſentanee quæ alia bene multa concilia protulerunt, ſuper divini Officii recitandi ratione, ſuper neceſſitate habendi Miſſale argenteum, aut ſaltem auratum calicem, & omnia ad ſacrum faciendum neceſſaria ornamenta; ſuper cæmeteriorum nitore; ſuper excommunicatorum, die Dominico, inter Miſſarum ſolemnia, denuntiatione; ſuper libertatibus in Eccleſiis; ſuperque ſtipis exactoribus, Religioſis mendicantibus, uſuris, decimis, habitu clericorum, &c. *Anglic. III.*

Concilium Aſchaffemburgenſe, an. 1455.

Theodoricus Erbackius, Archiepiſcopus Trevirenſis, Junii die 15. cum ſuffraganeis in Huſſitas hoc concilium habuit. *Concil. Germ.* Tom. V.

Concilium Lambetanum, an. 1457.

In hoc concilio Ceſtrienſis Epiſcopus ob errorem depoſitus fuit. *Herpfeld, Hiſtor. VVicleſ.* cap. 6.

Concilium Avenionenſe, an. 1457.

Petrus, Cardinalis Foxienſis, e Fratrum minorum ordine, Arelatenſis Archiepiſcopus, & Avenionenſis Legatus, coegit concilium hoc, 7. Septembris die. In eo confirmatum quod in Baſileenſis concilii ſeſſione 36. actum fuerat, ſuper opinione de B. Virginis immaculate Conceptione; vetitumque, excommunicationis indicta pœna, ne quis contra e ſuggeſtu diceret; ac ne ea quidem data venia, ut hac de re publice diſputaretur; juſſi demum & parochi decretum enuntiare, quod ejuſmodi conſtitutiones complectebatur. *Labb. X. II. Hard. X.*

Concilium Cantuarienſe, an. 1463.

Concilium hoc, quod 6. Julii die in S. Pauli Londinenſis Eccleſia habitum fuit, ſecularis juſtitiæ officiarios, anathematis impoſita pœna, prohibuit quempiam in Eccleſia retinere; & inveſtituras damnavit. *Anglic. III.*

Concilium Eboracenſe, an. 1463.

Regi in hoc concilio decima conceſſa eſt. *Ibid.*

Concilium Matritenſe, an. 1473.

A Cardinali Borgia, ſummi Pontificis Sixti IV. Legato, concilium hoc, ineunte anno, una cum Præſulibus numero pluribus, habitum fuit. Id præcipue propoſitum habuerunt hujus concilii Patres, ut remedium comperirent Eccleſiaſticorum inſcitiæ, quæ eo devenerat, ut inter eos pauci reperirentur, qui latine ſcirent. Statuit concilium a ſummo Pontifice obtinere par eſſe, ut in unaquaque cathedrali Eccleſia exiſterent canonicatus duo, quorum unus canonico qui theologiam, alter canonico qui jus docerent, affecti eſſent. *D'Aguirre*, Tom. V.

Concilium Eboracenſe, an. 1480.

In hoc concilio conceſſa eſt Regi decima. *Angl. III.*

Concilium Andreanopolitanum, an. 1487.

Fuit hoc generale Scotiæ concilium, at cujus tamen acta non ſuppetunt. *Anglic. III.*

Concilium Eboracenſe, an. 1488.

Conceſſæ in hoc concilio Regi decimæ duæ, & aliqua ſtatuta in eodem edita. *Ibid.*

Concilium Saliſburgenſe, an. 1490.

Concilium hoc 19. Octobris die habitum plures ſuper diſciplina conſtitutiones, magna ex parte e Baſileenſis concilii ſanctionibus ductas edidit. In eo etiam enuntiata Martini V. conſtitutio, an. 1417. 19. Decembris die, dum Conſtantienſe concilium haberetur, data, ad confirmandas leges quas Imperatores Fridericus II. & Carolus IV. ſuper Eccleſiaſticis immunitatibus ſacrorumque aſylorum ſecuritate tulerant. *Edit. Venet.*



CON-

C O N C I L I A

SÆCULI DECIMI SEXTI.

Concilium Turonense, an. 1510.

Udovicus XII. Galliarum Rex hoc concilium coactum voluit, quod ex omnibus regni præsulibus magnoque doctorum numero conflatum fuit. In eo Rex proposuit quæstiones octo super bello quod in animo habebat Julio II. Romano Pontifici denuntiare, ut Alphonso, Ferrariæ Duci, quicum fœdus inierat, quemque is Pontifex suis ditionibus spoliare volebat, suppetias ferret. *Reg. XXXIV. Labb. XIII. Hard. X.*

Concilium Petercaviense, an. 1510.

Joannes, Gnesnensis Archiepiscopus & Poloniæ Primas, concilium hoc 11. Novembris die celebravit, in quo statuta quæ sequuntur, edita fuere:

1. Festum Conceptionis sanctæ Virginis, cum octava, celebrabitur.
2. Agetur sancti Francisci fastus dies.
3. Servabontur provincialia statuta vetera.
4. Ordinarii punient Archidiaconos eosque omnes qui visitationes in diœcesi peragere debent, cum in iis peragendis negligentes fuerint, aut plus exegerint quam sue procurationis jura.
5. Aderunt in unaquaque collegiali Ecclesia prebendæ aliquæ officialibus foraneis affectæ, qui docti erunt in jure.
6. Haud nominabuntur Parochi, nisi qui presbyteratu initiati fuerint.
7. Non tribuentur parœciæ nisi doctis probisque Presbyteris, & quidem post accuratum examen.
8. Cracoviæ Episcopus, in hujus urbis Universitatis cancellarius, abusus corriget qui in ea comperientur, si qui fuerint.
9. Non eligentur nisi docti & idonei viri, qui cathedralium & collegialium Ecclesiarum parœciarumque scholas regant.
10. Nemo ad ordines suscipietur sine scripto vitæ morumque fide, cui proprius ruralis Decanus & Parochi duo, agendi rationis ab initiendo servatæ testes subscripserint.
11. Enuntiabitur Bulla *In Cœna Domini*, solemnibus diebus, & in primis feria quinta majoris hebdomadæ.
12. Executioni mandabitur provincialis concilii statutum quod falsarios impetit.
13. Punient Ordinarii blasphemos eosque qui perficere negligunt, ut ab Ecclesiasticis censuris quas subiere, solvantur.
14. Enuntiabitur in Ecclesiis nullas omnino nundinas dominicis festisque diebus habendas esse.
15. Hæreticorum, Schismaticorum, Tartarorum, Turcarumve servitio se Clerici non addicent.
16. In ordinum collatione, in Episcoporum consecratione, in virginum benedictione, in divini Officii celebratione usui erit Pontificale Romanum.
17. Episcopi supparum, vulgo *Rochetum*, deferent.
18. In divini Officii celebratione Presbyteri diœcesos ritus sequentur.
19. Missa dicatur elata intellectuque facili voce, exceptis secretis magnoque & parvo canone.
20. Fient parochialium Ecclesiarum uniones quæ decretæ fuerant.
21. Adulteros & concubinarios publicos punient ordinarii, Regemque rogabunt, ne eos ad dignitates & publica munera extolli sinat.
22. Servabitur provinciale super usurariis statutum, itemque illud quod clericos vetat laicas vestes gerere, quæ *basuca* dicuntur.
23. Quadratos pileos, non nisi per iter, gestabunt Clerici.
24. In conviviis clerici, alter alterum ad bibendum non excitabunt, nec vicissim alii ad aliorum salutem bibent.
25. Ad cauponas presbyteri se non conferent.
26. In matrimonium suos tantum, non alterius parœciæ subditos jungent.
27. Nemo, præter Principes, eorumque tum Oratores, tum curiales officiarios, sericam vestem geret. *Mansi*, Tom. V. col. 345. & seq.

Concilium Pisanum & Mediolanense, an. 1511.

Cardinales nonnulli, ægre ferentes summum Pontificem Julium II. quod suæ electionis die per jusjurandum promiserat, generale concilium non convocare, & ex alia parte ab Imperatore Maximiliano & Ludovico XII. Galliarum Rege solliciteti, Pisanum concilium hoc indixerunt, quod generale nuncuperunt, eique inchoando primam Septembris diem designarunt. Erant autem Cardinales, Sanctæ Crucis, Narbonensis & Cosentinus. At die tantum prima Novembris ejusdem an. 1511. concilium patuit. Cardinales quatuor cum aliorum trium absentium procuratione adfuere cœtui; cui pariter Galliæ plures Episcopi & Abbates plures una cum regiis Oratoribus interfuere. Sessionibus primis tribus nullus e Germania præsul adstitit. Sessio quarta Mediolani habita, aliæque deinceps ad octavam usque. In postrema Julius Papa suspensus fuit, ac deinde Mediolanum deserere præsules, seque Lugdunum recipientes, suum ibidem concilium, at sine successu, prosequi voluerunt. Pravo hoc exitu nihil obstante, Ludovicus XII. concilii decretum quod Papam suspendebat, ratum habuit, suosque subditos vetuit ullam a Romana curia provisionem impetrare, bullarumve, quascumque Pontifex expedivisset, rationem habere; atque id quidam per patentes-litteras die 16. Junii an. 1512. Blesis datas. Id audiens Julius, Galliæ regnum interdicto subdidit; et in hanc Papæ bullam Rex reclamavit. *Reg. XXXIV. Labb. XIII. Hard. X. Dictionarium Conciliorum*, pag. 383. & seq.

Concilium Lateranense, an. 1512.

Pag. 111. Tomi secundi hujus Analysis, lectæ dicuntur Regis Ludovici XI. patentes-litteræ; legendum, Regis Ludovici XII.

Concilium Florentinum, an. 1517. & 1518.

Cardinalis Julius de Medicis, Archiepiscopus Florentinus, ac deinde summus Pontifex, Clementis III. nomine, concilium hoc una cum magno doctorum aliorumque Ecclesiasticorum sapientia prudentiaque præstantium virorum numero celebravit. In eo editæ super disciplina constitutiones plures quas Leo Papa X. confirmavit. Quia tamen hic cœtus haud proprie dictum concilium fuit, propterea quod ei nullus præter unum Florentiæ Archiepiscopum præsul interfuit, & præterea in eodem editæ constitutiones plurimis aliis anteriorum posteriorumque conciliorum sanctionibus consentaneæ comperiuntur, ab iis referendis nos quidem abstinebimus. *Mansi*, Tom. V. col. 407. & seq.

Concilium Dublinense, an. 1518.

Guillelmus de Rokebg, Archiepiscopus Dublinensis, habuit cum suffraganeis concilium hoc, in quo nonnulla edidit quoad disciplinam statuta, quorum tertium intra anni spatium stamneos calices interdictos, nullumque deinceps consecratum vult, nisi cuppa saltem argentea sit. *Anglic. III. Hard. X.*

Concilium Rothomagense, an. 1522.

Habitum est concilium hoc, ut tribueretur Regi subsidium, utque consilium super nonnullis negotiis ad Ecclesiæ libertates spectantibus caperetur. *Bessinus, in Concil. Normann.*

Concilium Rothomagense, an. 1527.

In hoc concilio concessæ Regi Francisco I. decimæ quatuor. *Bessinus, in Concil. Normann.*

Concilium Lugdunense, an. 1527.

Coactum fuit concilium hoc, ut Lutheri erroribus obsi-

obsisteretur, ut Galliarum infantes liberarentur, qui in Hispaniis captivi detinebantur, atque ut cleri mores reformarentur. *Martenne, Thesauri anecd.* Tom. IV.

Concilium Bituricense, an. 1528.

Franciscus Turnonius, Archiepiscopus Bituricensis, ejusque suffraganei, concilium hoc Martii die 21. contra Lutheri errores, ad morumque reformationem celebrarunt. In eo, qui sequuntur, editi canones:

1. Enuntiabitur errorum Lutheri damnatio in sermonibus aliisque, generatim tantum, & quin ullus error peculiariter designetur, præter quam iis in locis, in quibus ejusmodi errores perspecti essent.

2. Parochorum erit, arbitrariæ punitionis indicta pœna, apud Episcopum ejusve magnum vicarium a parochianis eos denuntiare, quos scirent Lutheri infectos erroribus, aut maleficiis, sortilegiis, fascinationibus aliisque id genus superstitionibus addictos esse.

3. Prohibetur, imposita carceris pœna, ne imprimantur, vendantur aut retineantur Lutheranorum libri.

4. Prohibetur præterea, ne quis eos libros ipsos e latino sermone gallice redditos præ manibus habeat, nisi eosdem ordinarii viderint & approbaverint.

5. Stipis exactores nullam indulgentiam absque ordinariorum approbatione enuntiabunt.

6. Nuntiabunt subditis Parochi decalogum, evangelium, & aliquid ex diei epistola, seu quidvis aliud e quo iidem fideles & peccata quæ evitent, & virtutes quas sectentur, cognoscere possint.

7. Synodalia statuta in vulgarem linguam vertantur, omnesque Ecclesiasticos in ea regione versantes in qua synodus habebitur, synodali sermoni interesse oportebit.

8. Vetiti clerici laicique per Ecclesiam deambulare, officii aut sermonis tempore.

9. Servabitur Constantiensis concilii decretum, quod annuam provincialium conciliorum celebrationem mandat; & quotannis Episcopi suarum quisque diœceseon visitationem peragent ipsi per se, quippe qui suarum ovium curam sumere debent.

10. Graviter blasphemi punientur.

11. Hortabuntur Fideles sibi demandatos Parochi, ut non nihil genuflectant, cum sonitum ad sanctæ Eucharistiæ elevationem audient.

12. Amovebitur a Sacramentorum administratione, quicquid ridiculi aliquid saperet. Non respuent pœnitentes sibi a confessariis impositas pœnitentias, nec eas confessarii, quas ipsi imposuerint.

13. Servabitur Constantiensis concilii & pragmaticæ Sanctionis statutum quod canonicis mandat, ut divino officio accurate intersint, iente psallant, congruisque psallentes pausis insistant.

14. Præsulum dominio gaudentium nec mulctæ, nec sigilli jus locabuntur.

15. Non dabitur opera, ut Ecclesiæ libri imprimantur nisi ex exemplaribus ab ordinario, vel ab eo quem is designavarit, revisis correctisque.

16. Nulla, inscio Episcopo, sodalitas seu confraternitas erigetur, & confratrum pecunia non ea quidem in prandia, choreas, &c. profundetur, sed piis operibus addicetur.

17. Restringeotur festi dies, & ordinariis liberum erit eosdem supprimere.

18. Studiorum magistri suis auditoribus tantummodo libros legent, qui ad eos erudiendos, eorumque excolendam mentem accommodati sint, non autem qui eosdem in divini cultus, Ecclesiasticarum cæremoniarum, &c. fastidium adducere possint.

19. Omnes Parochi semel saltem in anno, præsertim vero paschalis tempore, suarum parœciarum visitationem peragent.

20. Non sinent Episcopi Parochos a suis ipsorum parœciis recedere, ut ad aliarum servitium se conferant.

21. Episcopi moniales impedient, ne e suis monasteriis egrediantur, easque adigent, ut accuratam clausuram ibidem servent.

22. Religiosas quoque, quæ extra sua claustra sunt, adigent ordinarii, ut Christianæ Religionis regulis, suæque professioni consentaneam vitam ducant. *Labb. XIV. Hard. X.*

Concilium Lugdunense, an. 1528.

Franciscus de Rohan, Archiepiscopus Lugdunensis, concilium hoc ad 21. Martii diem convocavit. Ei præfuit Episcopus Matisconensis, Archiepiscopi generalis Vicarius, idemque ac superius concilium, propositum habuit. *Martenne, Thesauri* Tom. IV. *Edit. Venet.* Tom. XIX.

Concilium Caniuariense, an. 1530.

Edita fuerunt in hoc provinciali concilio, quæ sequuntur, statuta.

1. Episcopi, præcipuis saltem diebus festis, divinum Officium in suis cathedralibus Ecclesiis peragent.

2. Episcopi neminem ex aliena diœcesi ordinabunt, quantumvis ordinationem petentes proprii Episcopi dimissorias litteras exhiberent, aut e regularibus exemptis essent, nisi beneficium in diœcesi possideant, in qua initiari volunt, aut a completis annis tribus ibidem degant.

3. Nemo ad parœciæ possessionem per procuratorem recipietur; at nominatus debebit se ipse per se Episcopo sistere, ut examen super scientia, superque vita & moribus subeat.

4. Ordinarii cum nemine dispensabunt super residentia in beneficiis, quæ eam postulant, obducta studii causa, nisi petens probet per apta testimonia se idoneum esse.

5. Quicumque beneficiarius suum beneficium deseret, ut ad alterius servitium se conferat, a sui beneficii fructibus dimidium amittet.

6. Punientur graviter quicumque prohibitos libros apud se habuerint, aut disseminaverint.

7. Omnis Clericus beneficiarius in sacris ordinibus constitutus, qui canes aliasve venaticos per urbes aut rura ducet, a suis functionibus, mensis spatio, suspensus erit.

8. Clerici vel Religiosi fornicationis rei conjicientur in carcerem ad menses tres, quorum spatio ex pane & aqua secundis & sextis feriis singulis jejunabunt. Qui corrigi noluerint, deponentur.

9. Episcopi Simoniacos acriter punient.

10. Parochi, Vicarii aliique Clerici sedulo desidiam quæ omnium vitiorum mater est, evitabunt, & post divina officia, preci, studio, lectioni se addicent; cavebunt a cauponis, a fœminarum societate, &c.

11. Qui beneficiario defuncto succedunt, quicquid hoc titulo e defuncti successione collegerint, in Ecclesiæ reparationem impendent.

12. Omnes scholæ magistri aliique juventutis præceptores non solum scientia suo statui congrua, verum etiam puris moribus et sana fide præditi erunt.

13. Omnibus monasteriis erit, quoad fieri poterit, religiosorum satis, detrimentorum ratione habita, quæ ex inundationibus, grassationibus, &c. pati possent.

14. Aderunt semper in monasteriis religiosi docti, aliisque edocendis idonei.

15. Recipiantur humaniter apostatæ aliique religiosi pœnitentes qui ad officium redire voluerint.

16 Excipietur ut apostata, quicumque a religiosorum numero, apud ordinarium, causarum veritatem probare recusaverit, ob quas votorum Apostolicam dispensationem obtinuerit.

17. Vetantur, excommunicationis indicta pœna, equites hospitalarii, ne ad matrimonium contrahendum, vel ad sacramenta cætera, suscipienda, sine Episcopi venia, quempiam admittant.

Concilium Petricoviense in Polonia, an. 1539.

Concilium hoc & alia plura, Petricoviæ subsecutis annis habita super hæreseon extinctione, super Cleri reformatione, superque Poloniensis Ecclesiæ libertate versata sunt.

Concilium Augustanum, an. 1548.

Otho, Cardinalis titulo sanctæ Balbinæ, & Episcopus Augustanus, habuit 12. Novembris die, concilium hoc ad Cleri reformationem, Paulo III. Ecclesiam regente. In eo statuta edita, quæ sequuntur:

1. Pastores omnes nihil sibi sinent ex animo excidere, suum ut gregem in fide rerumque omnium executione confirment, quas catholica docet Ecclesia.

2. Canonum constitutionumque synodalium transgressores punientur.

3. Nemo Augustanus Episcopus eligetur, quin Sacerdos sit, aut se nulla interjecta mora perfecturum promittat, ut ad Sacerdotium promoveatur.

4. Ad ullam dignitatem, vel ad animarum curam, vel ad quodvis denique beneficium, etiam coadjutoriatus aut resignationis obducta causa, sine approbatione nostra quam examen antevarterit; & id quidem a beneficiis aliter impetratis expulsionis indicta pœna.

5. Ordi-

5. Ordinibus nemo insigniatur, quin de ejus moribus & fide rite ac recte constiterit.

6. Presbyteri & monachi qui exteri fuerint, ad prædicationem, divinorumque officiorum celebrationem non admittentur, nisi suorum superiorum formatas literas exhibuerint.

7. Archidiaconi & decani rurales statuta hæc synodalia iis in locis quæ ab iisdem pendent, enuntiabunt & servanda curabunt.

8. Parochi sibi demandatos fideles, quicquid fidem & religionem attinet, docebunt; iis sacramenta administrabunt, gratiamque & emolumenta quæ in iisdem continentur, exponent. Ad parœcias non eligentur, nisi graves, docti, & ad animarum regimen apti viri; nec magni vicarii negligent de eorum vita & moribus quotannis inquirere.

9. Decanus, bona potissimum exemple præbens, omnes ecclesiasticos sibi subditos in officio continebit: ebriosos, aleatores, fornicatores, &c. secundum omnem suæ facultatis amplitudinem puniet.

10. Clericus omnis coronam, tonsuram & habitum longum deferet. Utatur frugali mensâ, & valde ab omni profano & seculari negotio alienus erit.

11. Quicumque beneficia plura possidet, ei legi suberit, ut uno contentus, cætera intra annum demittat, quin apostolicæ dispensationes ei satis auctoritatis afferre possint, ut eorum plura retineat, nisi eas ordinarius validas judicaverit.

12. Adigentur omnia monasteria ad vivendum a regula cujus professionem ediderunt. Monasteria diruta, vel derelicta, quoad fieri poterit, reparabuntur.

13. Nemo divinum verbum e suggestu nuntiabit absque Ordinarii nutu, ut sacri oratores omnes evangelium totamque sacram Scripturam e sanctorum Patrum, non autem e sua ipsorum sententia explicabunt. Suis in sermonibus nihil profani proponent, nihil quod fabulam oleat, nihil quod suspicioni obnoxium sit; sed sanam & auditoribus accommodatam doctrinam tradent. Dei quidem erga homines misericordiam, bonitatem, amorem laudibus efferent, & ut quin ejus justitia detrimenti quicquam patiatur. Eleemosynam, congruas satisfactiones, omnia demum pietatis opera commendabunt.

14. Divinum officium e ritu peragetur, qui a majoribus acceptus fuerit.

15. In sacramentorum pariter administratione ritus veteres servabuntur, & quicquid in iisdem agitur, populo significabunt.

16. In baptismatis administratione, absque necessitate, consuetæ ceremoniæ precesque non omittentur, & pastores operam sedulo dabunt, ut earum significationem populo expliceat. Non recipientur ad obeundum patrinorum & matrinarum officium nisi personæ quibus satis ætatis scientiæque sit, quæque pueros quos ad baptismales fontes tenent, cum suscipiendis institutionibus idonei erunt, ipsæ per se edocere possint.

17. Nec vero pastores negligent sibi demandato gregi, quicquid ad confirmationis sacramentum spectat, exponere.

18. Dicetur Missæ canon submissa voce, exceptis, oratione Dominica, pacis unione, oratione seu collecta, & postrema quæ ad populum refertur, salutatione. Quod autem reliquum Missæ est, id omne elate, quæque intelligi possit, voce dicetur. Evitabunt sacerdotes præcipitationem, itemque immodicam tarditatem, sacrum facientes. Pios tantum religiososque modos organa resonabunt, graviterque ab ecclesiis arcebuntur omnes lascivi profanique cantus & soni. Ad hostiæ elevationem canentur solum antiphonæ seu carmina sacrificio congrua; atque adeo foret longe satius nihil omnino cani, satisque habere, Christum Dominum super altari præsentem, per altum silentium, adorare & contemplari. Deferetur solemnibus diebus ad astantes pax, e consuetudine quæ hactenus servata est. Custodietur pro infirmis viaticum in loco qui deceat, quemque semper carens aut lampas illustrent; cumque ad ægrotantes feretur duæ semper consecratæ hostiæ sumentur, ne in redito populus vas, Christi corpore vacuum adoret. Quod si contingeret hostias duas per oblivionem sumptas non esse, nullum in regressu lumen gestabitur, & tintinnabulum non quatiatur.

19. Omnes parochi singulis Quadragesimæ dominicis diebus canonem, *Omnis utriusque sexus*, suis in ecclesiis annuntiabunt.

20. Sacerdos qui extremam unctionem conferet, ad terrenarum rerum contemptum, ad cælestium bonorum spem, ad fidentiam in Christi Domini misericordia ægrotum hortabitur, adsistentes adducet, ut orent pro ægrotante, de vitæ imbecillitate cogitentes.

21. Sacerdotes conjugiis benedictionem non tribuent, nisi in ecclesia tantum, & post bannorum enuntiationes tres. Monebunt partes quæ contrahere voluerint, ut consanguineorum potius amicorumque consilia, quam sua ipsorum sensa motusque sequantur, & per jejunium precemque, e Tobiæ exemplo, ad matrimonium se comparent.

22. Ea nunquam parochi animum cogitatio subibit, ut pro sacramentorum ratumque sacramentalium administratione paciscetur; at ea tribuet ex tempore, quoties ab eo petentur, ut ei tamen integrum sit ad eos confugere, quorum est perficere, ut laudabiles consuetudines in ejusmodi facti specie serventur.

23. Consecrabitur seu benedicetur, quicquid consecrari seu benedici consuevit, cujusmodi sunt, præsules, virgines, ecclesiæ, altaria, &c.

24. Colentur, e consuetudine, diœceseos festi dies.

25. Omnes parochi, post dominici diei sermonem, recitabunt dominicam orationem, angelicam salutationem, Apostolorum symbolum, decalogique præcepta, satis distincte satisque lente, ut ea populus cum ipsis repetere, discere, & retinere possit.

26. Nemo scholas adibit aut collegia, quæ schismatis & hæreseos suspicione laborent.

27. Servabuntur hospitalia, nec aliis usibus eorum reditus addicentur.

28. Excitentur principes, comites, barones omnesque magnates ad subsidium clero præstandum, perficiendi gratia, ut concilii constitutiones serventur, populusque, ut clero observantiam exhibeat, intersit Missæ dominicis festisque diebus ad finem usque, sermonem silens audiat, jejunia, abstinentias, cæremonias, omniaque præcepta Ecclesiæ custodiat, malorum librorum lectionem, lasciviarumque picturarum aspectum evitet, divinas Scripturas, Patrum scripta, sanctorum illustriumque virorum vitas legat, ac solum imagines apud se teneat, quæ religionem, pietatem, virtutem, patriæ amorem inspirare sint aptænatæ.

29. Nihil omittetur, ne episcopales visitationes fructu careant.

30. Ecclesiæ censuras nemo non verebitur servabitque.

31. Omnes diœcesani, clerici, religiosi laicique orabunt pro Papa, Imperatore, &c.

32. Horum canonum transgressores canonicis pœnis subdentur.

33. Habebuntur quotannis, & quoties opus erit, diœcesanæ synodi. *Reg. XXXV. Labb. XIV. Hard. XIII.*

Concilium Tridentinum, inchoatum an. 1545. *absolutumque an.* 1563.

Pag. 127. *Tomi secundi hujus Analysis*, cap. X. *legitur*, sedis vacantis tempora; *legendum est*, vacantis sedis anno primo.

Pag. 127. cap. XIV. *ita legendum lin.* 39. clericos exemptos, seu regulares qui extra sua monasteria degunt, etiamsi &c.

Pag. 128. *ad* capitis I. *calcem addenda hæc*: dummodo injuria per definitivam sententiam reparari nequeat, nec fieri omnino possit, ut ab hac sententia appelletur, in qua facti specie veteres canones integri remanebunt, suamque vim omnem roburque servabunt.

Pag. 128. cap. V. *linea* 54. *lege*: ab absolutione, quam superiores, & tamquam apostolicæ sedis delegati contulerint, cum cœptum erit in reos agi, aut cum iidem damnati fuerint, &c.

Pag. 129. cap. II. *adde ad capitis finem*: scilicet Episcopus qui ita ordinibus initiaverit, ab episcopalibus functionibus per annum suspensus erit, quique ordines ita susceperit, suspensioni suberit, quoad ejus Episcopo visum fuerit.

Pag. 129. *lin.* 67. si in criminalibus causis, *adde*, aliisque.

Ibid. linea 77. mercimonia, *lege*, mercenarii.

Pag. 130. *lin.* 61. quod in quarta Sessione tantum decisum fuit; *lege*: quod in vigesima prima Sessione tantum decisum fuit, quæ fuit quinta sub Pio IV.

Pag. 131. caput quartum Episcopis tamquam sanctæ Sedis delegatis; *legendum*, etiam tamquam sanctæ Sedis delegatis, quod differt a simplici locutione, *tamquam* &c.

Pag. 132. cap. VII. *lin.* 21. dominos & parochianos; *adde* omnes patronos aliosque quicumque aliquos fructus ab iis ecclesiis provenientes percipiunt adigere: &c.

Pag. 135. cap. XV. *lin.* 61. confessiones audire posse; *adde*: neque laicorum, neque clericorum.

Pag. 135. *linea* 23. singulis mensibus; *lege*, saltem singulis mensibus.

Pag. 136. *linea* 10. a duabus posterioribus; *adde*, atque adeo ab omnibus, quod ejus prudentiæ judicioque Concilium relinquit.

Pag. 136. *linea* 14. eos male contraxisse, hoc est, invalide contraxisse, eorumdamque matrimonia nulla fore, quemadmodum ea reapse concilium abrogat.

Pag. 137. cap. VII. *lin.* 15. sumi monialis poterit; *adde*, ex alio ejusdem ordinis monasterio, quæ &c.

Pag. 137. cap. XI. *lin.* 47. jurisdictione gaudent; *adde*, & iis omnibus qui intra monasterium degunt, quique *de familia & perpetui* commensales appellantur.

Pag. 137. *linea* 59. 6. Januarii; *lege* 26.

Pag. 138. *lin.* 37. in Sessione quinta, primo & quarto Reformationis capitibus; *lege*, capitibus primo & secundo. Duo tantum in hac sessione capita sunt, & in neutro tale nihil occurrit. Porro in decreto de Reformatione, Sess. XXII. cap. I. & pluribus aliis in locis, concilium facultatem tribuit Episcopis, ut per censuras aliasque pœnas obedientiam sibi conquirant.

Pag. 138. *linea* 40. in eadem Sessione; *lege*, in Sessione VII. cap. XV.

Pag. 139. cap. V. *lin.* 63. decreta quæ fel. rec. Julius III. edidit; *lege*, decreta ab eodem Concilio sub Julio III. edita.

Pag. 140. *lin.* 2. cap. VIII. *adde*, quod si inveniri non potest, qui omnibus in hoc capite enuntiatis dotibus ornatus sit, ut pœnitentiarius instituatur, sinit concilium alium seligi, qui melius loco congruat, in quo eum collocari jubet, mandatque, ut, quo tempore confessiones audiet, choro præsens censeatur.

Pag. 140. quod dicitur capite XII. *linea* 46. de fidei professione in frequenti, seu pleno capitulo, canonicos tantum spectat.

Ibid. lin. 49. aut non ea ætate sit, ut eum suscipere; *legendum*, aut cui non sit ætatis satis, ut ordinem quem titulus postulat, intra tempus a jure & ab hoc sancto concilio præscriptum, suscipere possit.

Ibid. lin. 55. Collegiatis; *adde*, quæ magni momenti sint; quod inter eas, aliasque inferiores collegiales ecclesias discrimen ponit.

Ibid. lin. 58. nec beneficiarii, ultra tres per annum menses, ab iis ecclesiis abesse possint; *adde*, quin ecclesiarum statuta lædantur, quæ longius servitii tempus requirunt.

Pag. 140. cap. XVII. *linea* 26. dummodo neutrum; *lege*, alterutrum &c.

Pag. 140. cap. XX. *lin.* 68. alios judices; *adde*, superiores & competentes.

Pag. 141. *linea* 30. Episcopis; *adde*, & prælatis seu abbatibus, &c.

Pag. 141. cap. IX. *linea penult.* acquisita; *adde*, quæque in posterum acquirentur.

Pag. 142. cap. X. *lin.* 10. provinciale concilium; *adde*, aut diœcesana synodus.

Ibid. cap. XIV. *linea* 46. fructus omnes amittant; *adde*, & suspensionis pœnam incurrant.

Ibid. lin. 51. easdem recipere; *adde*, vel alias assumere &c.

Pag. 143. *linea* 79. primordialis titulus; *lege*, patrimonialis.

Concilium Narbonense, an. 1551.

Pag. 144. can. 57. *ante verba hæc*, sine consilio, *pone*, & nemo hac in re sibi temperare poterit sine medici consilio, &c.

Concilium Cantuariense, an. 1556.

Cardinalis Polus, Archiepiscopus Cantuariensis, & sanctæ Sedis legatus, hoc concilium ad 16. Octobris diem convocavit, in eoque enuntiatam voluit Pauli IV. Bullam quæ preces ad christianorum Principum petendam pacem mandabat. *Anglic. IV.*

Concilium Lovidiense, seu *Leopoldiense*, *an.* 1556.

Aloysius Lippomanus, Episcopus Veronensis, & apostolicus in Polonia legatus, coegit concilium hoc, cui propositum præcipue fuit, ut apud Polonos fides sarta tectaque servaretur. *Mansi*, Tom. V. col. 697.

Concilium Vienna Allobrogum, seu *Viennense*, *in Delphinatu*, *an.* 1557.

Edita sunt in hoc concilio statuta quatuordecim quæ non nisi repetitiones quasdam continet, super parochorum officio in eo posito, ut sibi demandatos populos Christianæ religionis elementa præceptaque doceant; super ordinarii approbatione iis necessaria, qui ad divinum verbum nuntiandum recipi volunt; super obligatione Paschali; dominicorum festorumque dierum sanctificatione; habitu & tonsura clericali; interdictione ingressus in puellarum monasteria, &c. *Martenne*, *Thesauri* Tom. IV.

Concilium Edimburgense, an. 1559.

Joannes, Archiepiscopus Sancti-Andreæ, Scotiæ primas, & sanctæ Sedis legatus-natus, hoc universæ Scotiæ concilium coegit. Edemburgi habitum est. In eo receptum Basileensis concilii in concubinarios decretum, editaque præterea disciplinæ statuta plura, superiorum conciliorum sanctionibus consentanea, super clericorum vestibus & moribus, officii & sacrificii Missæ celebratione, ecclesiarum reparationibus, &c. In eodem firmati etiam est, per dogmaticos non paucos canones, catholicæ Ecclesiæ doctrina super capitibus quæ a recentioribus hæreticis impugnabantur, causa exempli, super Traditione, Sanctorum in cælis cum Christo regnantium veneratione & invocatione, Purgatorii loco, &c. *Wilkins*, Tom. IV. *Mansi*, Tom. V.

Concilium Ultrajectense, an. 1565.

A Friderico, Ultrajectensi Archiepiscopo, ejusque suffraganeis concilium hoc, Octobris mense, celebratum fuit. In eo recepta Tridentina synodus, pluresque editæ disciplinæ constitutiones iis consonæ quas superiora concilia protulerant, super parochorum residentia & obligationibus, super agendi ratione in inferioribus clericis, abbatibus, abbatissis, aliisque monasteriorum superioribus, &c. *Mansi*, Tom. V.

Concilium Ravennatense, an. 1568.

Julius Feltrius de Robore, Ravennæ Archiepiscopus, & Cardinalis presbyter, titulo S. Petri ad vincula, concilium hoc cum suffraganeis habuit. In eo, post fidei professionem, edita decreta plura, super hæreticis, libris prohibitis, prædicatione, professoribus in Theologia, Scholæ-magistris, Sanctorum reliquiis, imaginibus, miraculis, diebus festis, jejuniis, maleficiis, superstitionibus, blasphemiis, canonicis, Episcopis, diœceseos visitatione, beneficiorum collatione, &c. *Mansi*, Tom. V. *ex Rubeo*, *Histor. Ravenn.* libr. X. pag. 747.

Concilium Urbinatense, an. 1569.

Concilium hoc Felix Tyrannius, Urbini in Italia Archiepiscopus, cum suffraganeis celebravit. Post fidei professionem, ex ejus forma, quam Pius IV. præscripserat, edidere concilii patres in capitulorum modum statuta numero plura, prout omnino in Ravennæ concilio, & quidem super iisdem argumentis, præstitum fuerat. *Mansi*, *ibid.*

Concilium Capuanum, an. 1569.

Nicolaus Cajetanus, Capuæ Archiepiscopus, & Cardinalis presbyter, titulo S. Eustachii, habuit cum suffraganeis concilium hoc. In eo statuta quæ sequuntur, edita fuere:

1. Episcopi suam omnem operam conferent, ut omnes discordiæ finiant, quæ inter eorum diœcesanos suboriri possent, eosque universos & singulos pacis & charitatis vinculo, mutuo conjungant. Perficient, ut sacramenta omni qua digna sunt, observantia administrentur, eorumque administrationem iis tantummodo demandabunt, qui digni fuerint, & quin quippiam exigant, atque adeo accipiant, ut eadem conferant. Eos omnes graviter punient, qui sacræ Scripturæ verbis abusi fuerint, ut risum excitent, aut invehantur, aut blandiantur, aut ad quemvis alium profanum usum eadem adhibeant.

2. Parochi sal benedictum, aut lustralem aquam sæcularium nulli tribuent, cumque aliquis extra ecclesiam baptizatus fuerit, ad profanum sic vitium vase uti non licebit, in quod effusa fuerit lustra-

lis

lis aqua. Baptisma nunquam extra parochialem ecclesiam, nisi necessitas ita postulet, conferetur.

3. Confirmationis sacramentum nemini unquam ante ætatis annum septimum conferetur, nec, quavis ulla prætexta causa, iterabitur. Confirmatorum puerorum frontem candido linteo sacerdos deterget, in ecclesia ipsa, in qua confirmationem susceperint, nec eorum frons abluetur.

4. Collocabitur Eucharistiæ sacramentum ad altare majus, aut in alio decenti loco, ubi adorari possit. Concludetur in tabernaculo quod a puro auro confectum fuerit, atque in aurea vel argentea pixide, aut in capsula argentea clausaque in aurata pixide lignea, supra corporale, & sub serico velo. Renovabitur saltem bis in mense, & una saltem lampas ardens coram aderit diu noctuque. Extra ecclesiam nemini communio tribuetur, præter quam in peculiari aliqua facti specie quam Episcopus approbaverit. Arcebuntur a primis Missis ludi, choreæ, indecora, sumptuosa convivia. Nemo, Missæ tempore, ullam eleemosynam colliget. Nec clerici, nec laici, vel extra divini officii tempus, in ecclesia garrient aut deambulabunt, nec sinetur in ecclesiarum vestibulis atriisve venalem ullam mercem exponi, ullive prorsus ludo indulgeri.

5. Pœnitentiæ sacramentum, ut & cætera omnia gratis administrabunt confessarii, & religiose cavebunt, ne pœnitentibus pecuniarias pœnas imponant, quæ iis possint emolumento esse.

6. Extremam unctionem deferent parochi in vase stanneo, veloque tecto, cum cereo aut face, & cruce, quæ a clerico gestabuntur.

7. Seligent ordinarii doctos idoneosque viros ad accuratum eorum examen, qui accedent ad sacros ordines suscipiendos, vel ad obeunda officia animarum curam adjunctam habentia. Ordines iis tantum conferent, quos mores, pietas, scientia commendabunt, eosque hortabuntur, ut saltem semel in mense confessionem edant, & eucharistiam sumant. Omnes tonsuram & habitum clericalem deferent. Obstruendas curabunt Episcopi fenestras omnes quæ ad ecclesiam patent, earumque usum interdicent.

8. Dabunt operam ordinarii, ut enuntietur serveturque Tridentini super matrimonio concilii decretum.

9. In omnibus parœciis immobiles parochi iis substituentur, qui hactenus mobiles fuere; atque id quidem intra trimestre spatium.

10. Omnes clerici beneficiarii, vel in sacris ordinibus constituti, ab aleis, cæterisque vetitis ludis omnibus abstinebunt. Probibitus clericus quisque, tonsura licet tantummodo insignitus esset, seu per se, seu per domesticum, seu per quemvis alium, seu in urbe, seu ruri, arma ad offensionem defensionemve gestare. Se clerici nec mercaturæ, nec cuilibet alteri sæculari negotio immiscebunt. Perficient ordinarii, ut festi dies tam a clericis quam a laicis religiose serventur, nec divinum verbum noctu nuntiari sinent. Habebit nemo canonicatus duos, vel cum canonicatu parœciam; vel parœcias duas, vel alia beneficia duo, cujuscumque tandem generis essent, nisi forte eorum unum haud sufficeret ad beneficiarii sustentationem, qui, in hac facti specie, tenere poterit beneficia duo, dummodo personalem ambo residentiam non exigant.

11. Nominabit ordinarius quisque, in sua diœcesi, scientia & probitate perspectis præditos viros, qui ecclesiasticas & spiritales causas, ad Ecclesiæ forum pertinentes dijudicent.

12. E Tridentini concilii mente, puella nulla ad religiosi habitus sumptionem ante ætatis annos duodecim, vel ad professionem ante ætatis annos sexdecim recipietur, & quidem post judicium quod Episcopus ejusve vicarius super novitiæ voluntate, quoad religiosum statum, omnino libera tulerint. Licebit nemini in puellarum monasterium ingredi sine Episcopi ejusve vicarii de scripto venia. Monasteriorum superiores ab hac lege excepti non sunt; eamque quicumque violaverit, excommunicationem *ipso facto* subibit.

13. Clericus qui Dei & Christi Domini vel ejusdem Matris sanctum nomen blasphemaverit, prima quidem vice, privabitur ad annum omnibus suorum beneficiorum fructibus, altera autem vice, spoliabitur omnino eorumdem beneficiorum fructibus; ac demum, si tertio relapsus fuerit, in exilium mittetur deponeturque. Quod si nullum beneficium possidet, eum puniet Episcopus, & ita puniet, ut ad tertiam usque vicem relapsum triremibus ipsis addicat.

14. Clerici maleficiorum, fascinationum & sortilegiorum convicti degradabuntur & in carcerem conjicientur.

Hard. Concil. Supplem. Tom. V.

15. Clerici usurarii mulcta, suspensione, vel carcere, ad Ordinarii arbitratum & pro delicti gravitate, punientur.

16. Punientur sacrilegi secundum canones.

17. Nil pretii statuetur ob viaticum, vel ob sepulturam, vel ob campanarum seu majorum seu minorum sonum, nec denique ob eorum quidpiam, quæ ad funebrem pompam pertinent; sed, post humationem, rogari poterit Ordinarius, ut laudabiles consuetudines servari jubeat. Abradantur mausolea omnia quæ in ecclesiis aut in capellis extant, impediuntque, ne decens earum usus perfici possit. *Mansi*, Tom. V.

Concilium Mechliniense, *an.* 1570.

Pag. 164. *linea prima*, nullæ recipientur nutrices; *lege*, nullæ obstetrices, seu puerperii peritæ fœminæ.

Concilium Florentinum, *an.* 1573.

Antonius Altovita, Archiepiscopus Florentinus, una cum suffraganeis hoc provinciale concilium habuit. Ejus fuere sessiones quatuor, in quibus editi articuli sexaginta tres, rubricarum nomine, quorum plerique in plura capita tribuuntur. In articulo primo recitatur Nicænum Symbolum, profiteturque patres se nullas alias sacrarum literarum interpretationes amplecti, quam eas quas Ecclesiæ traditio confirmat; sacramenta septem & cæremonias ad eorum administrationem præscriptas suscipere; denique Tridentini concilii canonibus decretisque omnibus adhærere.

Secundus articulus facultatem ad prohibitos libros legendos requisitam, eorumque punitionem spectat, qui eos sine hac facultate legunt. Ejusmodi facultas solum ab Episcopo, vel ab Inquisitore concedi potest.

Tertius de decenti ratione agit, qua habendæ sunt Sanctorum reliquiæ. Prohibetur, ne e capsis seu vasibus quæ eas continent, extrahantur, sine Episcopi venia, semperque ad excitandam populorum pietatem, nunquam vero cupiditatis causa.

Quartus qui imagines respicit, eas omnes vetat, quæ obscœnæ essent, aut dedecerent. Supra pavimentum, aut vilibus contemptuque dignis in locis earum nullam extare vult. Sedulo curari jubet, ut populus edoceatur suam se fiduciam in imaginibus ponere non debere, perinde ac si divini aliquid continerent, sed in Deo tantum, tamquam gratiæ prorsus omnis auctore, & in Sanctis, tamquam Dei amicis, hominumque apud eum patronis.

Quintus omni sæculari regularique clerico prohibet, ne quis eorum passionem Christi Domini, Sanctorumve historias resque gestas, sine Episcopi de scripto venia, repræsentet.

Sextus mandat Episcopis, ne nova miracula sine theologorum aliorumque piorum doctorumque virorum consilio approbent.

Septimus magos, ariolos, fascinatores ad infamiam, ad triremes, ad carcerem, ad exilium damnat.

Octavus Judæos vetat festis diebus negotiari, eosdemque jubet diebus tribus qui proxime pascha antevertunt, domi consistere.

Nonus publicas privatasve super fidei negotiis disputationes prohibet, & hæreticos inquiri vult.

Decimus Bullæ a Pio V. in blasphemos editæ executionem præcipit; & undecimus dies festos accurate servari jubet, a quibus comœdias, histrionum ludos & quicquid est iis simile, arceri necesse est.

Duodecimus vetat, ne quis in ecclesiis deambulet, rideat, nugetur & negotietur. Vetat præterea eleemosynas colligi Missæ tempore, eas tamen excipit, quæ pro pauperibus monasteriis aliisve piis locis colliguntur, & has quidem post sacerdotis communionem, cumque Episcopi venia colligi sinit.

Decimus tertius super Ecclesiæ libertatibus & jurisdictione versatur. In hoc vetentur publicæ fœminæ domicilium habere, quod ducentis cubitis propius a puellarum monasteriis, & centum ab ecclesiarum foribus seu aditu distet.

Decimus quartus ecclesiarum reparationibus & unionibus modum statuit; & decimus quintus id designat quod agendum vacantis episcopalis sedis tempore.

Decimus sextus præscribit inquisitionum regulas, quibus opus est, cum id agitur, ut Episcopus eligatur. Perspicienda nempe sunt hæc: an e legitimo matrimonio atque a catholicis natus sit; quæ fuerit ejus educatio, qui sint ejusdem mores, quæ ætas, agendi ratio, modestia, prudentia, sobrietas, continentia, scientia, virtutes omnes, &c.

Decimus septimus qui canonicos afficit, eos vult

doctos esse, virtute præditos, assiduos modestosque, ad divina officia quod spectat, in iis continentes ore, mente, & corde, &c.

Decimus octavus Tridentini concilii aliorumque plurium super sacrificii Missæ celebratione extraneisque clericis canones renovat.

Decimus nonus qui de divino verbo nuntiando agit, Episcopos per Domini nostri viscera cohortatur, ut prorsus ex animo illud enuntient ipsi per se; cumque non poterunt, viros eligant, qui eorum loco huic obeundo muneri pares sint. Concionatores sacras litteras ex Ecclesiæ & Patrum traditione explicabunt, evitantes accommodationes historiasque frivolas & apocryphas, perinde inanem eloquentiam vanamque verborum farraginem, quibus salutis & Christi Domini crucifixi scientia nequaquam proposita est.

Vicesimus, quod tot alia concilia præstiterunt, id statuit, quod theologalem præbendam spectat.

Vicesimus primus puerorum catechismum proponit; & vicesimus secundus agit de seminariis, in quæ debent Episcopi eos tantum recipere, quos mores, religio, modestia & bona voluntas commendatione dignos efficiant.

Sequentes articuli, ad usque vicesimum septimum, non hunc tamen ipsum, beneficia & beneficiarios afficiunt, &, ad hanc rem quod attinet, leges a superioribus conciliis editas renovant.

Vicesimus septimus Episcopis mandat, ut saltem altero quoque anno suarum diœceseon visitationem peragant, in iisque remedium abusibus afferant.

Vicesimus octavus qui sacramenta eorumque administrationem spectat, parochis mandat, ut vulgari lingua super horum salutarium signorum effectis & virtute fideles sibi subditos doceant.

Articuli qui sequuntur, ad tricesimum sextum, non eum tamen ipsum usque, de sacramentis singulis, baptismate, confirmatione ac reliquis agunt, & anteriorum conciliorum super hoc negotio statuta repetunt.

Tricesimus septimus qui inscribitur *de vita & honestate clericorum*, superiorum & ipse conciliorum, quoad clericorum vitam & agendi rationem, statuta repetit.

Tricesimus octavus adulteros, & tricesimus nonus usurarios impetunt.

Quadragesimus contractus ad censum e Pii Quinti Bulla, transigi sinit.

Quadragesimus primus simoniam impugnat.

Quadragesimus secundus agit de jejunio; quadragesimus tertius de decimis.

Quadragesimus quartus super ecclesiæ bonorum recuperatione versatur.

Quadragesimus quintus super indulgentiis.

Quadragesimus sextus super processionibus.

Quadragesimus septimus super funeribus.

Quadragesimus octavus super sepulcris, a quibus arcentur militaria ornamenta omnia.

Quadragesimus nonus super sollicitudine qua fœminæ quæ lac præbent, cavere debent, ne infantibus spiritum intercludant.

Quinquagesimus super piorum locorum administratione.

Quinquagesimus primus super laicorum sodalitatibus.

Quinquagesimus secundus super religiosarum clausura; in eoque requiritur, ut earum confessarii & capellani ætate simul & virtute provecti sint.

Quinquagesimus tertius super medicis, quibus interdicitur, ne tertio ægrotantem visitent, qui confessus non fuerit.

Quinquagesimus quartus super testamentis.

Quinquagesimus quintus super tribunalium ad judicandas causas competentia.

Quinquagesimus sextus & septimus super judicibus delegatis.

Quinquagesimus octavus super excommunicatione in cujus usu prudentiæ & moderationis multum requiritur.

Quinquagesimus nonus super pœnis quas, consulto & adhibita circumspectione, debet Episcopus iis imponere, qui canones transgrediuntur.

Sexagesimus & sexagesimus primus super conciliorum canonibus quos ad litteram & prout verba sonant, intelligi oportet.

Sexagesimus secundus super Bullarum enuntiatione, quas Summi Pontifices ediderunt.

Sexagesimus tertius idemque postremus articulus concilii conclusionem propositam habet. *Mansi*, Tom. V.

Concilium Neapolitanum, *an.* 1576.

Marius Caraffa, Archiepiscopus neapolitanus, habuit cum suffraganeis concilium hoc, in eoque statuta evulgavit quinquaginta septem iis gemina, quæ superius concilium ediderat. *Mansi*, *ibid.*

Concilium Cosentinum, *an.* 1579.

Fontinius da Petrignano, Cosentinus Archiepiscopus, concilium hoc Maji die 10. celebravit, in eoque statuta numero plura enuntiavit iis consentanea, quæ e superioribus conciliis retulimus. *Mansi*, T. V.

Concilium Memphiticum, *an.* 1582.

Memphis in Ægypto concilium hoc coactum fuit Decembri mense, Gregorii XIII. Summi Pontificis jussu. In eo habitæ sessiones tres, quarum secundæ Patriarcha Alexandrinus interfuit. Super hæreseon Nestorii & Dioscori, superque Coptorum cum Romana Ecclesia conciliatione versatum concilium est. *Regin. XXXVI. Labb. XV. Hard. XI.*

Concilium Salernitanum, *an.* 1596.

Marius Bologninius, Archiepiscopus Salernitanus, concilium hoc celebravit, quod complura, in capitulorum modum, statuta edidit.

Recipitur in primo sanctum Tridentinum concilium, & e formula a Pio IV. præscripta suam fidei professionem patres emittunt.

Caput alterum *de librorum usu*, *de Christi Domini rebus gestis*, *de Sanctorum repræsentationibus*, *de libellis famosis* inscriptum est. In eo vetantur libri omnes fidei moribusque contrarii, mandaturque, ut catholicus quisque suorum omnium librorum accuratum catalogum texat, & ad Episcopum vel ad ejus delegatum deferat, ut judicare possint, quos ab iis tandem ex eorum librorum numero servari liceat, quosque iidem flammis ineluctabiliter devovere debeant. Prohibentur etiam omnes typographi & bibliopolæ venalem ullum librum exponere, antequam bona fide suorum omnium librorum indicem in Episcopi vel ejus delegati manus tradiderint. Vetatur præterea, ne ullo in loco, seu sacro, seu profano Christi Domini passio repræsentetur, abusuum causa, qui in ejusmodi repræsentationes irrepunt.

Tertium caput commendat parochis, ut singulis dominicis festisque diebus catechismum pueris proponant, clericisque, suis ut parochis in hac exercitatione suppetias ferant.

In quarto capite, quod de divini verbi enuntiatione agit, concionatoribus commendatur, ut primum omnium exemplo prædicent, suis in sermonibus obscuras & scholasticas quæstiones evitent, perspicuumque & intellectu facilem in modum salutis veritates enuntient. Vult synodus, ut parochi quibus nihil ad prædicationem roboris ingeniique est, suis parochianis patrum aliorumve sermones & homilias legant, quæ ab Episcopo approbatæ sint.

Præcipitur in quinto capite theologalis præbendæ juxta Tridentini concilii decretum erectio.

Caput sextum prudentem circumspectamque erga Sanctos eorumque reliquias venerationem commendat. In eodem mandatur, ut cruces omnes de medio tollantur, quæ pictæ impressæve supra ecclesiarum pavimentum occurrerent, impediendi gratia, ne pedibus conterantur.

Septimum caput pravas omnes consuetudines, omnesque superstitiones extirpatas vult; octavumque festorum dierum sanctificationem præcipit, a quibus ludos, cursus, choreas, comœdias aliave id genus omnia spectacula, convivia, profanos cœtus arceri jubet.

Nonum caput super Ecclesiarum ornatu versatur. In eo mandatur, ut ab iis perinde atque a cœmeteriis adimantur omnis generis sordes, pulvisculi, aranearum telæ, arbores, arbusta, radices, spinæ, vineæ &c. Damnantur externæ fenestræ, e quibus audiri Missæ possint, quæ in Ecclesia dicuntur; prohibeturque, ne qua merx ullumve instrumentum in iisdem ponatur. Nulla erit importatio vel exportatio a clericalibus domibus ad Ecclesiam, aut ab Ecclesia ad clericales domos. Non fiet Ecclesia transitus locus, nec in ea mendicantes tolerabuntur. Tecta erunt altaria mappis tribus, quarum postrema ad extremam altaris partem usque descendet, iisque cærulea tela imponetur, ut a pulvere custodiantur, &c.

Decimum caput quod de Sacramentis agit, renovat confirmatque, quicquid super eorum dispositionibus & qualitatibus, qui Sacramentorum ministri sunt, in cæteris conciliis occurrit; quicquid etiam in iisdem statutum est de animo a privati emolumenti cupiditate alie-

te alie-

te alieno, quam ipsi in ejusmodi administratione exbibere debent, &c.

Saptem quæ sequuntur, aapita super septem Sacramantis varsantur, & decimum octavum de clericorum vita & moribus agit.

Decimum nonum Missæ calebrationem propositam habet. In en Sacerdotibus commendstur, ut sacrum facturi magna conscientia puritate sint, Missam praparent, ante quam inchoent, ad evitandos errores, &c.

Vicesimum ad divinum Officium, & vicesimum primum ad capitula & Canonicos referuntur. Vicesimum secundum da parœciis agit; vicesimum tertium de Ecclesiasticis beneficiis; vicesimum quartum de residentia; vicesimum quintum de hospitalibus aliisqua piis locis; vicastmum sextum de sanctimonialibus; vicesimum septimum de usura; vicasimum octavum de arcbiviis; vicasimum nonum illudque postremum da provincialis concilii servandi ratione. *Mansi*, Tom. V.

Concilium Montis-Libani, an. 1596.

Gaorgius Petrus, Antiochanus Patriarcha, concilium hoc Septambri mense una cum pluribus Abbatibus Presbyterisque, coram patre Hieronymo Dandinio, Jasuita, Clamentis VIII. nuntio celebravit. In eo damnati errores quos nonnulli Maronitis Montis-Libani tribuebant, ut, qui in Christo Domino non nisi naturam unam, unam voluntatem, operationem unam admittarent; nagarent Spiritum sanctum a Patre procedere, &c. Atque in eo aditi unus & viginti disciplinæ aanones super Baptismate, Confirmatione, Casibus reservatis, Missali Romano quod adoptatum fuit, sacris Vasibus quæ argentea, vel aenea saltem aut stannea, nunquam vero lignea essa jubet. Mansi, *ibid*,

Concilium Sanctæ Severinæ, an. 1597.

Franciscus-Antonius Santorius, Sanctæ-Severinæ Arabiepiscopus, quæ Archiepiscopalis est in ulteriore Calabria Italiæ urbs, hoc provinciale concilium e suffraganeorum consilio sententisque coegit. In eo edita, secundum Romanæ Ecclesiæ symbolum, Fidai profassio; aamqua ut pro sua virili parte servarent, Episcopos hortati sunt concilii Patres. In eo dainda enuntiati disciplinæ canones numero plures super librorum dalectu, Sacræ Scripturæ varborum abusu, superstitionibus, repræsantationibus, imaginibus, doctrina in scbolis & cathadralibus Ecclasiis tradenda, superque aliis demum capitibus qua toties in conciliis compluribus rapetita. Extat boc in numero articulus qui Græcos spectat, ubi dicitur, quandoquidem aorum axamptionas & omnia privilegia Pius IV. summus Pontifax revocavit, proinde fore, ut iidem in postarum Latinorum Episcoporum jurisdictioni, visitationi & correctioni subsint, *Mansi*, ibid.

Concilium Amalphitanum, an. 1597.

Julius Rossinius, Amalphia Archiepiscopus, qua Italia in citeriore Neapolitani regni provincia Archiepiscopalis urbs, coegit boc provinciale concilium, 8. Maji die, Clamante VIII. Pontificatum tenente. In ao racepte Tridantina synodus, editæqua peculiaribus capitibus super disciplina constitutiones numaro plures. Ea porro super argumentis versentur, de quibus in superioribus conciliis actum. Nos quidem aliquas tantum sanctiones notabimus, qua Amalphitani concilii propria & peculiaria sunt, aut saltam non ita communis, neque ita in conciliis cateris reperita. Ut exemplum afferam, in capita de libris prohibitis, dicitur defuncti hæredes, ejusve executores testamentarios librorum nullum, quos is ralinquerit, vendere aut alianare possa, sine Episcopi venie, cui fidalis aorumdem index exhibendus erit. Additur Episcoporum fore idoneos viros eligere, qui identidam bibliopolarum officinas invisant, perficiantque, ut vatiti libri exponentur. Legitur in capite de prædicatione, oportate, ut ei cum universo urbis Clero Episcopus adsit, eamdemqua viri seorsim e fœminis audiant. In capita de lectiona theologica legitur peragenda bis in hebdomada, quin unquam prætermittatur, in cathedrali Ecclasia super conscientiæ casibus lectio cui omnes confessarii, omnesque Presbyteri quibus animarum cura fuerit, intaresse debebunt, ei aliam pœnæ secus obnoxii, ut confessiones audiendi facultate, officioque in animarum cura posito destituantur. In capite da scholis vetatur, ne qua thesis publica propugnetur, quam non Episcopus viderit & approbaverit. In capite de celebratione Missa, Sacerdotes jubentur quotidie, antequam eam celebrent, confessionem adere, alboque vino, quoad fieri potarit, in asdem uti, propterea quod per quorumdam sacerdotum negligentiam, cum rubri vini usus in missa fit, purificatoria & aorporalia adeo fœda & fastidiosa comperiantur, ut horrorem afferant. Sacrum non fiet, quin adsint accensæ ceræ faces duæ, targentutqua singulis babdomadis calices quorum fuerit ad illud usus, ac deinde aqua in piscinam fundetur. Ad missam primum dicendam namo recipietur, quin super Missæ cæremoniis examen subierit, ac si defecerit in earum aliqua, ab altaris ministario sex mensium spatio suspensus erit, & pro Episcopi arbitratu punietur.

In capite de jejuniis, jubentur Episcopi punire medicos qui ad jejunii seu abstinantiæ dispensationem concadendam se, quam par est, faciliores ostendunt, itemqua eos qui coquunt, vel quacumqua demum ratione parant fercula jejunii diebus prohibita.

In capite quod inscribitur, *de cultu & veneratione sanctarum Ecclesiarum*, præcipitur, ut semper adsint super altari mappæ tras, quarum una protendatur ad terram usque, reliquæ duæ totam altaris mensam contegant, ita scilicat, ut mappas duas mutuo distinctas separatasque, non unam tantum in duas complicatam conficiant. Aquæ sanctæ vas arit e marmore solidove lapide; nec extra sad intra Ecclasiam collocabitur, & quidem ad ingressum atqua ad dexteram, nunquam vero ad sinistram eorum partam, qui in Ecclesiam ingrediuntur. Semper huic vasi affixum aderit a filo serico, non e spongia aspersorium. Æris campani sonus haud profanis usibus, pœnisva ad quas terendas trahuntur rei, significandis inserviet. Æs campanum maximum ad majoris Missa elevationam pulsabitur, ut absentes de spirituali communione percipienda moneantur; mediamque post noctem hora, sonabitur tribus vicibus, ut monitus populus pro fidalibus defunctis oret.

In uno capitum da baptismate, damnetur abusus in eo positus, ut chirothecæ, vel aqua benedicta *compaternitatis* appellata mitterentur, ea animo insidente sententia spiritalem affinitatam cum iis contrahi, ad quos ejusmodi res mittebantur.

In capitibus super Eucharistiæ sacramanto versantibus, præcipitur, ut ea servetur in altaris maximi tabernaculo, aliove decenti loco, nullumque aliud vas cum eo collocetur, in quo continetur Christi Domini corpus, quod quaque saltem decima quinta die sedulo renovabitur. Jubetur atiam, ut semper adsit ardens lampas, non ad loci latus in quo illud deponetur, sed præ medio loco ipso.

In capite de pœnitentia vetantur confessarii fœminarum confessiones, extra Ecclesiam, vel ante solis ortum, aut post ejusdem occasum excipere.

In capita da sepulturis prohibetur, excommunicationis indicta pœna, ne quid vel minimum exigatur, humationis atque adeo Sacramentorum administrationis causa. Denique prohibetur, ne fœminæ quæ præficæ, seu ploratrices vocantur, in funeribus tolerentur, jubenturque Clerici humationem intermittere, siquidem ejusmodi fœminæ conticescere & abire renuerint. Sacerdotes sua cum alba sepulturæ dari jubet.

In capita cui titulus, *de Episcoporum vita*, dicitur eorum virtutem non minus quam dignitatem, eminentem essa debere; oportere, suos ut diœcesanos tamquam fratres & filios iidem diligant; ac tum quoque, cum eos punire coguntur, punitionis acerbitatem charitatis & miserationis suavitate molliant. Nibil erit in eorum vitæ ratione, quod luxum, pompam, vanitatem sapiat; at simplicitatem, gravitatem, moderationem, pietatam, temperantiam, frugalitatam, &c. exhibebunt omnia. Sa sollicitos dabunt, ut pauperibus miserisque omnibus opem afferant, & patrocinentur. Prope suas cathedrales Ecclesias residebunt, ut illinc assidue suis ovibus invigilant, iisque ipsi per se daserviant. Earam quoqua visitationem peragant, percurrentes singuli diœceses suas, ut ex iis abusus axpellant. Eos omnes qui ad eos confugerint, in primis vara pauperes miserosque humaniter audient recipientqua.

In capita *de Vicariis foraneis*, horum officium in eo positum dicitur, ut omnibus Claricis & peculiariter Parochis invigilant; eosque congregent semel in mense, ut, quod opus fuarit, corrigant & in ordinem redigant.

In capita da Canonicis, jubentur hi Missæ sacrificium sæpissime celabrare, choro assidui esse, ut ibidem divinum officium concinant ipsi per se, nec ante egredi, quam illud absolutum fuerit.

Quod ad clericos, canonicos aliosque generatim attinet, omnes & singuli semper seu interdiu seu noctu, seu extra seu intra diœcesin, utentur exteriore veste,

veste, quæ ad talos usque descendat. Nulli profano spectaculo, nullique alearum ludo, vel solum ludentes spectandi causa, & quin ipsi ludant, intersint.

Legitur in capite de sacrista, eum debere a sacristia vanos profanosque sermones, clamores, rumores, disputationes, altercationes eliminare, nec laicos ibidem pati. Operam dabit, ut admodum apte nitideque teneat calices, patenas, corporalia, pallas, mantilia, urceolos qui semper erunt vitrei, &c.

In capite de cæremoniarum magistro dicitur, ei omnes, adeoque canonicos ipsos in dignitatibus constitutos, in rebus ad ejusdem officium spectantibus obedire debere.

Ea est concilio mens, ut in musica & in organis nihil profani aut lascivi locum habeat, nec alia ad divinum officium instrumenta, sine Episcopi venia, tolerentur.

Leguntur inter alias, in capite de puellarum monasteriis, quæ sequuntur constitutiones.

Cum in ea quispiam ingredietur, pulsabitur tintinnabulum, ut religiosæ suas in cellulas aliove sese recipiant, ita quidem, ut ab eo qui ingressus est, perspici nequeant. Vetantur moniales, nisi præsente Abbatissa, aut e monialibus, quam ipse designaverit, & quidem e colloquii post clathros duos, nigra tela tectos, externam ullam personam alloqui. Vetantur eædem alias habere famulas quam sorores quas conversas vocant, easque solum pro communitate universim, non autem pro monialibus singulis. In dormitorio clave obstructo cubabunt omnes, suisque in cellulis profanam nullam picturam tabulamve, sed Christi Domini, Sanctorumque tantum imagines detinebunt. Habitum regulæ congruum gestabunt, nunquamque, relaxationis ergo, aut quavis alia adducta causa, sæcularia seu virorum seu fœminarum propria indumenta sument. Admodum breves capillos deferent, alteri non deservient, non canes alent, curiositatem inutilesque sermones vitabunt, fervorisque, pietatis, religionis, modestiæ, mansuetudinis, obedientiæ, patientiæ, prudentiæ, gravitatis &c. multum in omni agendi ratione præseferent. *Mansi*, ibid.

Concilium Diampericense, an. 1599.

Diamperii in Indiis Orientalibus, ad Coromandelensem oram, prope urbem sancti Thomæ, seu Malioperam, Goæ Archiepiscopus concilium hoc in Nestorianos aliosque hæreticos celebravit. In eo singillatim anathemate perculsus Babylonis Patriarcha, agnitusque Papa tamquam Christi Domini Vicarius, universæque Ecclesiæ caput. *Hard.* Tom. XI.

C O N C I L I A

SÆCULI DECIMI SEPTIMI.

Concilium Aquense in Provincia, an. 1612.



Aulus Huroltius de Hospitali, Aquensis Archiepiscopus, hoc concilium coegit, ut in eo Edmundi Richerii librum cui titulus, de ecclesiastica & politica potestate, censoria virga notaret.

Concilium Mesopotamiæ, an. 1612.

Elias, Babylonis Patriarcha, convocavit concilium hoc, ut fidei professionem a summo Pontifice Paulo V, propositam amplecteretur.

Concilium Giasense, seu Jassiense, an. 1642.

Kioviæ Metropolitanus, adsistentibus ejus palatinatus Episcopis tribus, nonnullisque Græcæ communionis presbyteris, hoc concilium habuit Giesii seu Jessii seu Yacii, quæ Moldeviæ ad Pruthium flumen urbs, viginti quinque aut triginta leucis a Poloniæ finibus procul. In eo recepta firmataque decreta synodi, quam in Calvinistarum super Eucharistia doctrinam, a Cyrillo Lucaro disseminatam Parthenius, Constantinopolitanus Patriarcha, celebraverat. *Eucharistia fidei perpetuitas*, Tom. I. & IV.

Concilium Hierosolymitanum, an. 1672.

Dositheus, Hierosolymitanus Patriarcha, concilium hoc per encyclicam epistolam convocavit, quam ad omnes Episcopos omnesque christianos catholicos misit. Explicat in hac epistola indicti concilii causam; necessitatem videlicet refellendi respuendique Calvinistarum Galliæ calumnias qui Orientis Ecclesiæ errores suos adscribere non erubescunt. Rejicit deinde Cyrilli Lucari confessionem, eamque omnino non esse pronuntiat, quam Orientalis Ecclesia tenet. Testatur e contra ab hac semper articulos qui in ea hæretica confessione continentur, damnatos fuisse; Cyrillum ipsum Lucarum eos oretenus non sine execratione damnasse, eumdemque a frequentissimis conciliis duobus anathemate perculsum fuisse, propterea quod eos etiam e scripto damnare recusasset. Affert sermonum homiliarumque fragmenta plura, quos Cyrillus Lucar populo, cum Constantinopolitanus Patriarcha esset, prædicabat, ut probaret se Lutheranorum & Calvinistarum erroribus, quemadmodum hi quidam ei persuadere voluissent, nulla prorsus ratione favere. E quibus concludit, quandoquidem ejusmodi excerpta e diametro Lutheri & Calvini erroribus opponebantur, non aliunde quam ex atra calumnia derivari posse, ut iidem Cyrillo Lucaro tribuerentur. Verum, facta hypothesi, confessionem quæ ejus nomen præfert, ipsius vere opus esse, contendit Dositheus ostenditque Orientalibus eam prorsus ignotam fuisse, tum quia Episcoporum inferiorumque Clericorum nullus eidem subscripsit, tum quia nihil ejusmodi in magnæ Constantinopolitanæ Ecclesiæ actis ac tabulariis occurrit, in quibus transcribitur quidquid super fide, moribus aut disciplina Ecclesiæ regimine in synodalibus Patriarchæ ejusque cleri actibus actum est; quemadmodum ibidem id reapse transcriptum est, quod Patriarcha Jeremias in Lutheranos edidit, quodque a Theodosio Zygomala, viro inter Ecclesiasticos apprime noto, magnique nominis rhetore firmatum fuit, tametsi Jeremias nullum super hoc negotio concilium coegisset, e suique tantum animi motu scripsisset. Quoniam ergo Cyrillus Lucar non eamdem circumspectionem adhibuit, nec iisdem formulis usus est, est meridiana luce clarius fidei confessionem quæ ei tribuitur, dubio procul suppositam esse, aut si revera ejus est, ipsius quidem peculiaria sensa exhibere, minime vero Orientalis Ecclesiæ sententiam testari.

Percurrit deinde Patriarcha Dositheus heterodoxos omnes articulos quibus Cyrilli Lucari confessio inferta est, quique Orientali Ecclesiæ tribuuntur, probatque eam omnino contra sentire.


1. Ecclesia hæc, inquit, nunquam Episcopatum cum Sacerdotio confudit, semperque Sacerdotii gradus singulos inter se reapse distingui censuit.

2. Eadem recipit Sacramenta septem, sacras imagines, venerabile Crucis signum, sanctorum Reliquiarum cultum, preces pro mortuis, &c. Patriarcha Dositheus finem fecit exponens Orientalis Ecclesiæ fidem quam tribuit in octodecim capita, Romanæ Ecclesiæ fidei penitus consentanea. *Hard. XII.*

Concilium Constantinopolitanum, an. 1672.

Dionysius, Constantinopolitanus Patriarcha, celebravit Januario mense, in suis Patriarchalibus ædibus concilium hoc quod super eodem ac superius argumento versatum est. Ejus idem etiam exitus fuit. In eo damnati Lutheranorum & Calvinistarum errores, tamquam concordi Orientalis Ecclesiæ fidei contrarii; & concilii solemne decretum a Patriarcha Dositheo in oratoris manu positum fuit, ut in Gallias mitteretur, & in Regia bibliotheca collocaretur, tamquam Orientalis Ecclesiæ fidei authenticum monumentum.

SUP-



SUPPLEMENTUM AD ANALYSIN CONCILIORUM.

A



ABBATES. Hujus Analysis Tom. III. pag. 2. linea 4. dicitur in Gallia professionem tacitam non agnosci; *adde*, nisi de Melitensium Equitum Ordine sermo sit.

Ibid. pag. 2. linea 26. oportere dicitur, ut, qui eligi possunt, ea ætate sint, quam canones postulant; ætate scilicet annorum viginti quinque. Addendum erat, hos annos viginti quinque, ex anni 1742. Declaratione, completos esse debere, quamvis, e communi jure, inceptos esse sufficiat.

Ante nonum sæculum, Abbatum plures Diaconi tantum erant, iisque ab eodem sæculo, *Præsulum*, *Antistitum*, *Prælatorum* latini tituli tributi sunt, atque adeo Abbatissæ ipsæ nonnunquam *Prælatæ* vocantur, ut in Aquensi concilio an. 802.

Dubitari non potest, quin, communi jure, & in Ecclesiastica hierarchia, Episcopi supra Abbates honore seu prælatione & jurisdictione gaudeant. Contraria tamen exempla non desunt. S. Columbanus, cum Hyense monasterium an. 580. in Scotia fundasset, omnem regionem & Episcopum ipsum, tamquam Abbas, suæ jurisdictioni subdidit. Verum hac in re Columbanus id egit, quod sanctis regulis adversatur; id enim discriminis inter Episcopi & Abbatis jurisdictionem interest, quod ea quidem divini, hæc autem Ecclesiastici juris est. Cernitur etiam Abbatem Montis-Cassini eadem olim in aliquos Episcopos jurisdictione potitum esse. Singularia hæc privilegia nitebantur aliquorum summorum Pontificum concessione. Concilium an. 1126. Romæ habitum Abbati Montis-Cassini concessit *Abbatis Abbatum* titulum, de quo Cluniacensis Abbas cum eo contendebat. Hic vero detrimentum, sumpto Archi-abbatis titulo, reparavit. *Dictionarium Diplomatica*, Tom. I. pag. 24. & seq.

Tom. III. hujus Analysis, pag. 3. lin. 26. & seq. Affertur glossa quæ religiosorum excommunicationem, qui sæcularem clericum percussissent, Papæ reservat. Addendum erat, Bonifacium VIII. eam Episcopis veniam dedisse, ut ejusmodi excommunicationem ipsi infligere possent. *Cap. Religioso 20. de sentent. excommun. in 6.*

ABSENTIA, quoad Matrimonium. Tom. III. hujus Analysis, pag. 8. legitur, si mulier bona fide ad secundas nuptias transierit, priore viro in vivis agente, si a posteriore viro filios genuerit, si demum ante horum filiorum ortum, ejus bona fides nunquam cessaverit, filios e secundis nuptiis susceptos legitimos fore. Id sane verum est, at non satis; dicendum erat, ac si ejus bona fides ante horum filiorum conceptionem nequaquam cessaverit, nihil obesse, quominus iidem filii, licet post bonæ fidei cessationem in lucem editi, legitimi tamen sint.

ÆTERNITAS. Ut futurarum pœnarum æternitati unus tantum probabilitatis gradus contra inverisimilitudinis gradus centum suppeteret, eam nihilominus, quod impii faciunt, secus ac decet, aspernari & deridere, brutalis & monstrosa temeritas esset, ob extremum periculum cui subest, quicumque eamdem contemnit, siquidem existit, quantumvis parum ejus existentia se proderet. Ita sane infernus, horrendus ille damnatorum carcer suis cum ignibus, suaque cum æternitate, non esset contemptu dignus, tam licet probationibus spoliata esset ejus æternitas, quam longe pluribus ita firmatur, ut nullus prorsus reliquus sit de ea dubitandi locus. Id videlicet ostendere aggredimur, non utcumque, nec superficie tenus, sed ea prorsus sedulitate diligentiaque, quam requirit argumenti gravitas; & quoniam non deest auctor qui proponere non vereatur Christum Dominum oblitum esse dicere inferorum pœnas in sua duratione æternas fore, initio statim Christi Domini verbis ipsis hanc terribilem veritatem fulciemus; his addemus solida bene multa rationum momenta; finem denique difficultatum solutio, quæ ei opponuntur.

Christi Domini verba super inferni pœnarum æternitate,

Nobis ergo Christus ipse Dominus palam facit, se aliquando super supremæ suæ Majestatis solio sedentem, ut omnes homines judicet, sententiam hanc in reprobos pronuntiaturum: ite, maledicti, *discedite a me, maledicti, in ignem æternum*; miserosque reprobos, post hanc formidandam sententiam, reapse in æternum supplicium ituros: *ibunt hi in supplicium æternum*; dum justi in optandum vitæ per omnem æternitatem beatæ sinum ferentur: *justi autem in vitam æternam*.

Verba hæc super pœnarum quibus reprobi subERUNT, æternitate nullam dubitationem relinquunt, quippe quæ perspicue probant eos semper passuros, *ibunt in supplicium æternum*, & quod inde consequitur, in inferis non remansuros, quin ibidem patiantur, quod aliquibus in mentem venit; atque æternitate proprie dicta tristem eorum conditionem æternam fore, quoniam eorumdem æternam damnationem æternæ electorum felicitati opponit Christus Dominus; alterutrumque conveniat, necesse est, aut electorum felicitatem æternitate proprie dicta æternam esse non debere, aut, siquidem hæc ejusmodi esse debet, ejusmodi quoque reproborum damnationem fore; secus, nulla esset inter utramque oppositio; & Christus Dominus in errorem nos induxisset, utpote qui in eodem decreto, in eademque propositione, unum idemque vocabulum duplici prorsusque alia significatione adhibuisset.

His adeo claris & peremptoriis verbis addi possent alii, tam ex veteri quam ex novo testamento, sacrarum litterarum textus innumeri, in quibus dicitur reproborum pœnas *in sæculorum sæcula* duraturas; eos urendos *igne qui non extinguetur*; *eorum vermem non mori*, &c. qui sane textus pœnarum alterius vitæ sine fine durationem, earumque æternitatis proprie dictæ dogma, quale scilicet Ecclesia jam inde ab origine universim constanterque credidit & docuit, invicte statuunt.

At, inquiet aliquis, occurrunt in sacris litteris textus plures, in quibus hæ voces, *æternum*, *æternitas*, intelligi debent metaphorice, seu de æternitate minus proprie dicta, quæ nihil aliud quam longam durationem, seu longum temporum spatium significat; ita sane; sed hi tamen textus, essent licet numero plures quam sunt, eorum quos modo ad alterius vitæ pœnarum proprie dictam æternitatem probandam attulimus, nec vim nec perspicuitatem everterent; quia in textibus qui earum pœnarum æternitati minus proprie dictæ favere videntur, aliquid semper adest,

quod

quod magnam solum antiquitatem designat, ut cum dicuntur *colles æterni & æternitates*, aut tam longam durationem significat, quam rerum de quibus sermo est, natura & conditio pati possunt; dum contra in allatis monumentis, quidquid ea comitatur, proprie dictam æternitatem aperte innuit, fierique omnino non potest, ut aliter explicentur, quin torqueantur, iisque vis inferatur.

Rationum momenta, quæ pœnarum æternitatem probant.

I. Pœnarum de quibus agimus, una & unica æternitas est suapte natura continendis hominibus apta res, spectato corruptionis statu in quem post protoparentis peccatum se dejecerunt. Quodvis aliud obstaculum haud satis firmum esset, ut vehementi quasi torrenti opponeretur, qui eos ad malum trahit, quia, sublata pœnarum æternitate, nihil obestet, quominus tranquillo tutoque animo esse, ut suis se cupiditatibus dederent, ipsi sibi blandientes ea spe, fore, ut pœnæ quibus se subluunt, aliquando finem habeant, eb iisque, cum ad certum tempus perpessi fuerint, liberi sint. Necesse ergo fuit, ut Deus, tamquam supremus universi legislator, formidandam de pœnarum æternitate sanctionem ferret, qua homines in officio contineret, eorumque mores, ut par erat, moderaretur; & quamvis hæc sanctio, quemcumque tandem horrorem adjunctum habeat, nequaquam sufficiat, ut eos omnes reapse retineat, qui eam credunt, eadem tamen non minus sufficit, ut supremi legislatoris qui eam tulit, sapientiam in tuto ponat; est enim apprime idonea ipsa per se, ut terrore mortales obruat, & ad oram abyssi peccati immotos reddat, tametsi plerique non proinde sibi temperent, quin ad hanc abyssum convolent, in eamque, furentium in modum, se præcipites dent, pravarum scilicet suarum cupiditatum impetu ac furigine abrepti, quibus obluctari possunt ac debent, quin eos Deus, adempta libertate, sensus hac in re impotes reddere necesse habeat.

II. Si qua est providentia, quemadmodum hac de re dubitari non potest, æternæ in alio mundo mutationes pœnæque sint, oportet. In hoc quidem depravationes omnino, quoad plura capita, dominantur; rerum nulla, quæ in eo continentur, nos perfecte beatos reddere potest, atque ad perfectam beatitatem nobis comparandam, inter facultates nostras resque multiplices e quibus cumulatam nostram felicitatem derivari posse fortasse nobis facile videretur, haud satis apta proportio est; talenta cernuntur, quæ necessario sepulta sunt & exeri nequeunt; præpostere instituta societas est; innumeraque individua alienum prorsus locum tenent; qui obedire deberet, imperii baculum gestat; quique imperare deberet, se ad mancipii obedientiam redactum videt; persæpe impius prosperitate gaudet ac bonis affluit, dum justus, rebus omnibus omnino spoliatus, in vinculis & veluti brachiis miseriæ gemit. At quoniam præsens mundus depravationis mundus est, sit ergo mundus alius, oportet, in quo ordo plene & semper dominabitur; in quo inter animos nostros eorumque felicitatis argumenta causasque aderit æqua ratio; in quo locum sibi congruum quisque occupabit, in quo talenta facillime poterunt explicari, quoque lubebit, efferri; in quo societates erunt probe compositæ; boni omnes in divinitatis sinu conjuncti; improbi, supra alios alii, in tormentorum centro congesti, tamquam totidem æterni Numinis justitiæ immolatæ victimæ. Ergo bonorum & malorum æternitas omnia in ordinem rediget, omniaque & in perpetuum restituet. Existit ergo hæc, ac si non existit, non amplius justitia, non sapientia, non providentia in Deo est, adeoque Deus non amplius est.

Difficultates contra pœnarum æternitatem.

I. *Difficultas.* Magis est misericors bonusque Deus, quam ut suas ipse creaturas æternum puniat. Ejusmodi acerbitas cujus una ipsa notio horrori est, cum infinita bonitate quæ in supremo infinitoque perfecto ente agnoscenda est, consociari non potest.

Responsio. Hæc difficultas, omnium gravissima, aut saltem speciosissima, quæ contra pœnarum æternitatem proponi possint, a nostræ imaginationis imbecillitate, a falsis quas ipsi nobis affingimus, divinæ bonitatis notionibus, & ab immodico quo erga nos ducimur, amore originem sumit.

Nostra quidem adeo imbecillis imaginatio est, ut ad eam turbandam perterrendamque non sit æternorum suppliciorum horrenda pictura opus; una ipsam minorum perpessionum imago frangit percellitque. An ergo mirum lubit eam ipsam innumerabilium adeoque multiplicum, per immensum totius, quam late patet, æternitatis spatium, suppliciorum aspectu ita terreri, ut ab eo se removeat, veluti ab horrendo phantasmate, quod solidi nihil habet, conetur que in suam ipsius incredulitatem rationem trahere?

Ad imaginationis terrores accedit haud satis æqua mens, quæ falsam divinæ bonitatis notionem sibi ipsa confingit. Est bonus Deus; quis id in dubium revocat? Est etiam infinite bonus, ac desineret Deus esse, si fines admitteret ejus bonitas; at ejus non eædem prorsus atque hominum, bonitas, pietas, misericordia, clementia sunt. In his bonitas, miseratio, clementia sunt sæpenumero quædam imbecillitates, defectus, imperfectiones, passiones, effecta demum, quæ corporis habitudinem consequuntur; in Deo sunt virtutes & perfectiones omnino puræ, quæ a suprema ratione ortum trahunt, & cum ea confunduntur. Id ergo divinitati congruit, ut suum in scelestos homines agendi modum non ad cæcæ miserationis infirmitatem, sed ad ejus splendidæ rationis immutabiles regulas exigat. Quid de Principe diceretur, qui, bonitatis obducta specie, nunquam morte, ullave perpetua pœna puniret? Eh! esset is principum pessimus, suum scilicet regnum quamprimum furum, proditorum, veneno inficientium, incendiariorum, omnis denique generis nequam hominum horrendam latebram faceret. Principis igitur non eadem prorsus quoad omnia bonitas ac privati hominis est; inter utramque multum discriminis intercedit; quod si discrimen hoc inter homines locum habet, quidni satius ei locus est, cum de homine quoad Deum agitur? Quantum a terra cælum effertur, tantum multoque magis Dei bonitas eam superat, quæ hominum est, quoniam ea quidem infinita est, & infinitum præ finito omnem comparationem absorbet. Nobis ergo non nisi admodum confusæ imperfectæque, quod ad Dei bonitatem attinet, notiones insunt. Non possumus ergo citra temeritatem audaciæ plenam asserere, eam cum pœnarum æternitate conciliari non posse.

At alia ex parte, si bonus est Deus, nonne æque justus, rectus, sapiens, sanctus, amator ordinis, perturbationis vero omnium qui hanc amant, inimicus est? Jam, si ita res habet, ut dubitari non potest, non ergo Deus unius tantum suæ bonitatis rationem habere debet, cum id agitur, ut peccatores ordinis inimici perturbationisque ac depravationis amici puniantur; suam quoque sapientiam, suam justitiam, suam sanctitatem debet consulere, quæ quidem in causis sunt, ut suæ ipse naturæ necessitate peccatum oderit, atque ita oderit, ut semetipsum suasque omnes infinitas perfectiones diligit. In suorum omnium copulatim attributorum consensione concentuque sumat, oportet, punitionis modum, quam meretur peccator qui ea gravissime læsit, quoad potuit, ac reapse omnia funditus evertisset, si ejus potestas malitiam æquasset, in eoque qui furor, quæ rabies erat, ea quoque fuisset vis. Igitur a Bonitate Dei seorsim spectata nequit argumentum duci contra pœnarum æternitatem, quin injuriose detrahatur ceteris divinitatis attributis. Quod si jura ipsius vindicare velimus, spectanda erit velut illustrata, ducta, directa a sapientia, justitia, & bonitate; & tunc evanescet difficultas. Esset & alia ejus de medio tollendæ ratio, si nempe aliquanto minus ipsi nos amaremus; immodicus enim noster erga nos amor eam portentosum in modum amplificat.

Et sane cur tam ægre adducimur, ut suppliciorum quæ impœnitentem peccatorem manent, æternitatem credamus, nisi quia præter modum ipsi nos diligentes, in hoc & in alio mundo felices esse vellemus? Oriuntur hinc scilicet eæ dubitationes, eæ ambiguitates, ea demum a ratione aliena incredulitas quoad dogma quo adeo vehementer proprius amor noster & negotia quæ nobis chariora sunt, impetuntur. Sumus igitur ipsi partes quarum interest, ac proinde judicio ferendo impares, in causa propria, quod dicitur nemo judex. Ut quispiam dignus esset, qui id judicii ferret, ei satis animi esse oporteret, ut suis ipsius rationibus se spoliaret, remque spectaret solum ratione habita magnitudinis, majestatis, sapientiæ, justitiæ, supremæ potestatis absolutæ, immensæ, universæ, sanctitatis, bonitatis quoque, sed bonitatis infinite sapientis, omnium denique attributorum Dei, quæ peccator pertinax moriensque in voluntario suorum peccatorum amore contemnit. Tum vero, audeo dicere, haud ægre fieret, ut in hunc pro divinitate pronuntiaretur; atque hinc sane fit, ut sancti viri qui Dei amici, suique ipsorum suarumque rerum adeo inimici

sunt,

sunt, veritatem hanc, ut cætera omnia christianæ religionis dogmata, tum facile credant, & firmissima quidem invictaque fide credant. Deum, cujusmodi est, cognoscamus, plusquam nos ipsos eum diligamus; statimque disjectas videbimus omnes nubes quas contra ejus bonitatem, criminis æternam ultricem vehementior quam par est ac præposterus amor proprius nobis in animo excitare non desinit.

II. *Difficultas.* Quid? momentaneum crimen per omnem æternitatum punitum? Quænam igitur inter hæc duo potest ratio esse, quidque de Deo sentiendum, qui tam brevis durationis crimini ac sæpe imbecillitati supplicium finis nescium infligerat?

Responsio. Proprius idem amor a quo elatam modo vidimus Dei bonitatem, ut ejus clementiæ amplitudine præsidium contra ejusdem justitiæ tela inveniret, is ipse nimirum est, a quo Dei magnitudinem hoc loco depressam cernimus, ut peccati a quo læditur, malitiam extenuet, & huic suam cum supplicii quod meretur, duratione proportionem adimat. Verum amoris proprii qui nos excæcat, velum iterum disjiciamus, ut ex una quidem parte Dei magnitudinem, majestatem, potentiam, puritatem, sanctitatem, justitiam, bonitatem, attributa demum omnia, & ex alia vilitatem, infamiam, turpitudinem, malitiam, fœditatem, enormitatem, omnes denique invisas execrandasque perspiciamus mortalis peccati notas, peccatique quod nequam homo æternum amabit, quemadmodum æternum quoque Deus per omnem ipsum suæ divinæ essentiæ veluti fundum oderit; tum vero cernemus nullas esse posse ad illud puniendum æquo longiores pœnas, Deumque, criminis justum ultorem, se cohibere non posse, quin illud æternum puniat. In peccati statu reprobus æternum erit; Deum sine fine odio habebit, blasphemias in eumdem evomens; numquam desinet reus esse.

Æque igitur nullum umquam finem habere debent ejus extrema calamitas & punitio.

Nonne humana justitia morte perpetuove carcere, quæ quidem æternæ, quoad in terris esse possunt, pœnæ sunt, crimen punit, quod nonnumquam momento temporis haud longius fuit?

Quod si homines æquo id jure possunt quoad sibi similes, ad omnem eorum vitam producta momentaneæ culpæ pœna; quidni poterit id Deus quoad suas creatas res, pœnam protendens, quam ob patrata crimina promeruerunt, in omnem durationem tum earum existentiæ, tum criminum quæ amarunt ad vitæ finem usque, & æternum amabunt? Criminis ergo actum non nisi momento temporis duresse quid refert, si semper est duraturus habitualis ac dominans ejusdem amor?

III. *Difficultas.* Satis semper in hac vita crimen punitum est conscientiæ stimulis qui illud comitantur, satisque compensata virtus per absolutam intimam oblectationem quæ ex ejus usu percipitur. Inutile est ergo aliam vitam ponere, ut unum puniatur, & altera coronetur.

Responsio. Longe profecto abest, ut in hoc terrarum orbe crimen pœnam omnem quam meretur, & virtus omnem quæ ei debetur, compensationem recipiant. Conscientiæ stimulus quasique carnifex eos tantum angit vexatque qui crimen sentiunt; cumque semel quispiam, quod fere quamprimum fit, in misera ejus patrandi arte magister evasit, non amplius intimam stimuli vim morsumque, illud perpetrans, experitur; ei contra mire cum tranquillitate se dedit; iniquitatem instar aquæ, cum sitis premit, absorbet; in ea sibi placet, cum ea familiaritatem init, in ea jucundas illecebras invenit, obduratioque ac pertinacia quæ habitudinem sequitur, efficit, ut ne audiatur quidem conscientia, quæ nonnumquam insurgit, et æquo minore vi, ut serenitatem turbet, quæ peccatoris animum occupat.

Longe etiam abest, ut intima voluptas quæ e virtutis usu percipitur, sit ejus compensatio sufficiens per æquam proportionem inter utramque. Sæpissime qui probitate apprime præstant, in assidua constantique magis heroicarum virtutum exercitatione non nisi triste fastidium, desolantemque, prope dixerim, ariditatem sentiunt. Tum vero ratio, amor officii, religio, fides, futurorum bonorum spes, hæc solum omnia obtinent satis virium, ut eos in officio contineant. Quo demum tunc eorum compensatio redigitur, in intimarum quæ virtuti addictæ sunt, & satis esse dicuntur, oblectationum hypothesi, ut exæquet sacrificia quæ probi homines eidem virtuti præstant? At si, quod ipsum persæpe contingit, sapiens interius desolatus se pressum videt exterius malorum congerie, quæ molestiam certatim augent, ejusque nec fortunæ, nec honori, nec libertati, nec valetudini, nec vitæ parcunt, cujus cursum ignominiosis æque ac sævis variisque suppliciis intermissum cernit; eritne quod fore credatur, ut propriæ innocentiæ ac virtutis notio quæ in profundo intimoque animi quasi sanctuario penitus delitescit, doloris aciem una & unica ita hebetet obtundatque, ut ei persuadeat se in hoc mundo, sine ulla prorsus quosd alium spe, cumulatissime felicem esse?

Relinquamus chimæras has, hæc deliramenta arroganti stoico qui in Phalaridis tauro ipso perfectam sapienti beatitatem somniabat. Superbi tam parum sibi constabant, ut S. Augustinus animadvertit, cap. I. epistolæ 155. alias 52., ut suo sapienti, dum perpeteretur, auctores essent, ut suarum perpessionum finem in morte quæreret. At si felicitas in perpessionibus invenitur, quid est, quod eæ per mortem finiantur? Si minus invenitur, undenam fit, ut per fallacem jactantiam in iis collocetur? Verum est igitur acerbitatem quæ aliquando vitium comitatur, & suavitatem quæ & ipsa virtuti nonnumquam adhæret, ad illud ex æquo puniendum, & hanc digne compensandam in hoc terrarum orbe nequaquam sufficere, sed prodromos veluti quosdam id solum nuntiare, quod homines in futura vita sperare aut metuere debent.

IV. *Difficultas.* Nonne credi posset fore, ut, cum damnati post certum, plus minusve longum, temporis spatium perpessi fuerint, Deus tandem eorum extremæ calamitatis miseratione tactus, per absolutæ potentiæ conatum, & misericordiæ specimen naturæ infinitu bona sane dignum, eorumdem cruciatibus finem imponat?

Responsio. Potuit quidem Deus, absolute loquendo, perque suæ extra ordinem potestatis usum, reproborum supplicium finire. Nec ratio, nec religio nos vetat ejusmodi potestatem in Deo profiteri; cum enim sit infinite potens, ejus potestas ad omnia protenditur, quæ non repugnant, neque vero quoad Deum repugnat efficere, ut physicum malum desinat, quemadmodum aperte repugnaret eum ipsum morale malum patrare. Verum absoluta qua pollet, damnatos aliquando servandi potestate utetur ne reapse Deus? Super hac controversia obmutescit humana ratio, & revelata religio in eos miseros eamdem fulit. Deum promisisse se aliquando reprobos servaturum nullibi in sacris codicibus legitur; contra vero innumeris in locis adeo perspicua distinctaque sunt ejus verba, ut funditus ejusmodi contentionem evertant. Sancti patres & concilia, fidei symbola omnesque christianæ Ecclesiæ catechismi pœnarum quæ improbos manent, æternitatem proprie dictam, tamquam firmissimum dogma tradunt, quin ullam nobis spei vel levissimam speciem præbeant fore, ut saltem absolutæ extraque ordinem positæ Dei potestatis vi eædem aliquando desinant. Hanc igitur æternitatem tamquam immutabilem teneamus, oportet; eamque proinde quisque credere debet, aut id consilii capere, ut ejusdem periculum faciat; nihil medium.

ÆTERNITAS MUNDI. Impii operis auctor, cui titulus: *Deus & homines*; auctor item *Quæstionum super Encyclopedia*, verbo *Æternitas*; denique Robinetius in Tractatu qui inscribitur, *de Natura*, asserunt propugnantque ab omni æternitate mundum existere; cum hoc discrimine, quod mundus, Robinetii quidem judicio, ab omni æternitate est, quin tamen æternus sit.

Magni momenti ratio ejusmodi est: effectus cum causa coexistere debet statim ac causa ipsa, cum causa suapte natura completa est; videlicet, cum ea necessario in se habet, quicquid ei opus est, ut suum effectum edat, quoniam in completa essentia sua, proximam, ulteriorem, sufficientem productionis effectus sui rationem gerit. Causa essentialiter talis, necessario talis, æternum talis sine effectu esse non posset. Ergo effectus hic, qui mundus est, existit ab omni æternitate, prorsus ut ejus causa; siquidem fieri omnino non potest, ut existat sufficiens cujusvis effectus ratio, quin hic ipse effectus existat.

Ad hanc difficultatem respondetur, rationem proximam, ulteriorem, sufficientem & necessariam productionis effectus cujuslibet in essentia completæ causæ quæ suæ energiæ principium in se habet, haud necessario contineri, cum agitur de causa libera ac de effectu contingenti, quemadmodum agitur in præsentia. Necesse & illud est, ut hæc causa agere velit; & quidem in hac tantum volitione seu libera determinatione ad actionem & productionem cujusvis effectus sui posita est productionis ejusdem effectus ratio proxima, ulterior, sufficiens & necessaria. Est ergo Deus ab omni æternitate omnipotens causa, & ita quidem, ut ab omni quoque æternitate completam creandi mundi facultatem obtineat; at ejusdem creandi

æternam, proximam, ſufficientem & neceſſariam rationem non habuit, ſeu, quod idem eſt, eum ab omni æternitate creare, æternumque ac ſibi coexiſtentem facere noluit. Ergo propoſitæ difficultatis vitium in eo continetur, quod a potentia ad actum concluditur; recte quidem ab actu ad potentiam illatio fit, at contra a potentia ad actum minime; feci, cauſa exempli, actionem aliquam, bonam malamve; igitur eam faciens, faciendi potentiam habui; legitima eſt conſecutio. Poſt rationis uſum, innumeras, in morum genere, bonas & malas actiones faciendi poteſtatem habui; ergo eas omnes actiones bonas malaſque quas facere potui, reapſe feci, hæc conſecutio vitioſa eſt.

Finem hoc loco faceremus, quandoquidem quod modo diximus, ad propoſitam difficultatem ſolvendam ſatis ſuperque eſt; niſi eſſet e re publica, ut incredulorum mala fides ob omnium oculos poneretur. Opus refellentes, quod inſcribitur *de Natura*, luculenter oſtendimus Robinetium, ejus fœtus auctorem, Divo Thomæ ſententias adſcribere, quas ſuper mundi æternitate confutat; tamquam ſancti Doctoris aſſertiones ſumere objecta quæ ſolvit; eique tribuere objecta hæc ipſa, perinde ac ſi ea traheret e proprio fundo, quin vel unum verbum dicat de fonte e quo ea hauſit, aut de reſponſis quæ ea comitantur. At magni nominis vir Bulletius nos monet tam honeſtam agendi rationem, præ cæteris ejuſdem generis ſcriptoribus, Robinetio non congruere. Doctum theologiæ profeſſorem & Veſontionenſis univerſitatis decanum audiamus:

„ Auctor, inquit, *Quæſtionum ſuper encyclopediam*, poſtquam mundum æternum eſſe reſtatus eſt, addit: ita ſentiebat magnus ille vir S. Thomas, in Summa *de fide catholica*, lib. II. cap. 3. *Deo quidem per omnem æternitatem* vel producendi, vel non producendi univerſi *voluntas fuit*. Jam vero certum eſt *ejus producendi voluntatem* eidem fuiſſe; *illud ergo ab omni æternitate condidit, cum ſemper agentis, qui per voluntatem agit, poteſtatem ſequatur effectus*.

„ Cordatis his verbis quæ apud S. Thomam occurrere magnopere mirari ſubit, equidem addo, æternæ neceſſariæque cauſæ effectum debere æternum neceſſariumque æque atque eam ipſam eſſe.

„ Auctor hic nihil hoc loco aliud agit, niſi eum ad verbum excribit, qui impium opus contexuit, cui titulus, *Deus & homines*.

„ *Reſponſio*. Sanctus Thomas in capite non quidem tertio, ſed triceſimo tertio libri ſecundi Summæ *de fide catholica contra gentes*, quæſtionem de mundi æternitate pertractat, methodo uſus, quæ ei familiaris & propria eſt, ut ſcilicet initio ſtatim exhibeat rationum momenta quibus placitum nititur, quod impugnare vult; argumenta igitur in medium affert, quæ adhibentur ad probandum mundum æternum eſſe; hæc tribuit in claſſes tres; alia nimirum e Deo, alia e creatis rebus, alia demum e creatione ipſa ducuntur. Super his argumentis verſantur capita, triceſimum ſecundum, triceſimum tertium, triceſimum quartum; in triceſimo quinto, rationum quæ ex Deo, in triceſimo ſexto, rationum quæ ex creatis rebus, in triceſimo ſeptimo, rationum quæ ex creatione petuntur, ſolutionem tradit, prout enuntiant horum capitum tituli ipſi. Teſtimonium quod Quæſtionum auctor nobis apponit, eſt epitome argumenti quarti ex Deo ſumpti, ad quod ſanctus Doctor reſpondet, mundum æternum non eſſe, quamvis ab omni æternitate Deus eum creare voluerit, quia per eumdem actum quo eum condere voluit, noluit eum condere niſi eo tempore, quod ad id ipſe definiit ſtatuitque. Sanctus Thomas, poſtquam omnium argumentorum quæ ad mundi æternitatem propugnandam afferuntur, ſolutionem exhibuit, hanc controverſiam dirimit abſolvitque per hæc verba: *evidens ergo eſt nullam prorſus rationem impedire, quominus aſſeratur mundum non ſemper fuiſſe, quemadmodum docet catholica fides in primo Geneſeos capite*: In principio creavit Deus Cælum & terram, &c. & in libri Proverbiorum VIII. capite, de Deo dicitur; antequam creatam rem ullam efficeret. Sunt autem hæc ejus verba ipſa: *Sic igitur evidenter apparet, quod nihil prohibet ponere mundum non ſemper fuiſſe; quod fides catholica ponit*. Geneſ. I. *In principio creavit Deus cælum & terram*. Proverb. VIII. *de Deo dicitur*: *antequam quicquam faceret a principio*, &c.

„ Eſt porro quod in præſentia valde mirandum ac portento ſimile habendum ſit, non quidem apud ſanctum Thomam mundi æternitatem occurrere, apud quem omnino non eſt, bene vero, per craſſiorem hallucinationem ei tribui errorem hunc, ut nempe ſumatur oppoſitio quam S. Doctor ſibi proponit, tamquam ejus ſententiæ probatio. “

Hactenus Bulletius. Ego vero docti profeſſoris verbis animadverſionem tantum addam, quæ ejuſmodi eſt: aut per ignorantiam, aut per animi pravitatem, malamque fidem philoſophi noſtri oppoſitiones quas auctores ſibi proponunt, quaſque confutant, tamquam eorum propriam ſententiam ſumunt. Si per ignorantiam, quæritur, quam fidem merentur homines qui eo uſque ignorantiam & imperitiam deferunt, ut temere & oſcitanter id auctores ſentire putent, quod ipſi ſibi opponunt, acriterque refellunt. Si per animi pravitatem malamque fidem, iterum quæritur, an fieri poſſit ut vel minima fidentia ſcriptoribus concedatur, qui ſerio tribuere non erubeſcunt auctoribus quibus utuntur, ſententias ita omnino contrarias, quas ſtatuunt firmantque; ſententias quas dedito ſtudio refellunt, & in rebus quidem quæ majoris momenti ſunt. Nonne id eſt per graviſſimam injuriam eos calumniari, & ejuſmodi ſane calumnia nonne vindictam inclamat, omnem in calumniatores legum vim invocans ipſa per ſe?

AMORTIZATIO. Occurrit hoc vocabulum pag. 23. Tomi III. noſtræ hujus Analyſis, remittiturque ibi lector ad verbum, *Manus-mortua*, de quibus omnino nihil. Ut hæc omiſſio ſuppleatur, dicemus hoc loco amortizationem privilegium eſſe per patentes litteras hominibus manus-mortuæ conceſſum, ut feuda & immobilia bona in perpetuum teneant, quin ea ſuas extra manus ponere debeant, idque ope ſummæ quæ Principi ſolvitur, ut emolumenta & confiſcationes farciantur, quæ ad eum pertinerent in mutationibus quæ ſuper iis bonis fierent, ſi in conſueto communique commercio remanerent. Nuncupantur *homines manus ſeu poteſtatis mortuæ*, omnia corpora communitateſque, in quibus ſinguli quique moriuntur, quin ipſa umquam corpora ſeu communitates moriantur, perſonarum ſibi mutuo ſuccedentium ſubrogatione, immortale corpus ſeu communitatem reddente; ita quidem, ut ab ejuſmodi corporibus poſſeſſa bona numquam manum mutent, præter quam in aliqua extra ordinem facti ſpecie. Appellantur *manus-mortuæ*, quia quemadmodum mortui motu carent, nullamque mutationem facere poſſunt, ita homines manus-mortuæ nullam amplius ſuis in bonis mutationem edunt; quod in cauſa eſt, ut domini non amplius ex iis fortuita emolumenta percipiant, quæ iis in mutationis caſu debentur. Quamobrem ei legi ſubduntur homines manus-mortuæ, ut domino ſolvant indemnitatis jus ob fundos ignobiles quos acquirunt, illudque quod *viventis & morientis hominis* dicitur, quoad feuda, in eo poſitum, ut detur homo, quo moriente, clientelaris annuorum fructuum præſtationis jus ſolvere debent.

Ita ergo amortizatio ſecum trahit trium generum jura: Quoad principem qui id privilegii concedit, id juris affert, ut is congruam pecuniæ vim ſibi ſolutam velit, compenſationis in modum ob emolumenta quæ ipſe in quaque mutationis ſpecie perciperet, ſiquidem amortizata bona in conſueto communique commercio remanerent. Quoad dominos parit indemnitatis jus ob lucra quæ iiſdem obveniſſent, ſi qua pariter amortizatorum bonorum mutatio contigiſſet. Denique, quoad homines manus mortuæ, amortizatio ipſa jus parit, ut iidem amortizata bona in perpetuum teneant, quin ea ſuas extra manus ponere debeant.

Juris amortizationis in Galliis origo haud ſatis in comperto eſt. Sunt, qui illud a Rege ſancto Ludovico inſtitutum putent, qui patri Ludovico VIII. ſucceſſit, an. 1226. octava Novembris die, ſub Reginæ Blanchæ matris regimine. Laurerius tamen an. 1159. chartam profert, per quam Hugo, Caſtri-Duni vicecomes, Tyronenſibus monachis amortizat, quicquid acquiſierunt, aut deinceps acquirent. *De Lauriere, gloſſ. juris Franc.* Tom. I. pag. 41. *Dictionar. diplomat.* Tom. I. pag. 63. Vide, *ſuper amortizationibus*, Declarationem diei 2. Novembris an. 1724. & ſupremi conſilii decretum diei 21. Januarii an. 1738.

ANATHEMATA. Quidam religionis hoſtis hæc ita definit, ut ſint *benefica imprecationes quas miniſtri Dei pacis in eos jaciunt, qui ipſis diſplicent; eos, ad animarum bonum, æternis ſuppliciis devoventes, cum eorumdem corpora temporaneis ſuppliciis addicere nequeunt*.

Ita ſane, quicquid tandem ſuper hac re dici aut cogitari poſſit, anathema nihil eſt aliud quam benefica liberaliſque imprecatio, quippe quod oritur e ſinu ipſo quaſi foci fervidæ charitatis, quæ, quovis demum pretio, peccatorum ſalutem vult, quæque, ad eos ſervandos, graviores quoque, at ſemper ſalubres minas & imprecationes ipſas adhibet, ut eos ad mentem revocet atrocium malorum metu, quæ eoſdem manent, ſiquidem in pertinaci obduratione ad finem uſque perſtiterint. Hæ igitur imprecatoriæ minæ nec

cha-

charitati, nec pacificis animi præparationibus opponuntur, quæ omnibus Dei ministris, qui nempe est pacis Deus, inesse debent; geri bellum potest pacis animo, eaque solum mente, ut perduelles ad eamdem pacem redigantur, a qua recedunt. Non in eos quidem qui ipsis displicent, aut in quos male animati sunt, Divini numinis ministri jaciunt anathematis fulmina; sed in eos qui non verentur Deo displicere, eum lædere ac temnere, longe gravius, quam ut impunita remanere possit eorumdem temeritas; quique cum primum arma deposuere, perhumaniter ac non sine suavioribus emotionibus recipiuntur ab iis ministris ipsis, qui eos non nisi ut corrigerent, percutere visi fuerant, patris instar qui filios corrigit, quos diligit, quibusque pinguem hæreditatem parat, struitque. Estne id æternis suppliciis eos devovere, an vero ab iisdem abstrahere? Peccator potius æternis suppliciis ipse se devovet, dedens se crimini, iisque sane miserrime devotus est, cum Ecclesia se coactam videt, sua in eum anathemata jacere, ea spe fore, ut eumdem æternis quæ meruit, suppliciis abstrahat, ad meliora sensa revocans, salubri impresso metu, quem ejus animo inspirare conatur.

ANTILOGIÆ. Ita nuncupantur verborum repugnantiæ seu contradictiones quæ specie tenus in sacris litteris reperiuntur. Incredulus quisque super hac nuncupatione nugari nititur & fucum facere, contendens ea quæ specie tantum primoque veluti intuitu theologi pugnare dicunt, re sane vera ac reapse secum pugnare. Est hic quoad eum error, qui ab eruditarum linguarum omnium cognitionum quibus ad probe intelligendam sacram Scripturam opus esset, crassiore quæ in eo est, ignoratione originem trahit. Quo magis est scientia imbutus animus, eo minus difficultatis occurrit, ut sacræ litteræ intelligantur, & invicem iis in locis quæ videntur opposita, concilientur. Equidem, ad me quod attinet, exiguum tantum exemplorum numerum afferam, e quibus judicium de cæteris ferri poterit.

Geneseos cap. XIII. vers. 15. legitur Deum Abrahæ dixisse: „ tibi tuæque posteritati omnem quam vides, „ regionem tribuam; " Vulgatæ versionis hæc verba sunt: *omnem terram quam conspicis, tibi dabo & semini tuo usque in sempiternum*. Ex ejusdem tamen Geneseos libri c. XXIII. nobis perspicuum fit Abraham ipsum numquam proprietatis titulo possedisse ex ea regione universa nisi agrum & cavernam, quæ duo ad Saræ conjugis sepulturam quadringentis siclis emerat. Adest igitur his in locis duobus, inquiunt increduli, aperta repugnantia.

Qui porro hebraice sciunt, respondent hebraicam particulam *vau*, quam Vulgata versio per & reddidit, latine etiam, *id est*, significare, ut probatur exemplis pluribus.

Geneseos cap. II. vers. 3. benedixit Deus diei septimo, *vau*, *id est*, eum sanctificavit, seu sacrum reddidit.

Exodi cap. IV. vers. 12. ego ero in ore tuo, *vau*, *id est*, te docebo quod te dicere oportebit.

Judicum cap. VIII. vers. 27. Hic ephod evasit laqueus qui excidium peperit Gedeonis, *vau*, *id est*, ejus domus, familiæ. Hebraicæ igitur linguæ cognitio jactatam repugnantiam disjicit, quam increduli, utpote ea cognitione destituti, inter eos textus duos perspicere sibi videntur.

Exodi cap. IX. legitur omnia Ægyptiorum bruta animantia peste, quæ quinta plaga fuit, occubuisse: *mortuaque sunt animantia omnia Ægyptiorum*; attamen in eodem quoque capite legitur etiam grandine, quæ fuit plaga septima, belluas numero plures e vivis sublatas fuisse; *Et percussit grando in omni terra Ægypti cuncta quæ fuerunt in agris, ab homine usque ad jumentum*. Potestne apertior conspici in eodem capite repugnantia, clamant increduli sacrorum nostrorum codicum hostes? Si pestis omnia Ægypti animantia e vivis sustulerat, qui fieri potuit, ut eam subsecuta grando tam magnum belluarum numerum & ipsa interimeret?

Vocabulum *omnia* in sacris litteris multiplici notione sumitur. Aliquando nihil aliud quam omnium generum nonnulla significat; ita quidem Geneseos cap. XXIV. vers. 10. legitur in hebraico textu, Abrahæ famulum abiisse, secum asportatis sui domini bonis omnibus, *id est*, quemadmodum Vulgata reddidit, *ex omnibus bonis* ejus.

Regum libro quarto, cap. VIII. vers. 9. in hebraico textu legitur: Hazael Elisæum adiit cum camelis quadraginta, qui donum & omnia Damasci bona, *id est*, ex omnibus Damasci bonis ferebant. Eadem pariter significatione vox *omne* vulgo sumitur; ita dicimus, exempli causa, ab aliquo viro principe humaniter omnes recipi, videlicet, omnis conditionis homines qui ad eum se conferunt.

Hoc posito, Exodi locum de quo quæstio est, ita reddendum dicimus: *Occubuere peste apud Ægyptios omnium generum belluæ*; quod evidens est, quoniam versiculis duobus postquam Moyses dixit omnes Ægyptiorum belluas peste obiisse, de belluis loquitur, in quibus ulcera suborta sunt; & infra, post versiculos quindecim, scribit belluas quæ, cum grando cecidit, domi retentæ fuere, non periisse. Jam vero nemo unquam sibi in animum inducet credere hominem minime delirantem in eodem capite secum ipsum in tam apertam repugnantiam incidere potuisse.

Deprompta sunt hæc omnia e docti Bulletii eximio opere cui titulus: *Responsiones criticæ ad plures difficultates a novis incredulis super nonnullis sacrorum librorum locis propositas*; Parisiis, apud Bertonium, an. 1773. Cæteræ difficultates quas increduli in sacros libros proponunt, eadem facilitate diluuntur, ac si qua occurreret quæ solvi non posset, haud sane consequens fieret eam ejusmodi esse, ut solvi nequeat; id unum sequeretur cognitiones ad eam solvendam necessarias deesse.

ANTIPODES. *Hæresis est ita credere*, inquit quidam auctor, jocari volens. Damnum sane est, rem qua de agitur, ab eo non intelligi, eumdemque sibimet hæreseos phantasma fingere, ut ejus impugnandæ voluptatem sibi conquirat. Nunquam in Ecclesia creditum est hæresin esse pure ac simpliciter credere antipodas esse, credere scilicet homines eam terræ partem quæ nostræ ex diametro opposita est, incolentes existere; quod tamquam hæreticum merito damnatum fuit, illud est addere eos antipodas homines alterius ac nos generis esse; habere originem aliam, alium mundum, alium solem, &c. & hoc quidem sensu sanctus Augustinus summusque Pontifex Zacharias eos damnarunt, qui antipodas propugnabant; propterea quod hinc sequebatur iis non esse in Adæ persona communem patrem, quemadmodum subsecutis temporibus asseruit Isaac *la Peyrere*, Tractatus de *Præadamitis* auctor. Opus hoc, an. 1655. impressum confutarunt plures docti viri, ac damnum improbavit revocavitque Peyrerius ipse, cui feliciter contigit, ut Burdegalæ Calvinismum in quo natus altusque fuerat, abjurasset, & 30. Januarii die an. 1676. ad nostram Virtutum Dominam apud Oratorii patres bonus firmusque catholicus moreretur. Non ergo hæresis est antipodas propugnare, prout hoc tempore propugnantur, quin iis apponantur errores quos modo diximus, quosque unice impetit vetus eorum damnatio, qui eos propugnabant.

ANTROPOLOGIA. *Est hæc peculiaris loquendi ratio, qua sacri scriptores suam mentem aperiunt, in eo posita, ut oculos, manus, cupiditates, turpitudines, malitiam affingant puro putoque Spiritui qui in sua bonitate hanc rerum universitatem regit ac moderatur.*

Ita quidem impii homines; at dum ita loquuntur, per animi pravitatem sacris scriptoribus suppositiones tribuunt, quæ ab eorum mente & cogitatione admodum alienæ sunt. Sacri scriptores scilicet, cum de Deo sermonem habentes, oculos, manus, pedes, iram, vindictam, furorem, &c. nominant, ejusmodi membra & ejusmodi cupiditates ullosve humanis similes animi motus puro putoque spiritui nequaquam affingunt supponuntque; esset absurda suppositio; atque ii quidem id omnino Deo tribuunt, quod iis vitiis, iis defectibus, iis imperfectionibus contrarium est. Quia porro rudes homines spiritalem prorsus divinumque sermonem non intelligerent, necesse proinde est, siquidem lubet ab iis percipi quæ dicuntur, ut humani sermonis usus cum iisdem fiat, adhibitis brachiorum, manuum, pedum, telorum, gladiorum, fluminis, iræ, furoris vocabulis, atque ita quidem eorumdem intellectioni accommodentur effecta virtutis, potentiæ, justitiæ cæterorumque attributorum Dei, qui, purus putusque spiritus, absque ullius externi organi ministerio, malitiæque aut cupiditatis vel minima specie, quicquid ejus perfectiones in universi regimine conjunctim postulant, operatur; quique non in sua solum bonitate, sed in sua justitia, æquitate, rectitudine universum ipsum ineluctabiliter regit & moderatur. Re sane vera, nostrates philosophi in suis super divinitate ratiocinationibus admiratione digni tum etiam sunt, cum volunt adeo liberaliter agere, ut eam recipiant. Ei scilicet unum tantummodo attributum adjudicant, bonitatem seu potius stoliditatem quamdam qua stolida redderetur, omnisque constanter sensus expers super omnibus suarum mortalium creaturarum sceleribus, quas tamen gubernat, ad malum excitans per non intermissa beneficia quæ large cumulateque in easdem profundit, atque ad suarum velu-

ti ala-

ti alarum umbram, tum in præsenti tum in futuro per omnem æternitatem tempore impunitate donans. Ejusmodi nimirum est Deus quem a nostris philosophis it ipsi sibi confingunt, qui dignantur aliquem Deum agnuscere.

APPELLATIO. *Pag.* 20. *linea* 6. *lege* axcommunicationes aliasva censuras.

ARBITER. *Pag.* 26. *linea* 86. *Addo*, exceptis principissis, at non ducissis.

ARCHIEPISCOPUS. *Prioribus Ecclesiæ seculis ignotus titulus*, inquit nimium notus auctor. Si magis auctor in Ecclasia ecclesiasticorumqua scriptorum historia versatus asset, is sana proba sciret Usserium & Petrum de Marca, eruditione præcipuos viros duos asseruisse *Metropolitani* titulum qui olim Archiepiscopi titulum superabat, si sancto Isidoro Hispalensi fides in Tractatu de Etimologiis, cap. 12. quique in præsentia cum eo confunditur, apostolicæ institutionis esse. Verum ut ut super bac autum sententia res habeat, certum semper est Romani Imperii in diœceses tredecim, ac centum viginti provincias divisionem ab Ecclasia adoptatam fuisse. Erat unicuique diœcesi & unicuique provinciæ sua metropolis seu capitalis; primaria videlicet urbs, in qua proconsul seu vicarius imperii rasidebat. In hujus adoptionis consecutionem, quæ tertio labente sæculo inita fuit, quamqua. primum generale concilium an. 325. babitum confirmavit, Ecclesia in præcipuis urbibus Episcopos instituit, qui metropolitanorum & Archiepiscoporum titulum sibi sumpserunt. Ita vulgo sentiunt docti viri, repugnante licet Scipione Maffajo, in sua *Verona illustrata*, ubi contendit Romanas provincias omnino metropoli caruisse, & cum Romanis provinciis quæ nibil arant aliud quam regionis quæ præsidi subarat, arbitraria amplitudo, geographicas provincias confusas fuisse. At bæc opinionum varietas nulla prorsus ratione eorum quæ de Archiepiscopi seu metropolitani tituli origine modo diximus, veritatem infirmant; hic enim titulus præcipuarum urbium Episcopis, quarto sæculo, tributus fuit, seu ejusmodi urbes geographicarum provinciarum tantum metropolas essent, sau Romanarum potius provinciarum quæ regiones sau provincias geographicas plures complectabantur, capita forent. „ Id verum „ est, inquit doctus vir domnus de Vaines, auctor „ Dictionarii rationibus & argumentis confirmati rei „ Diplomaticæ, id, inquam, verum est hunc (Ar„ chiepiscopi) titulum in Orienta quidem quarto, in „ Occidente autem quinto sau sexto sæculis innotuis„ sa. S. Athanasius, Apolog. 2. pag. 791. habetur pri„ mus qui usus fuit Archiepiscopi titulo, ut Alexan„ driæ Episcopum dasignaret. Tum quidem, quarto „ nempe sæculo, visus est hic titulus Episcopis re„ servatus, qui deinde Patriarcharum nomine insigni„ ti fuere. Quinto quoqua sæculo huic usui locus „ erat; Ephesinum enim concilium Summo Pontifici „ Cælestino & Cyrillo Jarosolymitano id nominis præ „ cætaris tribuit; & Chalcedonensa æque S. Leoni il„ lud adscribit.

„ Ad hujus sæculi finem, vel insequentis initium, „ non amplius magnæ sedes quinque præ cæteris hac „ characteristica distinctione gaudebant.... In Gallia „ titulus hic nono tantum sæculo ad finem vergente „ metropolitanis familiaris & proprius evasit; metro„ politani quippe, qui Parisiensi concilio an. 846. „ habito interfuerunt, solum Episcopos sa nuncupa„ runt; perspicitur eadem simplicitas in subscriptio„ nibus quas tamquam Episcopi in Tuziansi concilio „ an. 860. celebrato Archiepiscopi duodecim edida„ runt. At in Suessionensi, an. 866. Tuziensi, an. 871. „ Pont-Yonensi, an. 876. Trecensi, an. 878. conciliis „ evidans mutatio ast; in his enim omnibus aut fere „ omnibus Archiepiscoporum titulo matropolitani præ„ sules insigniuntur.

„ Id quoqua nominis præsulibus tributum fuit, qui „ metropolitani non erant. Episcopi, S. Chrodegan„ gus, Metensis, an. 743. Berno, Catalaunensis, an. „ 878. Theodulphus, Aurelianensis, sub Ludovico „ Pio, S. Hugo, Gratianopolitanus, an. 1090. &c. in „ certæ fidei monumentis Archiepiscoporum titulo de„ corantur. Derivabatur dubio procul ex eo hic ho„ noris titulus, quod aliquando pallium, qui Ar„ chiepiscoporum peculiaris & proprius ornatus ast, „ simplicibus Episcopis concedebatur; neminem latet „ S. Gregorium prærogativam hanc Syagrio, Augu„ stodunensi Episcopo concessisse. “

ARCHIPRESBYTER, Tom. III. pag. 36. Dictum est ad hujus paginæ calcem, post Gibertum, archipresbyteratum quemque cum animarum cura conjunctum requirere inchoatos ætatis annos viginti quinque & intra primam pacificæ possessionis annum ad sacerdotium suscipiendum adigere. Ludovici Regis XV. Declaratio, Versaliæ data, 13. Januarii die an. 1742. hac de re statuit, ut sequitur: „ Volumus nullum acclesia„ sticum ad parœciam aliudve beneficium quod ani„ marum curam adjunctam babeat, seu ad patrono„ rum præsentationem, sau suorum graduum vi, seu „ quovis alio titulo, & a cujuscumqua generis colla„ tore deinceps posse, nisi reapse in presbyteratus or„ dine constitutus sit, & completorum viginti quin„ qua annorum ætatem attigerit; secus, obtentarum „ provisionum quæ tamquam nullæ nulliusque roboris „ spectabuntur, seu in judicio seu aliter, dictam pa„ rœciam dictumve benaficium vacantia & impetrabi„ lia censari, &, quod inde consequitur, ad ea libe„ re plenoque jure ab iis ad quos eorumdem colla„ tio vel institutio pertinent, idoneum virum eligi „ volumus. “

ARCHIVIA, *Tabularium*, *Chartularium*, *Cartharium*, *Graphiarium*, *Sanctuarium*, *Sacrarium*, *Secretarium*, *Scrinium*, *Camera*, *Cimeliarcham*, *Armarium*, *Archivum* &c. Loca hæc *Archivia* dicta quibus tituli & alicujus momenti tabulæ continentur. omnem prorsus antiquitatem sapiunt, ita scilicet, ut eorum institutionis apocha dasignari non possit. Distinguuntur archivorum ganera duo, ut alia sint sæcularia in quibus servantur profanarum seu civilium rarum tituli, alia acclesiastica in quibus sanctæ Scripturæ, Martyrum acta, Confessorum apistolæ, Apostolicæ literæ, &c. daposita custodiuntur. Ea porro vocabantur olim apostolicæ litteræ quæ scriptæ arant a viris doctrina & sanctitata commendandis, & peculiariter a quibusvis Episcopis qui universi & singuli gaudebant *Apostolici* titulo, antequam Romanæ urbis Episcopo reservaretur, primum quidem a Remensi concilio, an. 1049. ut nonnulli putant, aut post septimum, vel saltem octavum sæculum, ut aliis placet. Ut ut sa res habeat, Romana Ecclesiæ archivia jam inde a madio sæculo quarto in axistimatione pretioque erant.

Quinti sæculi finis & sexti initium viderunt ecclesiastica archivia maximo in honore posita; in iis tituli, acta, libri magnopere succreverunt; *vide Agathense* concilium, an. 506. & *Lugdunense*, an. 567. Tradita sæpe fuit Episcopis ipsis eorum custodia, ut est in Parisiensis concilii tertii canone primo. Titulis qui in iis depositi erant, gravis & observantia dignæ ad perpetuitatem auctoritatis gradus tributus fuit, a secundi Lugdunensis concilii secundo canone. Decretæ graves in eos pœnæ, qui titulos tradere auderent, ex Agathensis concilii, an. 506. habiti vicesimo sexto canone. A septimo ineunte sæculo, publica eoque magis solemnia acta in archiviis deponi cœperunt. *Dicti nar. Rei Diplomaticæ*, Tom. I.

ATTRIBUTA DIVINA. Inest theologorum menti purissima summequa distincta Dei tamquam necessarii entis notio, quod proinde per suæ essentiæ excellentiam & necessitatem existit, quodqua ob hanc ipsam causam æternum in sua durationa est, in suisque perfectionibus infinitum, quoniam existendi necessitas ejus essentiam seu naturam efficit, nullaque causa est, quæ ajus perfectiones finire possit. Ea sunt igitur infinitæ, quin ajusmodi sint, ut percipi, simulve constare nequeant. Creatoris gloriam, magnitudinem, magnificentiam, potestatem, sapientiam, justitiam, *bonitatem*, quicquid in hac rerum universitate ast, nobis annuntiat; atqua ipsa qua nulla gravior altiorve, animadversio nos monat ac certos facit bis multiplicis generis attributis conjunctim sumptis pollere ens infinite perfectum, quod punit, quia justum est, compensatque, quia bonum, quin justitiæ exercitatio bonitatem spoliare, aut bonitatis usus justitiam corrumpere possit. Attributa hæc negativa simul & positiva sunt; negativa quidem, si minus omnia, saltem plura, vocabulis solum tenus; positiva vero quoad sensum & res, quia nagantes voces ipsæ quibus concipiuntur Dei attributa quædam, cujusmodi sunt immensitas, immutabilitas, &c. non impediunt, quin hæc attributa ita anuntiata maxima reales, ut loquuntur, maximeque positivas in Deo perfactiones exprimant. Dei argo immensitas est ea perfectio quæ efficit, ut Deus sit per scientiam, per potentiam, per essentiam ubiqua præsens. Dei immutabilitas est attributum illud quod in causa est, ut Dei substantia, seu qualitas, seu cognitio, seu consilia, seu absoluta voluntas mutari non possint. Hæc omnia apprima faciunt, ut notiones nostras sistamus firmemusqua, tametsi imperfecta tantum ratione, quæque intellectus nostri qui adeo infra supremi entis infinitatem est, imbecillitati respondeat, cognoscere Deum possimus.

ATTRITIO. Theologica vox quæ mœrorem designat qui subit sui ipsius erratis, ad alterius vitæ punitionum aspectum, Christiani hominis animum afficit. Hanc ad peccatoris pœnitentis justificationem

suffi-

ſufficere ajunt alii, negant alii. Utra theologorum pars acu, quod dicitur, rem attigerit, ſeu a veritate ſteterit, eos aliquando docebit Deus. Ejuſmodi eſt quorumdam philoſophorum locutio.

Utique, dubio procul, aliquando nos docebit Deus, a qua demum parte ſtet veritas in hac opinionum varietate, ſuper quibus ſcholaſticos Theologos abſque fidei charitatiſque detrimento, diſputantes videmus. At dum eam beatam diem expectamus, qua die ad firmamenti facem, ſeu potius ad juſtitiæ ſolis immortale lumen, pura veritas in ſuam omnem jucunditatem effuſa fulgebit, minime credendum aſt nos in tremite, per quem ad beatitatem docendi ſumus, temere ac cæcorum inſtar incedere. Minime vero; ac ne e controverſis quæ in manibus eſt, vel tranſverſum digitum recedamus, licet Theologi ſuper attritionis vi, ſufficiat ea necne, ſuperque charitatis amore, in Pœnitentiæ ſacramento, ad juſtificationem neceſſario theorice diſputent; quicumque ſapiunt, in id conſentiunt, ut e peccatoribus, ad eorum conciliationem, ſuis ſuper erratis doloris ſeu contritionis effectum, Dei ſupra res omnes & ob eum ipſum dilecti amore nixum requirant. Hæc ſecundi ratio quæ una in uſu tuta eſt, unaque & unica recipi poteſt, difficultatem de medio tollit, omnemque ambiguitatem ac ſollicitudinem amovet, quæ in theologorum ſuper hoc argumento theoricis diſputationibus ultro quæruntur, animoque offunduntur. Ita quidem, quin magnum æternitatis diem præſtolemur, probe ſcimus, quid ſentire debeamus, & quæ tandem opinio cum veritate cohæreat.

B

BAPTISMUS. Noſtræ hujus Analyſis Tom. III. pag. 41. linea 43. Eo loci dicimus, ut vulgo dicitur, monſtrum, cui prorſus humanæ figuræ deſit, haud baptizandum eſſe. Colletius tamen in ſuo Pontaſiani conſcientiæ caſuum dictionarii Compendio, ſuper Italico caſuiſta, Tom. II. *verb. Baptiſmus*, Caſu II. contrarium ſolide probat; probat, inquam, ejuſmodi monſtrum baptiſmate ablui oportere. His autem rationum momentis nititur. 1. Epiſtola quam edidit die 4. Maji an. 1693. Dominus Save, in Pariſienſi facultate medicinæ doctor, qui ita ratiocinatur: „Eadem ſemper ſunt generationis principia, ſeu inde ejuſdem generis corpus, aut potius ejuſdem figuræ ac patris & matris corpore ſuat, ſeu monſtroſum quicpiam exiſtat, videlicet, ſemper idem viri principium generans egit, enucleat explicatque ac vitæ donat principium illud quod in fœmina reperitur; cumque partes explicitæ evolutæque ſunt, & fœtus vitæ compos evaſit, tum vero rationalis anima eum informare & animare incipit. Jam rebus ita ſe habentibus, quæ certa nobis ſuppetit credendi ratio Deum ſubducere conſuetum concurſum ſuum, & a rationali anima in fœtu creanda abſtinere, quia fœminæ aut viri imaginatio ejus partes implicuit perturbavitque? Quoniam adhuc non omnino certo conſtat, formatus, necne, ſit ante patris & matris copulam, in ovo fœtus, & quod inde conſequitur, an a primis fœcundationis momentis ejuſdem fœtus corpus vitæ polleat, necne, æque definiri non poſſet, an fœtus qui ante copulam & ante perturbationem quæ ſpiritibus & imaginationi contigit, in ovo ſuis omnibus organis inſtructus eſſet, antequam a rationali anima informetur, monſtrum evadat; præterea certum exploratumque eſt, fœtum maternæ imaginationis motibus, per omne prægnationis tempus, affici poſſe; innumera ſcilicet experimenta præſto ſunt, quæ nos hac de re dubitare non ſinunt. Quis igitur ſibi perſuadere certo poteſt, primis momentis ipſis quæ per animam rationis compotem fœtus informationem ſequuntur, cum omnes ejuſdem partes adhuc molles, tenellæ quæſique ceræ ac flexiles admodum ſunt, matris imaginatione ſeu phantaſia non ita poſſe fibras contextumque corporis fœtus inverti, vitiarique, ut ex hominis capite & corpore, ſimii vel alterius bruti animantis corpus & caput efficiat? Jam vero cuinam erit audaciæ ſatis, ut dicat, in hac facti ſpecie, rationalem animam quæ fœtui jam inerat, recedere, quia ejus hoſpitio mutata figura eſt, & monſtroſa, cum naturalis eſſet, evaſit...? Ad extremum, haud fieri pugnat, ut humanus fœtus quoad externas partes monſtroſus ſit, quin cerebrum & interna viſcera ſint ejuſmodi; ac tum quidem, quid obeſt, quominus rationalis anima hoc monſtrum informet, quod externa tantum ſpecie tale foret? E quibus omnibus tandem infero optandum eſſe, ut monſtra baptizandi uſus in Eccleſiam inducatur; atque eo ſane magis, quod ea nunc temporis, adhibita conditione, Baptiſmum conferri ſinit. Id vero cum S. Auguſtini ſententia congrueret, qui diſertis verbis pronuntiat, ſatius eſſe, Sacramentum quod in hominis gratiam inſtitutum eſt, quam ſalutem hominis in cujus gratiam Sacramentum eſt inſtitutum, periculo expo".

2. DD. Boileau, Nicolius, Caron aliique Theologi plures, itemque D. Dubois ipſe hoc placitum approbarunt.

3. Idem ſenſere trium Lovanii facultatum Doctores.

Vide medicinæ, juris ac Theologiæ Doctorum litteras quæ occurrunt in *Vita & Operibus Lazari-Andrea Bocquillot*, pag. 406. & ſeq.

Ibid. pag. 53. n. 24. Dicitur vacare beneficia *pleno jure* ſeu *ipſo facto*, ob falſæ monetæ crimen; & T. IV. pag. 4. dicitur, *patratam ſuper moneta falſitatem haud ſecum trahere beneficii vacationem niſi per ſententiam*. Hæc apparens repugnantia ex eo oritur, quod ſecuti ſumus auctores duos quos inter non convenit hoc in capite; videlicet, auctorem Dictionarii canonici D. Durandum de Maillane, in loco qui Tom. III. laudatur, & Gibertum, in Tom. IV. Hac in re, cum D. Colletio, D. Durandi de Maillane ſententiæ ſtandum eſt.

Ibid. pag. 53. n. 26. Extat præcedentis numeri tertii inutilis repetitio.

Ibid. pag. 53. lin. 50. loco, anni undecim, *dicendum*, anni quatuordecim ad Cathedralium Eccleſiarum præbendas; & in acquiſitis regionibus, anni unus & viginti completi in cathedralibus, & in collegiatis incepti quatuordecim.

Ibid. pag. 56. Dicimus, poſt Gibertum, *bigamum eum haberi, qui cum religioſa profeſſa conjugium iniit*. Dicere debueramus, cum Colletio, *laicum qui religioſam conjugem duceret, irregularem non fore, quia jus hac de re ſilet*; irregularitates autem eæ tantum ſunt, quæ in jure exprimuntur.

Ibid. pag. 56. poſt lin. 6. *Adde*, Epiſcopi ſuper bigamia ſimilitudinaria ad majores perinde atque ad minores ordines diſpenſare poſſunt.

Ibid. pag. 86. lin. 57. legitur omnia crimina quæ Clericos irregulares reddunt, implicite in irregularitate reſervata eſſe. Id falſum eſt, pugnatque cum n. 9. pag. 92.

Ibid. pag. 87. Caſu VII. Decretalis *Dura* exigit, ut, qui adulteratas bullas viginti dierum ſpatio retinent, ab ordinario excommunicationi ſubdantur, ut hic caſus ſit ſummo Pontifici reſervatus.

Ibid. pag. 90. lin. 6. Conjugum facinus qui ſibi reapſe mortem inferre conantur; *adde, invicem*, ſeu, unus alteri.

BELLA RELIGIONIS. Abbas Nonnotius pag. 277. Tom. II. contra Volterii errores animadvertit celebratum auctorem hunc ſuis in Operibus quorum varium eſt ac multiplex genus, nunquam acrius crebriuſque excandeſcere, quam cum de Religionis bellis loquitur, quæ univerſum terrarum orbem, Europam in primis ſæculo decimo ſexto vaſtarunt, quorumque omnes Catholicis horrores adſcribit. Idem confutator errorum Volterii id quoque monet Abbatem Bazinium, philoſophici Dictionarii auctorem, & Abbatis Bernerii amicum intimum, ſuper hoc ipſo argumento verſantem, ſummo furoris impetu in chriſtianos Oratores invehi, qui, ſiquidem ei fides, qui ſuis in ſermonibus horrendum belli flagellum nunquam vituperant, & peculiariter in D. Maſſillonium quem admodum concinne nuncupat *Gallum nomine Maſſillonium*, qui, ſiquidem audiunt, ne verbum quidem de bello habet in ſermonibus ſuis omnibus, *in quorum numero tres, vel, ad ſummum, quatuor occurrunt, quos probus quiſque ſine faſtidio legere poteſt*; hactenus Abbas Bazinius.

Verum Abbas Nonnotius hanc Abbatis Bazinii in D. Maſſilonium aſſertionem non minus dedecere, quam calumniam olere ita probat, ut nullum effugio locum relinquat, in medium afferens præclari hujus chriſtiani Oratoris fragmenta duo, quorum unum e ſermone, minoris quadrageſimæ dominica prima die, habito, alterum e ſermone ad Dominici natalis diem pertinente deprompta ſunt, ambo ita ut nihil magis, eos in Reges vehementia, qui ſe ſinunt bellorum furore abripi, quæ nequaquam neceſſaria ſunt, quibuſque nihil aliud cauſam præbet, quam animi elatio, vanitas, gloria, ambitio, &c. Fragmentis his duobus quæ apud Maſſillonium ipſum, vel in Anti-philoſophico Dictionario legi poſſunt, nos quidem auctoritatem addemus, quæ non minoris ponderis eſt ad diſjiciendam exprobrationem quæ Oratoribus & Inſtitutoribus Chriſtianis offunditur, qui nempe ignave ac

turpiter

in Fepitar super belli horroribus conticuerint; est hæc Fenelonii, illustris & immortalis viri auctoritas in eximio ejus opere cui titulus: *Institutiones ad Regis conscientiam, ad Ludovici Galliarum, Burgundiæ Ducis documentum concinnata*; quod opus rursus an. 1775. Parisiis impressum est, scienta & palam consentienta Rege Ludovico XVI. qui probe novit, quo in pretio habendum sit; quodque multo etiam, supra quam dici potest, gloriosius ast juniori Principi, quique illud tamquam suæ omnis agendi rationis regulam, ad suorum populorum felicitatem, sibi proposuit. En igitur documenta quæ suo augusto alumno prabet in tanti nominis institutor, ad bellum quod attinet, in sua institutione XXV.: „ Nullamne tu quidem, *inquit*, injuriam exteris nationibus intulisti? Patibolo affigitur infelix pauper qui ad extremam egestatem redactus pública in via duplionem abstulerit; & heros habetur, qui acquirit, hoc est, subigit finitimæ ditionis regiones contra jus fasque. Prati aut vineæ usurpatio spectatur tamquam peccatum quod, nisi restituatur ablatum, Dei judicio remitti non possit; & nihili fit urbium provinciarumque usurpatio. Agrum adimere privato homini, grave peccatum ast; ingentem nationi ragionem adimere, innocens & gloriosum facinus est. Ubinam igitur justitia notiones sunt? itaue judicabit Deus? *Existimasti inique, quod ero tui similis?* Minusne quisque debet magnis in rabus quam in parvis justus esse? An vero justitia, cum de gravioribus majorisque momenti negotiis agitur, non amplius justitia est? Hominum decies atque adeo centies centana millie quibus natio constat, minusne nobis, fratrum titulo, quam unus & unicus homo, junguntur? Minusne scrupuli suberit, ut quispism, universæ regionis causa, hominum centies centenis millibus injuriam irroget, qua, prati ergo, unum tantum hominem afficare non auderat? Quicquid igitur puræ putæque acquisitionis jure, vique sumitur, injuste sumitur, & restituatur, oportet. Quicquid in bellu samitur, quod e malo fundamento, seu injusta causa susceptum luit, ejusmodi est.

„ Pacis conventiones nihil obtegunt aut in tuto ponunt, cum tu quidem es fortior, tuosque finitimos redigis, ut ad majora vitanda mala pactioni subscribant; tunc enim ita subscribunt, ut privatus homo crumenam latroni dat, qui ai breviore sclopeto armata manu ad jugolum imminet.

„ Bellum quod abs re suscepisti, quodque cum successu secundoque marte gessisti, nedum tibi tutam conscientiam reddit, potius omnino postulat, ut non solum usurpatas regiones restituas, sed omnia quoque damna finitimia allata reperes.

„ Pacis porro pacta quod spectat, aa saua nulla prorsus & irrita habenda sunt non solum injustis io rebus quarum causa fuit vis, sed in iis etiam quibus forte aliquem dolum & ambiguam aliquam vocem miscueris, quibus, cum primum sa faveus occasio obtulerit, utereris. Tuus hostis tuus frater est; te subire non potest ejus oblivio, quin ipsa tibi ex animo humanitas excidat. Nunquam tibi licet ei malum inferre, quod, quin tibi noceas, vitare possis; nunquamque potes, præter quam in extrema necessitata, in eum tibi amolumenti quicquam par arma quærere.

„ In conventionibus, de armis bellisve non amplius agitur; de paca tantum, de justitia, de humanitata ac bona fide sermo ust. Longe turpius est criminosius scelestiusque in pacia cum finitimo populo statuendæ pactionu fallere, quam in contractu aum privatis hominibus inito. Ambigua & fallacia vocabula in conventione ponere, ust parare in posterum belli semina; ust tormentarii pulveris dolia supponare domibus in quibus degitur.

INSTITUTIO XXVI.

„ Cum actum du bello est, tuumne jus initio statim ipse expendisti, virisque qui magis sapeent, tibique minus assentarentur, expendendum proposuisti?... Investigastine omnia quæ poterant contra ta facere, rationum momenta?... Tibine obversata ust tua ipsius gloria, tamquam alicuis rei suscipiendæ ratio, ne vitam transigeres, quin inter cæteros Principes, emineres? Quasi varo Principes turbanda populorum felicitatu, quibus esse debent parentum loco, solidam aliquam gloriam nancisci possent! Quasi varo patri-familias existimationem possent acta comparare, quæ ujus filios milutos reddunt! Quasi vero gloriæ aliquid aliunde Rex quam u sua ipsius virtutu, videlicet u justitia rectoque populorum suorum regmine sperare dabaret! Necessariumne bellum putasti, ut arces acquireres, qua tibi congruerent, quæque tuæ ditionis fines in tuto ponerent? Ablone regula! Per ea quæ conveniunt conducuntque, paulatim & pedetentim ibitur ad Sinense imperium usque.

INSTITUTIO XXVII.

„ Satisne ea probe expendisti, tuis, necne, populis necessarium bellum esset, de quo agebatur?... Omnibus accurate compensatis rebus & æqua lance ponderetia, nullum fere, licet feliciter absolutum, bellum est, quin ditioni longe plus mali quam boni afferat.... Justa hæc belli bonorum malorumque compensatio bonum Principem semper adduceret, ut bellum ob funestes ajusdem consecutiones vitarat.... Una tantum esse potest facti species, in que bellum, quæcumque tandem illud sequantur mala, necessarium evadat; ea scilicet, in qua illud evitari non posset, quin propterea injustus, dolosus & æquo potentior hostis prater modum intumesceret proficeretque.

Alteram Supplementum, seu additio

ed

INSTITUTIONES XXV. XXX.

„ Omnes terrarum Nationes nihil aliud demum sunt, quam unius ejusdem Reipublicæ peculiares familiæ, quarum communis est pater Deus; qui sane natura conlonam universim legem, ed quam cujusque familia regimen exigetur, eam essa vult, ut publicum bonum privato commodo prælatur... Amor igitur populi, publicum bonum, societatis universa res est generatim omnino firma constansqua Principum lax. Lex hæc conventionem quamlibet antecedit; nititur natura ipsa; cætararum legum omnium fona & regula ast. Qui regit, huic primitivæ legi se primum subdere, omniumque maxime parera debet. Magna familiæ communis pater non aliam ob causam suos ei filios concredidit, quam ut eos felices redderet.... Eum Deus non in ipsius solum gratiam Regem statuit; is quidem ajusmodi tantum, ut sit populorum vir, nec regia majestate ac vi dignus est, nisi quatenus ob publicum bonum reapsa sui ipsius obliviscitur.

„ Tu vero qui sancti Ludovici filius es, *ita sapiens piusque præsul illustrem alumnum suum per epistolam alloquebatur*, patrem, fac, imiteris, ejusque instar, suavis, humenus, accessu facilis, affabilis, ad miserationem compositus ec liberalis esto. Tua te nunquam majestas impediat, quominus humaniter ad minimum quemqua descendas, ut eorum ta loco ponas.

Cum eques Sancti Georgii an. 1709. seu 1710. Fenelonii invisendi gratia Cameracum sa contulisset, suum esse credidit præsul, ut consilia quæ sequuntur, aidam præberet: „ Primum omnium tuos nunquem subditos ed religionam mutandam adigas. Nulla humana potestas animi libertatem quæ impervio quasi vallo munita est, cogare potest. Hominibus unquam persuadere non potest vis; hæc hypocritas tantum facit. Cum religioni se immiscent Reges, nam nedum tuentur suoque præsidiu custodiunt firmantque, potius in servitutem redigunt. Civilem omnibus tolerentiam concedu; non omnia quidem approbans, ut indifferens, seu promiscue tu babens; sed patienter ferens, quicquid fert & patitur Daus, studensque suavi persuasionu homines in viam revccare."

Estne id ergo non damnare omnia generetim bella que haud necessaria sunt, & religionis bella tamquam necessaria proponera? At grevius negotium ust, quam ut hactenus dictis contenti simus, nec paullo diutius in eo immoremur.

Id inspirans Principum animo, ut summopere omnia omnino, & peculiariter religionis bella aversentur, doctus & pacificus Cameracensis Archiepiscopus ust Christianæ Ecclesiæ, prope dixerim, echo, ujusque super hac re doctrinæ fidelis interpres. Ea quidam semper hominum amica eorumque sanguinis inimica, sine ulla pro-sua intermissione docuit oportere damnum, contumeliam, acerbiores injurias patienter ferre, nedum per ferrum & ignem ultionem cogitare; in ipsisque principum mutuis dissidiis, læsæ parti non licere bellum altari indicere, nisi postquam ad pacia redintegrationem nihil non actum est; nihil obstantibus causæ justitia & gravitete, mentis puritate, constantique voluntata servandi duriores in bellu mode-

rationis

rationis regulas quas humanitas & jus gentium præscribunt.

At, si ita res habet, inquiet dubio procul Abbas Bernetius, quorsum igitur ea prope nunquam intermissa Christianorum Principum inter se bella a Christianæ Religionis ortu, in ejusqua sinu ipso? Quorsum ea toties repetita Religionis bella quæ terram sanguine contexerunt?

Facilis est & expedita responsio.

Quorsum Christianorum Principum inter se bella?

Quia scilicet Christiana Religio nac humanam naturam, nec humanitatis jura de medio funditus tollit. Christiani Principes homines sunt; sua igitur iis sunt vitia; non ita sunt e natura facti, ut nec in agendi ratione delinquere, nec in susceptis consiliis hallucinari fallique possint; nonnunquam ergo bellum abs re aggredi & gerere possunt, quin eorum errata, quoad caput hoc, possint in religionem trahi, cui nulla prorsus est in iisdem pars, quæve potius ea vituperat, nedum approbat; addi & illud ad ejus laudem & perquam verissime quidem potest, eam, si minus omnia omnino bella abolevit, eorum saltem numerum imminuisse, temperatis mollitisque Principum populorumque rudioribus ferisque moribus qui eamdem amplexi sunt. Cæterum, sua sunt temporalia christianis Principibus jura, quæ, cum aliter nequeunt, armorum vi defendere & sarta tecta servare possunt; non ergo mirum videri debet eos aliquando armis invicem uti, spectata hominum indole, quoad sua quique jura propugnanda feruntur, spectataque difficultate quæ in iis probe cognoscendis occurrit, cum fieri possit, ut bona fide credat quisque justitiam a se ipso stare.

Quorsum tot religionis bella?

Ejusmodi bella non tot fuere, quot nobis obtrudi lubaret. Equidem eorum aliquod per priora duodecim christiani nominis sæcula quæro, nec satis polleo oculorum acie, ut vel unum tam longo temporis spatio detegam perspiciamque. Decimum tertium sæculum nobis illud exhibet, quod in furentes Albigenses gestum non nisi Occitaniam & huic provinciæ finitimam regionem pervasit. Hussitæ decimo quinto & Hugonoti decimo sexto sæculis, in legitimas potestates insurrexerant, easque arma sumere coegerunt. Multo plura religionis bella fuisse video, quam reapse numerari possint, mihique probatum volo germanam eorum causam religionem fuisse, quandoquidem, sine hac invicte probatione, pro certo semper habendum erit, injuria ejusmodi bella eidem adscribi, eamque nunquam eorum nisi obductam speciem, velum, fucatamque & fallacem personam fuisse, quam politici dicti callidi vafrique homines scite satis apteque suæ ipsorum fronti imposuerunt, ut, quem animo per hypocrisin fovebant, ambitionem tegerent. Estne porro de religione judicandum non ex ejus quidem doctrina perpetuoque documento, sed ex abusu, in quem præposteris cupiditatibus abrepti homines eam trahere audent, quemque ea ipsa damnat & exsecratur? Ad extremum, si quando bellum religio præcepit, id propterea factum, quia poterat atque adeo debebat in circumstantiis in quibus ita se gessit. Veræ religionis apostatæ simulque rebelles in potestates duas arma sumunt. Quis jure dubitaverit, quin supremus rei publicæ moderator, & tamquam temporalis Princeps & tamquam veræ religionis patronus & custos perduelles vi reprimere possit ac debeat? Est hoc ineluctabile omninoque necessarium officium quod conjunctim leges duæ, naturalis & divina Principibus, in his circumstantiis, imponunt; officium, inquam, quod christifidelis quisque fatetur & approbat, quodque nulla prorsus ratione cum tolerantia pugnat, quam equiti Sancti-Georgii Camerecensis magnus ille Archiepiscopus inspirabat, quod demum ipsum hoc loco enucleari oportere credimus, ut abusus in quem illustris præsulis verba trahi possent, antevertatur.

Est igitur duplex, in religionis negotio, tolerantia, theologica, civilis altera.

Theologica tolerantia in eo est posita, ut omnes religiones, omnes cultus, omnes honorandi Dei rationes reapse aperteque approbentur. Est animi nempe judicium, qui putat religiones ad unam omnes suapte natura bonas esse, & quemque posse eam indiscriminatim sequi vel adoptare, quæ magis placet, aut in qua natus educatusque est, aut in quam denique forte fortuna incidit. Ergo ejusmodi tolerantiæ patitur, approbat, adoptat, sequitur, pro re nata, religiones quæ existunt, vel possunt existere, quantumvis tandem absonæ, absurdæ, turpes, horroribus & criminibus infartæ sint, aut esse ponantur. Catholicus procul, & quidem merito, explodit rejicitque tolerantiam hanc quæ, certo evidenterque, primum inter omnia humanæ mentis deliramenta locum tenet, cum cætera ad unum omnia adoptet & consecret. Quia unus tantum & unicus est Deus, una tantum proinde est vera religio, quandoquidem una, individua, quæque major minorve esse non potest, veritas est. Unius igitur Dei existentia id efficit, ut existat una quoque divina religio, cujus ipse fons & scopus, principium & finis est, quia unum tantum esse potest argumentum fidei quem conficiunt veritates quas nobis Deus revelavit; itemque una & eadem morum regula quæ legibus continetur, quas ipse nobis indixit. Dogmatum præceptorumque congeries, quorum alia aliis opponerentur, esset totum quoddam absonum, monstrosum, absurdum, quod auctorem & approbatorem Deum, qui veritas ipsa, justitia, sanctitas, sapientia immutabilis & suprema est, habere non posset. Religionum ergo, quæ veræ sint, multiplicitas absurda est ipsa per se, ac necessario cum unici Dei existentia & natura consociari non potest. Una est ergo vera religio, & ea quidem catholica religio est, quippe quæ una resilit ad mundi initium usque, & nobis creatorem Deum exhibet, quem hominum parenti indigitavit; unaque etiam omnes veritatis & divinitatis notas & omnia tum intrinseca tum extrinseca credibilitatis argumenta præsefert, quæ justam, rectam, sinceram mentem apprime convincere sunt apta nata.

At si catholica religio una & unica vera est, eadem igitur est theologice minime tolerans; & quidem necessario ac suapte natura; atque ejusmodi non esse non potest; quod si fieri posset, ut non esset ejusmodi, jam tum, & hac ipsa de causa desineret esse vera religio, prout omnino Deus desineret Deus esse, si religiones omnes, ut theologice loquamur, tolerare posset. Evidens est, nec intellectu difficilis consecutio. Si per approbationis tolerantiam omnes existentes quæve existere possunt, religiones tolerare posset Deus, eodem tempore falsum & verum, justum & injustum, vitium & virtutem, solidiora dogmata & maxime mysteria, sapientiores leges & solidiora instituta, sanctiora acta & turpiora, horroreque & exsecratione digniora flagitia approbare posset. Jam vero, in hac hypothesi, jactata divinitas æterna Deus, an potius monstrum ad derisionem absonum, summeque exsecrandum? Idem dicendum de religione prorsus omni quæ esset perinde tolerans. Catholica ergo religio, cum una & unica vera sit, proinde ac necessario, & quidem theologice non est tolerans.

Civilis tolerantia est in eo posita, ut omnes religiones, omnesque sectæ variæ & multiplices tolerentur, non ita quidem, ut tamquam bonæ vel promiscua se habentes approbentur, sed ita solum, ut tranquilli relinquantur, qui eas profitentur, quin suæ credulitatis negotio turbentur. Id ergo agitur in præsentia, ut compertum fiat, an catholicus Princeps civili hac, universa, absoluta, finis nescia tolerantia suis cum subditis uti debeat; atque an hæc sit Ecclesiæ mens, ejusque ministrorum ac nominatim Fenelonii doctrina in consiliis quæ, ut supra vidimus, equiti Sancti-Georgii præbebat. Est hæc maximi, si qua unquam, momenti quæstio, quandoquidem publicum bonum & societatis universa pax ab ea pendent. Nos operam dabimus, ut, quicquid excedit, in ea solvenda vitemus.

1. Quoniam una tantum est, ut ostendimus, vera, & ad æternam salutem necessaria satisque firma religio, & hæc quidem catholica religio est; evidens proinde fit, principem qui satis felix est, ut eam norit, debere eidem se addicere, eam profiteri ipsum, eique patrocinari, & perficere, ut omnes ejus subditi eam observantia prosequantur, & congruis rationibus in usu ponant. Debet id Deo, a quo suam ipse potestatem tenet, quæ imprimis eo spectet, ut, principe operam dante, cognoscatur, & honore afficiatur servitioque supremus omnium entium auctor, qui eam hoc sane consilio eidem concredidit. Id etiam sibi ipse debet naturalis legis vi, quæ adigitur, ut se diliget amore rationi & saluti consentaneo, qui eum ad mensuram felicitatem ducet. Debet denique suis id subditis quorum non minus tutor & pater, quam dominus & caput est; quod eum proinde adigit, ut suas curas, suam auctoritatem, suam potestatem impendat, in eum finem scilicet, ut iis solidam felicitatem quæ in vera tantum religione invenitur, supra cætera omnia bona conquirat.

2. Cum Princeps, quod certum exploratumque est, suas curas suamque potestatem impendere debeat, ut

nuam

unam & unicam suis ipse subditis veram religionem comparet), liquido constat aum omnibus indiscriminatim religionibus civilem, absolutam & illimitatam concedere omnino non posse. Id enim si posset, consequens fieret, ajus conscientiam rectasque omnes moralis scientiæ regulas, omnia sanioris rationis lumina, omnia purioris virtutis principia sinere, ut suis ipse subditis cumulatam libertatem tribueret profitandi exercendique publice religiones omnes, etiam apprime absonas, apprime ridiculas, apprima monstrosas; apprime turpes, apprime crudeles, apprime barbsres, cujusmodi sunt, ut axempla proferam, quæ furta, homicidia, perricidia, infanticidia, bumana sacrificia, prostitutiones, incesta, adulteria, peccata contra naturam, idolorum cultum, omnia crimina, omnes horrores, omnes turpitudines consecrant & divinitate donant. Tolerantia quæ universim effertur, universam hanc fœditatum, opprobriorum, abominationum, atrocitatum, omnisque generis scelarum congeriem necessario secum trahit. Tu varo, quicumque es, horrendi quod tolerantismus inducit, systematis fautor, non pudore suffunderis? Non iguominia conficeris?

3. Dum porro in universæ tolerantiæ, quod ad religionis negotium attinet, absurditatem, & jure quidem, invehimur, non eo animo sumus, ut absolute citraque exceptionem, civilem omnem, quoad caput hoc, tolerentiam vituperemus, quia quæ nos ratio permovet, ut eam rejiciamus, quæ nullo limite sisteretur; eadem nos ipsos monet, ut eam probemus vereamurque, quæ certos quosdam ipsa sibi fines præscribit, cum eam poblicum bonum ipsiusque religionis emolumentum legitimam & necessariam efficiunt, circumstantiarum ratione habita, quæ eam requirunt. Tum vero ad principes pertinet definire, quo usque possint eamdem protendere, quin detrimenti quicquam sublimibus functionibus afferant, quæ peculiaribus eorum titulis respondent, quæque iis imponunt officium duplex, ut & sollicite solerterque veræ religioni patrocinentur, & prudanter falsas reprimant, ita tamen, ut a vi ac sanguine abstineant, nisi forta perduelles audacesque publicæ tranquillitatis perturbatores domandi necessitas ita requireret. Gladius tum quidem, qui in principis manu scintillat, non id propositum habet, ut conscientias cogat, sed ut conjuratos, reos, legibusque & auctoritati regiæ refractarios subditos in ordinem redigat subjiciatque. Non hi sana sunt puri putique mentis errores qui non nisi miseratione, indulgentia, documentis ac monitis digni sunt: sed molimina potius & facinora, quæ non minus publico bono, universæque societatum retloot, quam principum qui eas regunt, potestati sacrisque juribus advertantur.

Si incredulitatis, multiplicumque sectarum fautoribus, quæ hujus terrarum orbis superficiem contegunt, satis esset clam aberrare, quin quicpiam agerent scriberentve, ut errorum suorum contagionem disseminarent, nihil esset dubio procul, quod de christianorum principatuum in ipsos adhibitis acerbitatibus quereretur. At cum cernentur ad jocum calumniis & blasphemiis obruere christianum nomen, nunquam non despotismum ac tyrannidem quoad principes increpare, sermocinari, dogmata struere, scribere & congerare in dies novos libellos atque adeo volumina, quorum alia semper aliis licentia, obscœnitate, impietate, seditionis prurigine pejora sunt, ut corrumpant, seducant, turbent, invertant pervertentque mortalium genus omne, iis persuadentes religionem non nisi chimeram esse; nullum existere nisi in præsenti vita seu bonum quod speretur, seu malum quod timeatur; quicquid ast utile jucundumve, licere, non aliam homini agendi regulam, quam propriam & peculiarem ipsius utilitatem asse; & hanc ipsam, absque ullo vel minimo conscientiæ stimulo, inter injustitias, proditiones, perfidias, furta, rapinas, latrocinia. propinata venena, homicidia, impudicitias, omnisque generis abominationes ab eo quæri posse; cum, inquam, nostri hujus furfuris philosophi sibi licere contendent, ejusmodi placita, quod quotidie faciunt, effundere ee typis dare, eos reprimere non licebit, sed tolerare debebit princeps, ei pœnæ secus obnoxius, ut persecutor, tyrannus, crudelis homo ac barbarus habeatur! Fidenter dico: ejusmodi tolerantismus esset humanæ mentis opprobrium, societatis perditio, imperiorum certum excidium, omnis auctoritatis, omnisque potestatis quæ legislativa & gubernatrix dicitur, ineluctabilis scopulus. Tolerantiæ igitur genus hoc nec quoad ethnicas religiones, nec quoad sectas quæ omnis omnino religionis expertes essent, quæque nihil non sibi licere crederent, propugnari locumve unquam habere potest. Ergo quoad multiplicas christianas sectas, a Romana Ecclesia sejunctas recipi nequit; ac de his quidem unice accipi debent Fanelonii ad Sancti Georgii equitem consilia quibus uteretur, si quando ad suorum majorum solium rediisset. Consilia hæc ad sapientiæ prudentiæque leges exacta sunt; nec dubitamus, quin catholicus princeps qui in Anglia aut quavis alia protestantium regione regnare contingeret, ab omni coactione, vi, infestique ratione, suos ad subditos, cæteroqui obsequentes, ut religionem amplecterentur, adigendos abstinere deberet. Bonum igitur exemplum, documenta, cohortationes, paterna monita & ad charitatem composita, patientia suavisque persuasio, hæc demum, non alia adjumenta essent, quæ ab eo impendi oporteret, ut eorum permoveret & in viam revocarat, convictus, ut ait illustris Cameracensis Archiepiscopus, nullam humanam potestatem cogere posse animi libertatem quæ firmissimo quasi vallo munita est; vim nunquam hominibus persuadere, nec nisi hypocritas facere.

CANONES. „ Regulæ & decisiones per quas Epi„ scopi in concilio congregati statuunt, ad novum „ mandatum usque, seu quoad aliter visum fuerit, „ immutabilia fidei dogmata & disciplinam Ecclesiæ; „ explicant corrigantque Dei verbum.“ (Th. Port.)

Si auctor esset bonæ fidei, magisve in ecclesiasticis argumentis versatus, inter canones qui super dogmate, eosque qui super disciplina versantur, itemque divini verbi explicationem inter & correctionem, necessarium discrimen posuisset. Ecclesiæ disciplina, videlicet legum codex qui Ecclesiæ politiam & regimen moderatur, ad varia temporum, locorum, personarum adjuncta necessario refertur. Non est ergo penitus immutabilis; ac significatione quidem rationi admodum consentanea dici potest Ecclesia, seu congregata, seu non, suam quoad plure capita disciplinam statuere, solum quoad aliter visum fuerit, hoc est, quoad ipsum fidelium bonum postulaverit, ut ejus aliquæ leges mutentur, quia circumstantiarum mutatio ita requirit. Verum ad canones quod spectat, qui respiciunt fidei dogmata, hos vero Ecclesia nunquam mutabit, quia non minus immutabiles sunt quam Deus, suprema veritas quæ eos revelavit. Quod nempe tamquam fidei articulum ab incunabulis Ecclesia credidit, id etiamnum credit, & ad sæculorum finem usque sine ulla imminutione ac vel minima variatione credet.

Ac de Ecclesia quod dico quoad canones quibus fidei dogmata continentur, id æque quoad divini verbi correctionem dicendum est; nullam enim correctionem illud pati potest; at quia sublime, profundum, obscurum captuque difficile pluribus in locis est, explicari potest atque adeo debet, seu potius ejus explicationibus ab Ecclesia approbatis se quisque docilem præbeat, adhæreatque, necesse est, quin illud interpretari volens suæ ipsius menti se dedat.

CŒLIBATUS. Dum cœlibatui defertur honos, sacre Biblia corriguntur, quæ matrimonium præcipiunt, inquiunt cœlibatariorum hostes. Nos jam animadvertimus biblia non corrigi, sed explicari. Ergo Romana Ecclesia definiens matrimonio perfectiorem cœlibatum esse, suisque sacris ministris continentiæ legem imponens, divinum de multiplicatione mandatum non correxit, sed solum explicavit, declarans eam nunquam fuisse supremi legislatoris mentem, ut hominibus matrimonium præciperet, continentiamque interdiceret ad omne tempus, sed solum ad tempus quod ad humani generis propagationem requirebatur; quam sane propagationem non sistere nec tam multi qui se in Romana Ecclesia virginitati explicite vel implicite devoverunt, nec pestis, bellum, fames, totque aliæ calamitates quæ e nostri hujus terrequei globi superficia quotidie tam ingentem hominum multitudinem tollunt.

COGITATIONES. Scriptor quidam qui excellit in mentiendi arte, ut divinitati insultet & dicam impingat, eam pravis, licet involuntariis cogitationibus se læsam censere contendit. Vah puram putamque calumniam? Justior est Deus, quam ut ab hominibus id requirat quod per eos fieri non potest, seu superat eorumdem vires; quicquid proinde ie iis accidit agiturque, invitis ipsis & absque eorum consensu, nec ita culpæ, nec sibi injuriæ tribuit. Adeo in præsenti rerum statu ad peccatum necessaria libertas est, ut quivis actus qui nulla est ratione liber, hac ipsa de causa divinitatem lædere nequeat. Cogitationes igitur quæ eam lædunt, eæ demum sunt, quæ criminosæ sunt & voluntariæ, quæ scilicet in hominum cerebro excitantur, propterea quod in corrupti eorum animi vitiosis affectionibus sue iisdem sedes est. Eam lædit maturus consummatusque consensus qui præbetur innu-

maris

meris inſanis, abſonis, præpoſteris abſurdiſque cogitationibus quæ abſque intermiſſione permeant theologorum caput, qui D. noſtro in theologiæ licentiato ſimiles ſunt. Quod eam graviſſime lædit, id vero eſt, quod hi præclari cogitatores, haud ſatis habentes ejuſmodi ſpecioſas blandaſque cogitationes cum oblectatione ſuum intra cerebrum volvere, ad eas & verbo tenus & ſcriptis proferendas incredibili quodam impetu ac fervore trahuntur, eo demum conſilio, ut eas ubique receptas videant, & in eaſdem tot admiratores, quot auditores aut lectores pertrahant. Læditur divinitas, certoque proinde damnabit homines, quicumque tandem eſſe poſſint, non jam propterea quod ii non cogitent ſacerdotum inſtar, ut abſolute loquamur, & quidem in rebus promiſcua ſe habentibus quas illa humanæ libertati relinquit; ſed quod eorum ſuper religionis negotio cogitandi ratio recedet a ſacerdotio, a moribus, a virtute, ab omnibus theoricis & practicis veritatibus quas quiſque credere & ſervare neceſſe habet, ut ad ſalutem perveniat; quia ſacerdotes, quoad caput hoc, ipſius divinitatis miniſtri, feciales, organa, interpretes ſunt; nec, iam honorifica ratione ſpectati, contemni poſſunt quin contemptus ad perpendiculum rectaque in eum recidat, quem repræſentant, & a quo ſuam miſſionem cum charactere obtinuerunt.

CONSTITUTIO, CONSTITUTUM. Id vocabuli primis Imperii temporibus in uſu poſitum fuit, ut juſſa, mandata, ſanctiones ſignificaret. *Eo* ſtatim poſt Orientis ſimul atque Occidentis Imperatores, concilia, Romani Pontifices & Epiſcopi uti cœperunt, ut hoc quidem titulo ſuam ipſorum voluntatem exponerent. Conciliorum porro conſtitutiones fere nihil erant aliud, quam comminatoria decreta, vel efflictiva ſententiæ.

CRITICE. Eſt hæc de factis a quibus hiſtoria coaleſcit & conſtat, de ingenii operibus, deque eorum ſenſu, ſtylo, auctoribus, de chartis, de diplomatibus, de antiquis omnibus monumentis judicandi ars. Ea ergo eſt quædam veluti fax quæ nos illuſtrat, & tuto ducit per antiquitatis, ut ita dicam, vias, efficitque, ut hiſtoriam a fabula, verum a falſo in Sanctorum vitis, in Martyrum & conciliorum actis in Summorum Pontificum epiſtolis, in veterum ſcriptis, &c. ſecernamus.

Suæ ſunt huic critices arti regulæ, aliæ generales, peculiares aliæ; eæque naturalis legis principiis nituntur, ut quæ ſequuntur: nunquam ab incerto ad certum, ob eo quod eſſe poteſt ad id quod eſt, ſeu, quod vulgo dicitur, a potentia ad actum, e particulari ad generale concludi poteſt, falſitas non præſumitur. Nemo gratis præſumitur malus, niſi nempe rationum momenta ſuppetant. Super puris putiſque conjecturis nunquam ſtatuenda facta; teſtimoniis, & his quidem fide dignis eſt opus; inæqualis ponderis hinc inde probationibus ad mitiorem partem propendendum eſt, benignæ interpretationis ope, *favores ampliandi*; ſemper item bono ſenſui, rectæ rationi, prudentiæ æquitatique conſentaneum in modum judicandum eſt; principiorum veritas non demonſtratur; ac nunquam principia recipiantur, oportet, publica facta quæ coævi auctores omnes fide digni, eoſque ſecuti teſtantur. Omnes hæ regulæ & ejuſmodi aliæ naturali lege rectaque ratione fulciuntur. *Super regulis uſuque critices animadverſio. Diction. Diplom.*

CRUX. Crucis ad Conſtantinum apparitio. Hanc Volterius putat *fabulam quam philoſophia improbat, & critice deſtruit. Hiſtor. Gener.* capit. V. *Miſcellanea*, cap. LXII.

De Volterio nos quidem ſatis bona fide præſumimus, ut, ſiquidem cordatos ſcitoſque criticos viros ſuper crucis ad Conſtantinum apparitione legiſſet, futurum fuiſſe credamus, ut rem & ipſe reciperet ſtatueretque, quam ſana critice profitetur, & prudens philoſophia non approbare non poteſt. Factum hoc adeo religioni honorificum glorioſumque teſtantur auctores graviſſimi; Euſebius, Cæſareenſis Epiſcopus, in libris primo & quarto vitæ Conſtantini qui illud ei ipſe narraverat; Lactantius, magni ille nominis vir & Conſtantini filiorum præceptor, in præclaro de Perſecutorum morte tractatu; Optatianus-Porphyrius, poeta chriſtianus, cujus nobis ſupereſt in Conſtantini laudem panegyris, acroſticis figuratiſque verſibus concinnata; ethnici oratores duo, ejuſdem Principis panegyriſtæ, quorum opera occurrunt ad calcem editionis epiſtolarum Plinii, Pariſiis, an. 1599. poeta Prudentius in opera in quo ſupplicem libellum refellit, quem Symmachus ad altaris victoriæ redintegrationem ab Imperatore Valentiniano II. petendam, ſenatus nomine, ediderat; Rufinus, Philoſtorgius, Socrates, Sozomenus, Theodoretus, Gelaſius Cyzicenus, omnes coævi aut prope coævi ſcriptores, qui de crucis ad Conſtantinum apparitione loquuntur, tamquam de re quarto & quinto ſeculis unanimi conſenſione recepta, innumeriſque nixa publicis & ſolemnibus monumentis, quæ tum ipſo miræ viſionis tempore, tum deinceps erecta fuere; cujuſmodi ſunt, in regiis Conſtantini ædibus aurea pretioſiſque lapillis ornata crux; triumphalis arcus quem ſenatus in ejuſdem Principis honorem, poſt Maxentii cladem, elatum voluit: aurea eidem decreta ſtatua; ea quoque, quam Conſtantinus ipſe, ſtatim ac victoriam retulit, media in urbe Roma locari juſſit, cujuſque inſcriptio expreſſis verbis notabat, Imperium a Maxentii tyrannide, ſalutaris ſigni crucis vi, liberatum fuiſſe; numiſmata, novam *Labari* formam uſumque; peculiaris feſti inſtitutio, quod, *Exaltationis ſanctæ Crucis nomine*, 14. Septembris die celebratur, quodque crucis ad Conſtantinum apparitioni tribuunt Græci, quemadmodum in eorum menologio videri poteſt.

Super hac mira re aptius meliuſque opus conſuli nequit, quam illud cui titulus: *critica diſſertatio ſuper Conſtantini viſione*, auctore Abbate Voiſinio, domus & ſocietatis Sorbonæ Doctore, theologiæ regio Profeſſore, itemque cenſore regio; Pariſiis, apud *du Puis*, an. 1774. In eam ſtrenuus diſſertator fuſa æqua ac fideliter ſolerterque congeſſit, quicquid hinc inde dictum eſt ſuper prodigio, quod diſcutiendum ſuſcipit; & nos quidem ab eo illud ea in luce poſitum exiſtimamus, ut nullam amplius ſibi offuſam nubem videre poſſit, quicumque, prudentis critices adminiculo, veritatem ingenue quærit.

CULTUS. *Cæremoniarum, motuumve corporis & labiorum apud homines ſeries, quibus univerſi ſupremo Principi placeant.* Ita quidem cultus in quibuſdam operibus definitus occurrit; at externa tantum & ſecundaria cultus pars exhibetur, cum definitur, *cæremoniarum.... ſeries*, &c. Nos ergo ſuper tam mendoſa & manca definitione hoc loco, in ſupplementum, addemus, cultum generatim honorem eſſe, qui alicui ob ejus excellentiam defertur. Si excellentia quæ cultui cauſam præbet, eſt naturalis vel acquiſita dos, civilis, profanus, ſeu politicus cultus eſt; ſin ea ſupra naturam aſſertur, cultus tum quidem ſacer ſeu religioſus evadit; ſi demum ad Deum refertur, eſt *latria* cultus qui ſolum ad Deum, tamquam ſupremum ens pertinet, a quo omnia neceſſario pendant, cum ab ipſo e nihilo educta fuerint.

Cultus eſt aut mere internus, aut mere externus, aut mixtus. Mere internus eſt, cum intra occulta mentis & cordis acta conſiſtit. Eſt mere externus, cum ipſa ſe ad aliquas ſenſibus obvias honoris & obſervantiæ ſignificationes redigit, in quibus nulla eſt menti & cordi pars. Mixtus demum evadit, cum internis actis, ſimulque honoris & obſervantiæ notis conſtat, quæ in ſenſus incurrunt; atque ejuſmodi prorſus eſt duplex cultus quem Deus poſtulat, ut primus quidem ad religionis vim & rationem ſpectet, alter vero ad internum cultum accedat, eumque neceſſario ſequatur.

Si Deus exiſtit, ut dubitari non poteſt, totius hominis creator Deus, homo igitur ab eo creatus, ejuſque divinarum manuum opus quoad partes duas e quibus coaleſcit, ſuo ſe totum auctori debet: nec poteſt, quin ſit ingratus, ei negare tributum duplex, unum quoad intima animi ſeola, quoad corporis motus alterum, qui quidem motus ſecretas obſervantiæ, adorationis, gratitudinis, ſubjectionis, amoris affectiones innuunt quaſique ob oculos ponunt. Si hæ animi diſpoſitiones religioſi cultus eſſentiam conſtituunt, ejuſdem ſecundariam partem conficiunt, quæ corporis propria ſunt; ac per eorum tantum conſociationem cumulate perficitur religioſus cultus, quem intellectu prædita creata ſubſtantia ſe ſuæ ipſius exiſtentiæ præſtare debere, diſſimulare non poteſt, cum ad ſuæ uſque naturæ fundum alte impreſſa ejus veſtigia notaſque ferat.

D

DAMNATIO. Credendum ergo, inquit incredulus, a Deo itemque ab Eccleſia hominum pleroſque damnari. Minime vero; proprie ſcilicet acreapſe majorem hominum numerum nec Deus nec Eccleſia æternum damnant; infelices homines per finalem impœnitentiam conſummatamque in malo pertinaciam & obdurationem miſere ipſi ſe damnant, dum eos nullo non momento temporis Deus & Eccleſia ſuavius molliuſque monent, hortantur, excitant, invitant ſollicitantque, ſuis ut depravationibus finem imponant, æternamque ſalutem in pœnitentia, quæ eos una & unica ſervare poteſt. Quid? Peccator pertinax

qui in creatarum rerum præpostero, ad creatoris contemptum, amore sciens ac volens mortem occumbit, velletque tempus in omne vivere, ut perpetuo peccaret, nonne dignus est, qui sine fine puniatur?

At *misericordiarum Deus, absque ullo prorsus fine, peccatores punit, ut eos post mortem vivere doceat*, inquit ex impiorum grege quispiam!

Nihil minus. Peccatores Deus, non ut doceat post mortem vivere, suppliciis addicit; sed eos punit, quia male, ac sua quidem ipsorum culpa, dum viverent, se gesserunt. Neque vero id facit Deus, ut vivantes corrigat, qui cæci essent, earumque pœnarum quæ ad eorum emendationem ac resipiscentiam paratæ sunt, ne minimam quidem perspicere possent; ideo solum consilio facit, ut eos doceat fidei dogma credere, quod certissimum prorsusque extra omnem dubitationis aleam positum est, quippe quod Dei verbo nititur, ac revelationis sacra fax vere iis qui in vivis sunt, tetram funestamque subterraneorum ignium speciem, qui nequam homines devorant, quin absumant, ob oculos ipsos ponunt.

At rursus cuinam persuasum fuerit *misericordiarum Deum ob momentanea*, prope dixerim, errata in omnem *æternitatem damnare*?

Fidei dogma est pœnarum æternitas; atque ut illud quisque credere, eique se subdere debeat, satis superque est, id nobis apertissima & luculentissime, ita scilicet, ut nullus sit de eo dubitandi locus, e sacris litteris Ecclesiæque traditione constare; omnes humanas ratiocinationes, quæcumque tandem huic dogmati opponi possint, illud evertere omnino non posse. Jam vero sacra Scriptura & traditio in dogmatis æternitatis pœnarum favorem conspirant, quemadmodum facile, si locus esset, probari posset; omnesque humanæ ratiocinationes quæ contra possunt, ei sua deque vertendo ineptæ sunt; quid ita? Quia ea ratiocinia, ut id perficerent, demonstrantia esse oporteret, fieri autem nequit, ut ejusmodi sint. Hæc de quibus loquimur, argumenta ad demonstrationem composita esse non possent, nisi quatenus divinæ justitiæ & bonitatis clara, perfecta & completa notio suppeteret; hæc autem hominum nemini suppetit, quoniam Dei justitia & bonitas infinitæ sunt, humana vero intellectio finita est. Harum ergo perfectionum claram, perfectam absolutamque notionem homo habere non potest, nec, quod inde consequitur, demonstrare pœnarum æternitatem iisdem opponi. Hac ipsa de causa revelatorum dogmatum nullum demonstrari potest, quia infiniti aliquid continet, finitamque rationem prætergreditur.

DEISMUS. Est deismus impium systema, non quia Deum rationis compotem ponit, ut deistarum quidam pronuntiant, sed quia non recipiunt nisi Deum, qui aberrat a ratione, sicumque ipse pugnat. Initio statim deismum definiamus; id præludii necessarium est, ut ostendamus nos ejus fautoribus non imponere. Inter eos minime convenit; idque in causa est, ut in præcipuas catervas quatuor iidem tribuantur. Primi quidam Deum admittunt tam magnum tamque elevatum, ut se indignum putet, mundi regimini semet admiscere. Qui secundo loco veniunt, bonum inter & morale malum, vitium inter & virtutem nullum omnino discrimen ponunt. Eorum sententia, qui a tertio genere sunt, anima non minus est materia quam corpus, simulque cum eo perit. Quartæ tandem classis deistæ qui etiam *naturalistæ* appellari possunt, ii sunt qui divinam omnem revelationem rejiciunt, & religionem mere naturalem, tamquam eam quæ sit ad salutem satis, unam unicamque suscipiunt. Est hæc, nostro quidem judicio, potior aptiorque quæ afferri possit, genuini deistarum systematis, præcipuorumque quæ in eo propugnantur, dogmatum notio. Deismus ergo symbolum est, quod omnem omnino supernaturalem seu divinam revelationem rejicit, nec aliam recipit religionem nisi mere naturalem, nec alias dogmaticas & morales veritates, nisi quæ rationi accommodatæ sunt, eas nempe quas ratio perfecte percipit, pervadit, approbat; ac nos quidem hoc ipsum systema, minus invisa significatione sumptum, asserimus esse absolute falsum, vitiosumque quoad plura capita, ut ostendere aggredimur.

Deista ergo, de quo agitur hoc loco, Deum admittit, *qui nihil aliud ab hominibus postulat, quam ut boni & honesti sint, quique ab iis nec fidem, nec cultum, nec cæremonias requirit*.

At 1. Deus, statim atque existit, a creaturis intelligentibus quas ad suam ipsius imaginem condidit, obsequii, adorationis, grati animi, obedientiæ, amoris, &c. tributum necessario petit. Non deerit sane qui dicat deistam huic veluti censui quem creata substantia ratione prædita creatori debet, contrarium non esse, dummodo hæc omnia ipso in animo delitescant, eorumque nihil se prodat atque in conspectum det.

In promptu responsio est. Deista nullum ab homine solitario seorsimque spectato, prout ad se ipsum refertur, officium exigit; & omnia ejus officia recondit, redigitque ad ejusdem cum societate rationes, cujus membrum est; ergo divinitatem frustratur numero pluribus, mere etiam internis obsequiis quæ a creata substantia rationis compote eidem debentur. Necessaria consecutio est. Justus est Deus, ac proinde timendus; solitarius porro seorsimque spectatus homo hoc timore non opus habet. Quorsum Deum timeat, qui eum punire non potest, quandoquidem ne ita quidem comparatus est, ut officia violare possit, quorum una & unica transgressio divinis punitionibus digna esset? Verax est Deus, ita sane credendum est; &, in deistæ hypothesi, homo non adigitur ad fidem quæ divinæ veracitati obsequium præstat. Deus est infinite purus, infinite sanctus, per essentiam puritas & sanctitas ipsa est, & ejusmodi, ut vel minimas in levioribus cogitationibus, abditioribusque consiliis maculas damnat. Quam demum *thuris speciem* ad hujus duplicis attributi aram deferet homo qui nihil non sibi licere credet, modo non erga sibi similes iturbanus & maleficus sit? Divinæ omnes perfectiones percurrerentur, quin fieri posset, ut etiam mere interni cultus, quem religiosiores ipsi deistæ iisdem exhibeant, vel minimum vestigium perspiceretur. At ita res habeat, momento temporis per me licet; sibi esse putant ad singularem commendationem satis accuratam religiosamque sollicitudinem qua divinitati adorationis in spiritu & veritate quam eidem debent, tributum solvunt: id vero non sufficit, neque ita quidem suo quoad eam officio funguntur; quid ita? Quia nimirum, 2. cum homo ex animo constet itemque e corpore quod æque a Deo ipsum accepit, quæ ratio ei dictat Deum esse, qui tamquam ejus animi auctor, per intima mentis & cordis sensa honore afficiendus est, eadem uno eodemque tempore dictat monetque oportere, ut ipse suum quoque corpus una cum ejus omnibus facultatibus omnibus motibus eidem devoveat & consecret; e quo quidem capite derivatur duplicis cultus, interni scilicet externique necessitas; atque hi cultus duo religionis etiam naturalis, siquidem præter hanc alia non esset, vim & rationem conficiunt, ejusque necessariæ quæque sejungi ab ea nequeunt, duæ partes sunt.

Ratio quæ mihi divinitatem ejusque tot attributa exhibet tum in cælis, quæ meam supra caput tam mira constantique cum harmonia, ordine, pompa, majestate volvuntur, tum in reliquis creatis rebus quæ me circumdant, quasque seu minimas seu maximas pedibus tero, hæc, inquam, ratio nos ad internum admirationis, adorationis, laudis, grati animi, obsequii, precis, fidentiæ, amoris cultum ipsius naturæ vi manuducit trahitque, quæ sane omnia primam naturalis religionis necessariam partem conflant, quæque divinis attributis, potentiæ, sapientiæ, magnitudini, liberalitati, magnificentiæ, bonitati respondent, attributis scilicet quæ in omnibus Dei creatoris operibus emicant fulgentque luculentissime, dum ejus gloriam simul & nostri in eum animi officium nobis annuntiant.

At quia corpus in nobis non minus quam animus Dei opus est, non minus illud proinde quam hic honore Deum afficiat, oportet, quantum in eo est, externoque cultu ejus facultatibus congruo, quem produnt sensibus obviæ intimi obsequii notæ, quod animum creatoris majestate, gravissimo quasi pondere pressum & in abyssum adactum pervadit. Hinc externi cultus, in sensusque cadentium cæremoniarum origo & necessitas, quibus id proprium & peculiare est, ut animum adjuvent, sustentent, extollant, inflamment, sacrosva quibus is summ ob Deum flagrat, ignes magis magisque foveant, excitent, accendantque. An vero par fuerit, ut, dum indefessa voce auctoris sui laudes cælum & terra concinunt, homo, cælestis ille simulque terrestris angelus, mixtus adorator & cultor, dimidia sui ipsius parte obmutescat? Minime, dubio procul; neque is potest suam ipsius vocem non immiscere blando utroque concentui quem ad divinitatis honorem certatim conflant omnes creatæ res, ejus manuum opus, quæque magnifica auctoris sui potentiæ & bonitatis vestigia in sua omni natura aureis notis impressa gerunt. Dabit ergo sollicitus operam, ut laudet, canat, oret emissa voce, genua flectat, curvetur, prosternatur, ac deinde erigatur, sublatis in cælum oculis manibusque, testandi gratia sibi demum in votis fore, ut ad Æterni Numinis sinum usque, quantus est, avolare posset; verborum denique, gestuum,

ftuum, corporis habitudinum, omniumque exteriorum motuum vi, observantiæ, admirationis, amoris sensa significent, quæ ejus animum ad divinarum perfectionum aspectum, & ob sui creatoris oculos, ejus animum pervadunt, ac veluti absorbent.

Nemo ergo dixerit externum cultum omnemque religiosarum cæremoniarum apparatum Dei magnitudine & majestate indignos esse; iis eum omnino non indigere; viderique nos ita eum honorantes, ejus immensitatem, nostrique erga eum obsequii monumenta intra exiguum templorum ambitum, quæ ei erigimus, brevemque cæremoniarum circulum, quæ in ejus honorem institutæ sunt, &c. circumscribere ac definire velle.

Minime vero gentium. Nostro quidem cultu nihil opus habet Deus, eumque non ob indigentiam efflagitat; ut eum sibi postulat, facit ordinis natura ipsa, qui in ejus multiplicibus attributis, præsertimque in ipsius supremo supra omnes creatas res dominio cernitur. Si harum obsequium ejus magnitudinem, quippe quæ in immensum protenditur & extollitur, æquare non potest, eæ non proinde minus illud eidem præstare debent, illudque ipse gratum habere non renuit; ita vult, atque adeo non aliter velle potest. Poterat is quidem certa substantias intellectu præditas non creare; at eas postquam libere creavit, ab omni religioso erga se officio liberare non potuit, propterea quod imperium, dominatio, honor, gloria supra omnes creatas res ineluctabiliter ad eum pertinent, quasque, inter eas, intellectione donavit, earum fronti impressa est felix necessitas eidem solvendi, ob omnia bona quæ ab eo manent, tributum obsequii sui, cujus omnis vis & ratio sita est in animi & corporis duplici cultu quem iisdem inspirat ipsa natura.

Cæterum, templa nostra, nostrorumque sacrorum ministrorum cœtus & collegia, nostrarum quoque sanctarum cæremoniarum augusta pompa nec divinitatem, nec quicquid obsequii eidem persolvimus, finiunt coarctantve. Ubique Deus est, non ignoramus; Universum est ejus templum, nullusque potest angulus designari, qui nobis aræ loco esse non debeat, nostri ut thuris fumum ibidem elatum velimus ad magni architecti gloriam, qui hujus rerum universitatis speciem formavit, ejusque enormem massam, post sui consilii executionem, firmus constansque fert. Nihilo tamen secius universam nostri erga eum cultus rationem, ejusque attributorum immensitatem ne levissima quidem impetimus, dum ei præcipuum honorem certis quibusdam temporibus, certis in locis, & cæremoniarum ad pompam aptiore apparatu exhibemus; nihil tum scilicet aliud agimus, nisi ejus magnitudinem, nostrique obsequii specimina, peculiarem in modum, qui in iis singularibus circumstantiis potior est & splendidior, afferimus.

DEPOSITIO. *Ex quo Samuel Saulem regem deposuit, reges deponendi jus Episcopi adepti sunt; hinc Ludovicum Pium a Suessionensis concilii Episcopis admodum legitime depositum fuisse, regesque deponendi certum inconcussumque jus Papæ suppetere compertum fit.* Ita quidem acerrimus, si quis alius, regiæ majestatis hostis ratiocinatur.

Tantum abest, ut Papa reges deponendi firmissimo jure gaudeat, ut hoc potius arrogatum jus ei merito rectissimeque deneget, quicumque evangelici codicis mentem novit, qui nos docet Christi Domini regnum de hoc mundo non esse; ejus Ecclesiæ pastores ea ratione qua terrarum reges, haud dominari debere; hos quidem proxime a Deo potestatem tenere, qua pollent ut hominibus imperent, ac de ejus usu ipsi solum Deo debere rationem reddere; summosque Pontifices, nedum christianos Reges deponendi auctoritate gaudere, eorum nihil in Principum ditionibus mandare posse, quæ ad temporalia negotia spectant, &c. Certa sunt effata hæc; in Gallicana potissimum Ecclesia obtinent & vigent; ac siquidem iis facta multo plura opponi possent, quam reapse opponuntur, ea demum facta non nisi abusum probarent, quin principia everterent quibus damnantur. Quid ergo refert Saulem regem a Samuele depositum fuisse? Id Samuel non fecit nisi expressis verbis a Deo, regum rege jussus, atque adeo in theocratico quidem regimine. Singulare exemplum hoc & ejusmodi centum alia non proinde sufficerent ad eorum fulcienda placita, qui Papæ tam parum firmum reges deponendi jus adjicere pollent. Ostendatur nobis clara & distincta universæ Ecclesiæ definitio, quæ omnibus Christifidelibus significet palamque faciat eos debere tanquam fidei articulum credere, supremos Principes deponendi jure Papam gaudere; ac tum demum poterimus ad silentium redigi; id vero est quod non timemus, idque ipsum tamen est, a quo initium sumi necesse fuisset, ut adduci possemus ad concedendum Papæ jus quod ei constanter fidenterque negamus, et sine ullo observantiæ detrimento, qua eum, ut universæ Ecclesiæ visibile caput, & Christi Domini in terris vicarium prosequimur.

DEUS. Quoniam a Dei impugnanda existentia in hoc misero sæculo non desistitur, ab ea pariter defendenda desisti non debet. Præterea, quæ res suapte natura eædem sunt, si minus eadem sit eas enucleandi & usui addicendi ratio, non amplius eædem esse videntur; lectorum quispiam quem ratio non permoverat, quam in aliquo peculiari opere legerat, permovebitur ad convictionem usque, eam ipsam in alio legens, et melius explicatam, saltem quoad ejus mentis vim, & percipiendi modum. Fieri etiam potest, ac reapse fit, ut auctor qui argumenta cribrat & perscrutatur, quæ non semel jam pertractavit, iis quandam novitatis speciem, & perfectionis gradum tribuat, qui prius iisdem non inerat. Ad extremum, quod unum ad repetitiones in tam gravibus, præcipuique momenti rebus purgandas sufficeret, novo operi ita fors arridebit, ut legatur a pluribus qui vetera non legerunt; & his quidem quod in novo opere legent, tum quoad res ipsas quas in eo pertractatas comperiant, tum quoad rationem qua pertractantur, novum videbitur.

Probationes Existentiæ Dei.

Probatio prima. Dei nomine, venit apud nos supremus, æternus, necessarius, independens, infinite perfectus Spiritus. Jam vero hujusmodi Ens existit.

1. Existit æternum Ens; secus enim quicquid existentia donatum est, adhuc esset in nihilo, & ex eo egressum non esset. Heu! quidnam illud e nihilo extrahere potuisset? Ejusne naturæ necessitas? Qui ita diceret, pugnantia diceret, quia illud semper substitisset, nedum unquam ad nihilum redactum esset. Nec minus secum ipsa pugnaret hypothesis, entia in nihili sinu ipsa sibimet ipsi existentiam tribuisse; nihil esse potest sui causa, sibimet existentiam tribuens; necesse enim haberet existere, ut existentiam sibi tribueret, & non existere, ut eam reciperet.

Neque vero dici potest nihilum ipsum rebus existentiam tribuisse, e suo ipsius sinu iisdem exclusis explosisque, cum enim nihilum nihil seu nulla res sit, nullam prorsus vim, seu virtutem, seu energiam obtinet.

Denique ridiculum esset asserere, quæ sunt, entia suam existentiam a casu tenere, qui nihil est aliud quam vanum & penitus inane nomen. Admittatur ergo, necesse est æternum Ens cui nullum unquam initium fuit, tametsi nostra id ipsum mens comprehendere nequeat.

2. Existit necessarium Ens, videlicet, Ens quod non potest non existere, quodque per intrinsecam intimamque suæ ipsius naturæ necessitatem existit, seu necessitatis vi, quæ absoluta est, ejusque essentiæ ab origine sua semper adhæret. Si hujusmodi Ens non extitisset, nullum ens aliud existeret, quippe quod existentiam recipere non potuisset vel a se ipso, quia non erat, vel ab ente alio, quia nullum aliud ens erat, si unum excipiatur Ens necessarium, cujus proinde existentia demonstratur per existentiam contingentium notum quæ existunt, quæque sine eo non existerent. Nec sane dixerit quispiam, etsi unumquodque singillatim ens contingens sit, omnium tamen entium collectionem necessariam esse; id enim perinde esset ac si diceretur, ex omnibus cæcis surdisque, quicumque in hoc terrarum orbe sunt, in unum coactis simulque sumptis, futuram esse hominum turmam, qui satis bene viderent audirentque.

3. Hoc necessarium ens etiam independens & infinite perfectum est, ea ipsa de causa quia est necessarium; ex quo enim necessarium est, ab ullo alio pendere, limitesque recipere omnino non potest; aliter necessarium esse desineret, utpote quod ab eo penderet, quod posset, ut ponitur, pro sua ipsius lubidine, ei existentiam negare, ejusque perfectiones certis terminis circumscribere. Admittatur ergo, necesse est, supremum, æternum, increatum, necessarium, independens, infinitum Ens quod est omnium quæ existunt, rerum causa, & ejusmodi quidem causa, ut sine ea nihil existerat; hoc autem Ens Deus est. Contendere porro materiam esse hoc æternum, necessarium, independens, infinitum esse, contentio esset evidenter absurda, & per claram quæ nobis inest, materiæ notionem rejecta; evidens enim est, materiam tanquam contingentem, atque ita, ut esse & non esse possit, dependentem, limitatam, atque adeo brevissimis terminis circumscriptam a nobis percipi.

Secunda probatio. Est igitur nostris impressa mentibus æterni infinite perfecti Entis idea, quamvis illud minime perspiciamus, nec cogitatione assequamur. Jam vero hanc ideam non aliunde quam ab æterno, infinite perfecto Ente ipso tenere possumus, quandoquidem cætera entia omnia quæ contingentia & limitata sunt, nihil habent, quod ejusmodi ideam nobis indere possit, seu efficere, ut nostris in mentibus eadem orietur. Existit ergo æternum & infinitum Ens quod eam nobis communicat suppeditatque; & hoc Ens Deus ipse est.

Tertia probatio. Quemadmodum infiniti, ita & finiti notio nobis inest. Jam vero finiti idea ponit tamquam certam subsequiturque ideam; privationes enim & negationes non nisi per formas & qualitates iis oppositas percipiuntur; atque infiniti idea necessario tamquam certam infiniti existentiam ponit; quippe quæ non aliunde quam ab eo derivari potest; ergo ipsa finiti, ut & infiniti idea Entis infinite perfecti, seu, quod idem est, Dei existentiam probat.

Quarta probatio. Existit in nobis nostrarum cogitationum principium, quod animi nomine designamus. Jam vero hic animus nec æternus est, nec necessarius, nec independens. Non est æternus; nec necessarius, tum quia in ejus idea non continetur existendi necessitas; contingens enim, atque ad existentiam vel non existentiam promiscue se habens percipitur; tum quia est admodum imperfectus; esset autem infinite perfectus, si æternus esset ac necessarius, quoniam nihil habuisset supra se, quod ejus perfectionibus certos terminos ponere potuisset. Non est independens, absolutusque sui ipsius dominus, quoniam cernitur demisse repere, felicitatem extra se inquirere ac veluti emendicare, injucundas tristesque innumeras sensationes invitum pati, eoque redigi, ut suavibus aliis & blandis innumeris sensationibus destituatur, quas vehementer expetit, quin sibi comparare possit. Noster ergo animus, cum nec æternus sit, nec necessarius, nec independens, suam originem debet enti his perfectionibus prædito; hoc autem ens Deus est.

Quinta probatio. Animi nostri nostro cum corpore consociatio non potest aliud principium habere quam Deum qui unus supremum imperium in utrumque obtinet. Heu! a quonam alio principio derivari posset hæc animi tam admiranda societas? At si animus sua cum corpore conjunctionis principium esset, hæc unio vel necessaria esset vel libera; nihil medium. Eam porro necessariam esse dici non potest; si enim ejusmodi foret, nunquam disrumpi posset, sed insolubilis esset; atque ita homo non moreretur; quod quemadmodum se habeat, neminem latet. Neque vero dici potest unionem hanc liberam & voluntariam esse; si enim ita se res haberet, posset animus pro arbitratu se corpori adjungere, illudque, cum vellet, deserere, ut aliud sibi sumeret, &c.

Dicetne quispiam, animi cum corpore conjunctionem habere corpus ipsum principii & causæ loco? Quid magis absonum absurdumque, quam eam corpori vim tribui, ut sibi animum adjungat devinciatque, cum illud omnino vis ac roboris expers sit, & hujusmodi, ut semper in constanti quiete jacere cerneretur, prout fert summa perfectaque inertia quæ ejus essentiam necessario consequitur, nisi agens extraneum principium ad illud movendum accederet. Ergo animi & corporis unio principium aliud quam Deum habere non potest.

Sexta probatio. Sese corpora se ipsa movere, seu potius moveri nequeunt, nisi ab extraneo principio, a motrice causa quæ extra eadem sit, motum recipiant. Ut aliter se res haberet, opus esset a tribus uno, nempe vel ut motus ad corporum universim essentiam pertineret, vel ut unumquodque peculiariter corpus suos ipsius motus ederet, vel denique ut corpora se alia deinceps alia in infinitum moverent, sine primæ causæ motricis influxu. Jam vero hæ tres hypotheses absurdæ sunt.

1. Absurdum est dicere motum ad essentiam corporis pertinere; tantum enim abest, ut motus in corporis idea contineatur, ut ipsum potius corpus tamquam ad quietem & ad motum promiscue se habens seu indifferens percipiatur; & sane sæpe illud quiescere cernitur; omnesque philosophi tamquam omnino firmum certumque recipiunt effatum hoc; *corpus omne ex se ad motum & ad quietem indifferens est*. Præterea si motus ad corporis essentiam spectaret; idem quoque de ipsius motus directione, quantitate ac celeritate statuendum esset; cum experientia contrarium probet.

2. Nec minus absurdum est proponere quodque singillatim corpus ita comparatum esse, ut suum proprium motum edat, tum quia suapte natura omnino & iners est, tum quia cum alia vi non polleat, quam motu ipso, nullam proinde vim motu priorem obtinet, tum demum quia corpus, antequam moveatur, quiescat, oportet, semelque quiescens corpus in eo statu persistit, donec extranea causa perficiat, ut suum quietis statum corpus deserat; quemadmodum experientia compertum fit.

3. Neque vero illud dici potest, corpora se alia deinceps alia in infinitum movere, quia fieri omnino non potest, ut hic in infinitum progressus existat in corporibus quæ se mutuo movere ponerentur, propterea quod corpus *A* movere non posset corpus *B*, quin & ipsum antea ab alio corpore motum fuisset, & sic deinceps in infinitum; quod adinaton prorsus est; etenim infinitum percurri nequit, ac, siquidem percurri posset, atque ita ad ejus terminorum unum perveniretur, tum quidem & hac ipsa de causa infinitum esse desineret. Corporum ergo motus fit, oportet, effectus motricis & immobilis causæ, quæ supremam in ea vim & potestatem exerit, eadem pro arbitratu excitans, urgens, permovens.

Septima probatio. Negari non potest in hac universitate corpora existere, seu potius hanc ipsam sensibus obviam universitatem esse omnium corporum congeriem, quæ ejusdem partes sunt. Hæc autem corpora non sunt æterna; ac quidem suæ ipsorum naturæ necessitate ipsa non existerent; nec solum percipitur ea potuisse non existere, verum etiam nequaquam percipitur existentiam ad eorum essentiam spectare; idque ex innumeris eorumdem defectibus vitiisque liquido demonstratur. Habent ergo causam a se distinctam, eamque æternam, improductam, necessariam; & hæc causa Deus est. Cum æquidem possem ita mentiri, ut negarem esse corpora quæ extra me sunt, fieri dubio procul omnino non posset, ut meam ipsius existentiam negarem; existo ego igitur; ac si existo, ab omni æternitate existit aliqua res, & hæc sane res meæ ipsius existentiæ causa seu principium est; secus enim ne ipse quidem existerem. Necessaria est consecutio. Ex quo existo, æternusque non sum, ejusmodi sit existentiæ meæ causa, necesse est; si enim hæc æterna non esset, fuissetque tempus quo nihil existeret, omnia e nihilo & absque ulla causa ulloque principio producta essent; quod apertissime absurdum est.

Octava probatio. Universum hoc quod tam vivido splendore fulget, res omnes & singulæ quas complectitur continetque, minimæ pariter ac maximæ; cælum suorum colorum mira specie ac vi, variaque temperie, enormium molium multitudine, quæ non nisi unum quasi punctum telluri relinquunt; terra ipsa suis floribus, suis fructibus, suis plantis, suis animalibus; mare ejusque pisces; aer & ejus aves; consensio, harmonia, regula, symmetria, supremus ordo qui in omnibus Universi partibus viget, in speciosa ipsa contrariorum elementorum perturbatione quasique conflictu collisuque; Universum, inquam, partesque singulæ e quibus constat, seu spectentur ipsæ per se, seu prout ad hanc ipsam rerum universitatem, cujus pars sunt, referuntur, universum nobis prodit sapientem æque ac potentem creatoris, servatoris, moderatoris Dei manum, qui suum ipsius opus pari suavitate ac vi, & intellectione suum ad finem ducit. Potestne navis per altum mare ita ferri, ut feliciter ad portum perveniat, nisi eam strenuus navarchus gubernet? Quod si quis fieri potuisse dixerit, ut casu, fortuitoque atomorum concursu id operis quod mundus est, pareretur; quidni casus, actæque temere in motum atomi opus infinite minus difficile, urbem, templum, domum, tugurium, horarium indicem, automo efficere unquam, & in posterum unquam conficient?

At rursus, si nullus est Deus, cur ad eum tam sæpe nominandum reclamandumque ipsi nos invicte permotos sentimus? Quorsum ineluctabilis ac summæ completæ felicitatis quæ in eo tantum comperiri potest, omnium animo impressa cupiditas? Undenam ejus punitionum timor, ejusdemque compensationum spes?

Nona probatio. Nobis ergo intimus sensus dictat Deum esse; quæque nobis inest, ejus idea non est sanæ voluntatis nostræ, sed Dei ipsius opus; & hæc ipsa nostris ab eo mentibus indita sæpe vel invitis ac repugnantibus nobis occurrit.

Decima probatio. Naturalis lex quam hominum nequissimi penitus delere non possunt, hæc, inquam, lex nos jubet Deum timere & diligere, parentes honore prosequi, patriæ servire, amicis fideles, & justos erga omnes esse, cuique reddentes quod ad eum pertinet, nec alteri facientes quod nobis ab eo factum nollemus. Jam vero immutabilia hæc naturalis legis principia quis in hominum animo scripsit nisi Deus,

ea nem-

ea nempe suprema & primitiva lex, primum illud omnium legum exemplar, ea lex æterna, immutabilis, ea justitia archetypa, quamque quicumque vel maxime inter homines injusti sunt, nec ignorare aut dissimulare, nec detorquere, nec variare aut corrumpere possunt? Undenam acerbum urensque quasi telum quod nequam homines quovis sequitur, utpote ipso defixum sinu, ut suorum iis criminum, ultorisque Dei qui ea puniturus est, molestam importunamque recordationem ubique in animum revocet. Quod porro de naturali lege, firmissimis notis unicuique nostrum intime impressa dicimus, idem de veri, pulcri, perfecti, justi, sancti, durabilis, permanentis idea dicendum est; horum nihil non clamat, Ens insulte verum, veritatisque, pulcritudinis, perfectionis, virtutis, justitiæ, sanctitatis, unitatis, durationis, perseverantiæ exemplar æque ac regulam primam existere; & hoc Ens Deus est.

Undecima probatio. Hanc probationem conficit unanimis populorum consensus. Constans nimirum firmumque est, & ab auctorum probatissimis, certioribusque omnium, quam lata patet terrarum orbis, populorum historia firmatum, nullam unquam, licet cæteroqui rudem, ferocem, barbaram, nullaque non ratione trucem nationem Dei nesciam seu atheam fuisse. Si terram percurras, inquit Plato, urbes quidem quibus nec mœnia, nec litteræ, nec reges, nec aurum, nec argentum, nec theatrum, nec gymnasium, nec domus sint, invenire poteris; at non audies, ac nemo vidit unquam ullis efferatis locis non esse sua templa, suas aras, sua numina, suas preces, sua juramenta, sua oracula, sua sacrificia quibus benevolam sibi divinitatem reddant, ejusque seu beneficia ad se trahant, seu flagella & punitiones a se removeant. Quod divinus Plato, idem quoque Aristoteles, Seneca, Cicero, omnesque veteres quibus hujus argumenti pertractandi occasio fuit, uno ore testantur. Omnes item veterum populorum historiæ nos docent, divinitatis opinionem firmamque sententiam apud Hebræos, Chaldæos, Ægyptios, Indos, Persas, Arabes, Getas, Gallos, Germanos, Græcos, Romanos, &c. receptam fuisse. His omnibus populis sua erant templa, sui festi dies, sui ritus, suæ cæremoniæ, sui sacerdotes, cæterique omnes religionis ministri, quos honoribus & privilegiis cumulabant. Hæc ipsa persuasio a stirpe in stirpem propagata est, & adhuc apud rudiores quosque, minusque legibus instructos populos, cujusmodi sunt Mexicani, Peruviani, Brasilienses, Canadenses, &c. vigere cernitur. Jam vero hæc universa, uniformis, & a generatione in generationem transmissa & propugnata sententia, tamquam Dei existentiæ victrix probatio spectanda est, quoniam nihil magis indubitatum firmumque est, quam quod universus terrarum orbis ubique ac semper, sine intermissione, sine exceptione sine regum aut subditorum, dominorum aut servorum, doctorum aut rudium hominum discrimine credidit. Assertionem hanc scilicet sententiamque in omnium indiscriminatim hominum animo impressit naturale lumen, ac tam alte quidem & intime, ut vel pertinaciores vehementioresque cupiditates eam penitus delere nunquam potuerint, earum licet semper apprime interesset, nullum ejus vestigium pati subsistere, spectato assertionis imperio, quæ iis æternum bellum indicit, easdemque coercet atque devincit. Non est igitur assertio hæc timoris, præjudiciorum, auctoritatis, educationis, &c. opus; fructus est potius & fœtus convincentis naturæ luminis, intimique sensus qui in omnibus hominibus idem est, nec mutari potest, cum educatio, auctoritas, politice, conventiones, præjudicia innumeris variationibus subsint, quæ ad multiplices temporum, locorum, populorum, personarum circumstantias referuntur. Dicet fortasse quispiam, in quibusdam historiis & itineribus legi nostro sub globo integros populos degere, quibus nulla est divinitatis notio. At respondemus, earum historiarum eorumque itinerum auctores e conjecturis, & absque satis maturo examine sæpe loqui; eos non satis apud populos constitisse, quorum historiam texunt, nec satis eorum linguam assecutos fuisse, ut eorumdem religionem probe perciperent; iis alios historicos adversari, eosque sæpenumero secum ipsos pugnare. Ita fit, ut exemplum afferam, ut afferatur Canarienses, Brasilienses, Canadenses populos Deum cognoscere, ad ejusque publicum cultum Sacerdotibus non carere, quamvis eos historicorum & viatorum nonnulli tamquam atheos exhibere voluerint. Sed per me tamen ita res habeat; sunt populi qui Deum non agnoscunt; esto; quid vero ex concessione hac consequetur? Nihil sane aliud quam Deum ab aliquibus humani generis individuis ignorari, qui adeo hebetes, hardi, rudes & barbari sunt, ut haud pluris fieri debeant, quam infantium, imbecillium, insanorum communique sensus expertium cohors, in quibus naturale lumen nullam prorsus rationem invenit, qua se explicet expediatque, quorumque crassa ignorantia moralem totius universi super Dei existentia unanimitatem omnino non impedit. Sit, per me licet, respondebit incredulus; at continuo replicabit, moralem totius mundi unanimitatem non sufficere, ut opinionem generatim receptam in tuto ponat, eique veritatis sigillum imprimat. Non igitur totus olim mundus polytheismum, seu deorum pluralitatem, calamitatum quas eclipses & cometæ portenderent, certitudinem, sensibilium in corporibus qualitatum existentiam, & antipodum non existentiam, &c. credidit?

Ad hanc difficultatem respondebimus, non semper de alicujus opinionis veritate ex universa ejusdem amplitudine judicari oportere, nec deesse non unam facti speciem, in qua placitum, quia commune est, non proinde tamen minus vero abest; eæ sunt ejusmodi, in quibus sensuum, imaginationis præposterarumque cupiditatum præjudicia locum habere possunt, ut mentem fallant, obducto eidem fuco, at non iis sane, qui non ita comparati sunt, ut id genus præjudicia, tam uberem in omni rerum genere errorum fontem suscipiant. Jam vero communes qui nobis opponuntur, errores, quique olim in mundo obtinuerunt, versantur penitus in ejusmodi præjudiciorum specie, quæ possunt illusionem fucumque facere, dum per divinitatis existentiæ sententiam omnia & singula vel obluctantia impugnantur.

Mundi partem ita aberrasse, ut deorum pluralitatem reciperet, haud mirum videri debet; esset quoque mirum atque adeo portento simile ita rem non habuisse, extremæ humani generis corruptionis ratione habita. Perversus ergo corruptusque mundus deorum multitudinem sibi confinxit, qui ejus ut imaginationis deliramentis, & mentis aberrationibus, & cordis depravationibus, & sensuum cupiditatumque absonis propensionibus responderent; seu potius, e suis ipsius vitiis & cupiditatibus quibus personam affinxit, licentiorum divinitatum monstrosam struem addidit; quod ipsa aperte divinitatis existentiæ favet. Verum unici, infinite sancti, infinite perfecti, ordinis amatoris, perturbationis hostis Dei, qui sensus cohibet, cupiditates devincit, omnia ad unum vitia punit, quin ulli parcat, indulgeatque, omnes corporis motus ad nictationem usque moderatur, assertionem potuisse sibi existimationem apud homines comparare, totumque moraliter mundum subigere, id vero e rerum est numero, quæ fieri non possunt.

Decima secunda probatio. Hanc nobis exhibet extremum atheismi periculum. Si nullus est omnino Deus, theista qui ejus existentiam asserit, in nullum se tum in hac mortali vita, tum in alia discrimen adducit; at si Deus existit, nihil non per omnem æternitatem periculo exponit. Theistam dico nulli prorsus discrimini in hac ipsa mortali vita obnoxium esse. Heu! Ullone in pretio habendum est pravarum voluptatum sacrificium, quarum usum ei divinitas interdicit, quasque abunde compensat voluptatum fruitio, quæ virtuti addictæ sunt, quatumque castitas & suavitas crassiores sensuum delicias longe lateque superat? Atheum dico nihil non, & per totam quidem æternitatem, periculo exponere; quandoquidem impius qui ejus existentiam negavit, suæ profecto temeritatis gravissimas pœnas luet; ei pretium statuent atrocia & sine fine supplicia. Non ergo sapit, sed maximopere desipit insanitque, qui se in ejusmodi periculum conjicit, prætexens præsentis vitæ bona quorum fruitionem nobis in Deum fides vetat, certa esse, dum quæ ad futuram vitam spectant, incerta sunt; quasi vero, in hac ipsa hypothesi, levium, fugientium, ac prope ad temporis momentum brevium aliquæ bonorum particulæ, quia certæ sunt, cum incertis, ut ponuntur, futuris bonis malisque, sed solidissimis, innumeris, æternis in comparationem venire possent, horrendaque æternitas, ut tam dubia esset, quam certa est, cætera omnia non absorberat. *Vide* ÆTERNITAS.

DIVITIÆ sæcularis & regularis Cleri. Quod huic magni momenti articulo locum præbet, est opus inscriptum: *Specimina politica super auctoritate divitiisque quas Cleri duo, sæcularis & regularis, a sua utriusque institutione, acquisierunt*; an. 1776.

Auctor in ipso operis exordio, pag. 4. suam mentem aperit in hæc verba: „ Cleri divitiarum generalis massa, in singula ejusdem membra geometrice „ distributa dat unicuique saltem ejus duplum, quod „ ditionis divitiæ, in generali pariter massa positæ, „ ac per singulos a populo computatæ, incolarum „ unicuique tribuunt.“

Nos

Nos quidem licere credimus de hujus supputationis æquitate dubitare, futurumque, ut auctori, quod probabile sit, non parum hæreret aqua, si ad geometricam ejus demonstrationem exhibendam, certis quibusdam impositis pœnis, adigeretur. Utut res habeat, eam quidem æquam & ad geometriæ regulas exactam, momento temporis, ponere volumus, quærimusque, quidnam tandem propterea probare contenditur? Clerine possessionum injustitiam? Verum, ut solide accurateque hæc arrogata injustitia statueretur, sciendum in primis esset, ac pariter quidem ex æquo, quid, omnibus deductis oneribus, clero suis e divitiis supersit, quæ ad suam originem refluentes, in ditionis generatim, ejusque peculiarium singulorumque membrorum emolumentum & commodum cedunt.

Perspiciendum deinde esset, suas clerum divitias illicitis injustisque rationibus acquisiisse, aut saltem ejusdem opes ipsas intime & suapte natura vitiosas esse, seu quia non ei liceret ullo modo, quantumvis legitimus ponatur ipse per se, quicquam acquirere, seu saltem quia talis talisve quantitas eidem interdicta esset, & nequiret is sine crimine cogere bonorum massam quæ ipsi tribuuntur, in quemcumque cæteroquin usum eadem conferre posset. Usque eo dum politicorum speciminum auctor hoc operis pensum expleverit, ejus elumbe scriptum, omnisque omnino roboris expers adeo tumetactas multoque magis in invidiam adductas Cleri divitias ne leviter attinget deflorabitque.

CAPUT PRIMUM.

Exemptionum (monasticarum) *origo a septimo Christiani nominis seculo repeti potest. Ea qua S. Dionysii Abbatia gaudet, an.* 659. *a Sancto Landerico concessa, spectatur omnium prima, data fuit ad Regis Clodovæi II. preces.*

HUic monasticarum exemptionum expositioni oscitantiæ & incuriæ multum inest. Potuisset auctor initio statim epocham exemptionis Abbatiæ S. Dionysii an. 653. statuere, quæ P. Mabillonii sententia est, & cum docto Benedictino aliisque bene multis emunctæ naris viris addere, non sanctum quidem Laodericum, sed Clodovæum Regem II. exemptionis privilegium Sancti Dionysii Abbatiæ concessisse, accedente Sancti Laoderici aliorumque viginti quatuor Episcoporum consensu, qui in Clichiensi concilio, an. 653. vel, ut aliis visum, an. 659. huic privilegio subscripserunt in hæc verba: *Landericus Episcopus consentiens subscripsi*, &c. Ejusmodi est privilegii titulus: *præceptum Clodovæi II. Regis de libertate monasterii sancti Dionysii.*

Alia non parvi momenti animadversio quam auctor innuit, at non satis enucleat, est *partialium & totalium* exemptionum distinctio. Exemptiones partiales dictæ eo demum redigebantur, ut prohiberentur Episcopi temporalibus monasteriorum negotiis sese immiscere; monachorum solitudinem regularemque disciplinam turbare; ex eorum bonis & oblationibus a fidelibus in eosdem collatis quicquam sibi sumere; ob eorum ordinationem, Ecclesiarumve aut Altarium ad eos spectantium consecrationem, æque etque ob sancti Chrismatis sanctorumve Oleorum receptionem, & ob Abbatum installationem quicpiam exigere; quoa quidem Abbates eligendi jus, earumdem exemptionum vi, penes monachos erat, dummodo iis loci Episcopus benedictionem impertiretur.

Exemptiones totales nuncupatæ omnem prorsus in monachos jurisdictionem Episcopis adimebant. Hæ porro non videntur cœpisse nisi sub undecimum seculum, tametsi eas auctorum nonnulli ad nonum usque etque adeo octavum seculs retrahant. Utut se res habeat, exemptionis, quoad Sancti Dionysii Abbatiam, privilegium de partiali tantum, non de totali exemptione a Parisiensis Episcopi jurisdictione, accipiendum est.

CAPUT III. pag. 30.

Sedis dignitas, naturalis hominum ambitio, qui hunc præposterum animi impetum cum laudabili sollicitudine sæpe confundunt; aliis Ecclesiis apud Imperatorem deserviendi facilitas; orientis & austri hæreses & schismata; misera orthodoxorum sub Arianis principibus Episcoporum conditio; nihil non contulit, ut Romanus Pontifex ad primatum quo sæpe abusus est, eveheretur; Sardicensis concilii super appellationibus ad Romanam Sedem septimus canon est veluti patentium litterarum prima, quibus Papa suos supra collegas auctoritas nititur.

ID quoque haud accuratum est. Petentium litterarum prima, quod ad Papæ suos supra collegas auctoritatem spectat, occurrit in his Christi Domini ad sanctum Petrum verbis: (Matth. XVI. 18.) *Et ego dico tibi, quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam*; in hisque præterea: (Joann. XXI. 15. 17.) *Pasce agnos meos,.. pasce oves meas.* Ex his verbis catholicis Doctoribus persuasum est, divini juris vi Papam vero genuinoque honoris, excellentiæ, auctoritatis, potestatis, canonicæ jurisdictionis primatu reapse pollere, quia sancto Petro successit, cui ipsi, cujusque successoribus Christus Dominus hæc privilegia concessit.

Super Gallicanæ Ecclesiæ Libertatibus Sermo.

Nos quoque, Galli, *cum omnibus catholicis credimus*, inquit Abbas Fleurius, *Papam, Romæ Episcopum, esse Sancti Petri successorem, & ut ejusmodi, Ecclesiæ visibile caput, quia Christus Dominus dixit: tu es Petrus*, &c. *rursusque*: Petre, amas me? Pasce oves meas; *non agnos solum, sed & earum matres.*

Non ignoramus auctorem commentarii super hoc Abbatis Fleurii sermone, quod an. 1765 editum fuit, asserere, tum theologorum, tum canonistarum apprime catholicorum plures secus sentire. „Putant, „inquit, alii Papæ primatum ex Ecclesiastica tantum „institutione esse, quia, eorum judicio, Apostoli, „post Christi Domini mortem, caput ipsi sibi elegerunt. Ajunt alii, primatum quo Romanæ urbis „Episcopi gaudent, re sane vera divinæ institutionis „esse, verum omnium Ecclesiarum consensionis vi, „non autem per Christi Domini voluntatem fieri, „ut hic Primatus Romanæ Sedi addictus sit; contendunt ergo Romanorum Episcoporum Primatum non „nisi Ecclesiastici juris esse." Nec nos latet eumdem auctorem subdere; „eam Catholicæ Ecclesiæ doctrinam esse, Papam inter Episcopos primum locum tenere, & hunc Primatum e Christo Domino „ipso statutum fuisse." At fatemur ingenue non adeo acutam perspicacemque nobis mentem suppetere, ut discrimen quod inter divinam institutionem ex una parte, modumque, statutum, institutum a Christo Domino editum ex alia interest, assequamur.

Persuasum habemus & illud, cum Papæ primatus, a communi catholicorum doctorum sententia, divini juris sit, politicorum super sæcularis & regularis cleri auctoritate divitiisque speciminum auctorem hac de re unum saltem verbum dicere, nedum hanc insignem prærogativam ad occasionales causas, mere humanas, atque adeo vitiosas, cujusmodi est naturalis hominum ambitio, &c. referre debuisse.

CAPUT XVII.

Monachismi in relatum ditionum detrimentum ac prope excidium influxus.

SI animo reputari libuerit, nostras omnes urbes, „vices, pagos monasteriis scatere virorum fœminarumque, qui post se nullum existentiæ vestigium „relinquunt...., procul dubio comperietur eorum „supputationem, qui monachorum nostrorum (Galliæ scilicet) tria statuunt centena millia, moderatam esse.... Quæ ex Europæ ditionibus sub medium decimum sextum seculum apud se monachismum abolaverunt, e duobus seculis, per hanc abolitionem, spectato universim populo tricesimam partem addiderunt. Si Gallia ab eadem epocha hoc adjumento usa esset, ejus generatim propagini sexcenta præterea hominum ad hodiernam usque diem accessissent. Anti-monachales ditiones, hoc uno adminiculo, ad tricesimum, mutuæ singularum amplitudinis ratione habita, potentiores quam catholicæ ditiones sunt.... Immissi ab Anglia in monasticum statum ictus magno præsidio fuerunt, ut

„ejus

„ ejus regni vis ad magnitudinis qua pollere cerni„ tur, gradum deduceretur.“

Ut non sine voluptate speciosa figmenta hac evanescere conspiciantur, satis profecto superque fuerit iis veritatis facem apponi, quippe quibus nihil aliud fundamento ac fulcro est, quam mendacii & hallucinationum prastigium.

Ac reapse quidem primo, quin bene multa virorum fœminarumque monasteria enumerantur, quæ hoc ipso sæculo suppressa sunt, quæcumque subsistunt, mutuo compensare, ne dimidium quidam continent religiosorum, quibus postremo sæculo, & hujus initio referta erant; peculiaribus monasteriis quibus viginti atque adeo triginta religiosi inerant, hodie nec decem sunt. En ergo religiosorum nunc temporis in Gallia existentium plus quam dimidium e D. nostri politici exploratoris tam moderata supputatione detrahendum; en præterea, quod consequens fit, jactatæ generatim in Galliæ propaginis plusquam dimidium ex eadem supputatione expungendum; si ponatur hypothesis eam a duobus jam sæculis, quoad monachorum excidium, protestantes regiones imitatam esse, atque en damnum, quod ipsum consequitur, eadem regna ejus potestatia magna parte spoliata, quam ratiocinator noster adeo liberaliter iis concedit.

Secundo loco, vellem equidam scire, quemadmodum probari posset futurum fuisse, ut omnes ad unum subditi qui, quibus in regionibus monachismus existit, inter monachos nomen dant, certo matrimonium inirent, aut, eo etiam inito, votis politici hominis de propagatione solliciti responderent; ut enim ejus rationes æquitati congruant, callaet, necesse est, hæc duo, quæ, malo ipsius fato, scire non potest, quin propheta sit; quod supra naturam positum privilegium is profecto sibi non vindicat.

Vellem etiam, tertio loco, auctori placare id sibi sumere, ut ad quæstiones quæ e vestigio subduntur, respondeat, & quidem tam affabre cumulateque, ut nihil desiderandum aut opponendum relinquat.

1. Suane bona monachi legitimis titulis, cujusmodi sunt emptio, vel libere, voluntaria, legalis donatio, nequaquam possident?

2. Inculte bona quæ olim monachis data fuere, nonne ipsi exstirparunt & utilia reddiderunt suæ frontis sudore, & ad Reipublicæ emolumentum; quam urbibus & viculis locupletarunt, circum attractis turmatim incolis?

3. Nonne in præsentia monachi sua ipsorum bona sarta tectaque servant, coluntque, seu per domesticos, seu per villicos, quibus fere melius quam aliorum possessorum colonis cedit e voto res?

4. Non eroganine monachi magni ponderis eleemosynas quæ miseris ad monasteria confluentibus, egentibusque familiis pluribus vitam protrahunt?

5. Nonne sua, quibus ipsis in locis degunt, expendunt bona, quod magno incolis subsidio est?

6. Nonne ad ædificia erigenda incumbunt, in iisque numero plures multiplicis generis operarios & artifices adhibent?

7. Nonne Principi haud leves summas, & quidem pro redditunm ratione solvunt?

8. Expensæ quas faciunt, nonne eos haud raro cogunt alieno se ære gravare; id vero potestne cum *thesauris quos accumulant*, ut auctor noster dictitat, conciliari? (Pag. 189.)

9. Monachi cum villicis se ita gerentes, ut iis bene sit, nonne causam præbent, ut suos ii filios in matrimonium dent, & ad generis propagationem conferant?

10. Nonne verum & illud est, eos qui ex utroque sexu religiosum statum amplectuntur, familiam sæpe frequentam exonerare, atque ita fratribus & sororibus ineundi matrimonii facilitatem tribuere, quæ alioqui non adfuisset?

11. Cum ergo tam justo titulo monachi sua bona possideant, ac ditioni tam multis præterea rationibus utiles sint, essetne justitiæ consonum eos expoliari, atque idne fieri posset, quin omnium ditionis subditorum proprietatis fundamenta everterentur?

12. Si impacti ab Anglia in monasticum statum ictus fuere magna subsidia, quibus ad quam obtinet, amplitudinem ea perveniret, non amplius ergo, quod auctor noster ajebat, pag. 179. „ Anglis vafre poli„ tica viam ad amplitudinem stravit, per agrorum „ nostrorum excidium, dum suos portus opificiis no„ stris aperuerunt, & somnium protrexerunt, in quo „ detenti videbamur ipsi nobis ad majorem amplitu„ dinem avehi, mutantes nostros agricolas in artifi„ ces“? At Angliæ semperne igitur, ex quo monachos diruit, magna amplaque fuit? Eone robore pollet hoc tempore, quo, ut nobis Angli ajunt ipsi, vix numeret ad suam defensionem idoneorum hominum tredecim millia?

Post multiplices quæstiones has, auctor noster eam nobis veniam tribuet, ut ei dicamus, cum veris rerum æstimatoribus, quorum nos quidem non nisi debilis echo sumus, genuinas in ditione, quæcumque fuerit, depopulationis & imbecillitatis causas in subditorum qui eam constituunt, miseria, prava educatione, seu physica, seu morali, præposteris mentis, cordis & corporis affectionibus, atque atque in eorum perturbatione, rective ordinis inversione quærendas esse.

Et sane, qui demum coli, seri, fœcundaque reddi prædia, si vestes, alimenta, vires, grana, instrumenta, adjumenta omnia ad messium copiam necessaria cultoribus desint? Iis quidem in adeo tristi conditione id unum jucundum consilium superest, ut, fortunæ alibi quærendæ causa, patria se abdicent, aut in ea ipse panem mendicent. An vero in frivolorum, mollium, otiosorum, ineptorum, desidiosorum, vagorum, mutorum, elumbium, inertium, voluptuosorum hominum multitudine contineri potest ditionis vis & robur? Sine religione, sine principiis, sine lege, sine agendi ratione, sine probitate, sine honestate, sine virtute, sine moribus, &c. homines, iidemque omnibus cupiditatibus inservientes ad fovenda imperia conferre possunt? Quid non dici posset de immani occupatorum, domesticorum, operariorum, circulatorum, histrionum numero, qui non alio spectant, quam ut luxum, vanitatem, voluptatem, licentiam, nulline non generis crimina alant pariantve? Adime, adime omnes ditionis latrones, facinorosos, desides, inutiles aut perniciosos noxiosque homines, eos utiliter occupans, & ad suum singulos locum redigens; eos qui vere utili indole pollent, honore prosequere, iisque animos adde; tua præ cæteris gratia, tuaque excitatio in miseros agricolas potius recidat, quam iidem tam multis rationibus vexentur & opprimantur; luxum, desidiam, mollitiem, licentiam de medio funditus tolle, & ita quidem, ut simplicitatis, laboris, morum, religionis amorem inspires; ac tum demum sibi suppetent frequentes, docti, fortes, robusti, laboriosi, indefessi cives; tibique florens imperium erit, cujus splendor efficiet, ut cætera omnia eclipsin veluti quamdam patiantur.

At gravissima, semperque in legendis recentiorum apud nos politicorum operibus ob oculos habenda animadversio ea demum est, eos turpissime falli, dum in lectionibus quas ad catholicarum ditionum regimen fidenter habere non verentur, religionem seponunt; quasi vero nullus hac in re deberet uni veræ religioni locus esse; satisque felix Princeps, ut eam agnoscat & profiteatur, libere posset Christifidelis personam deponere, ut ethnicum, idololatram, atheum se proderet, cum id agitur, ut leges ad suorum ipse populorum regimen edet. Qui quidem tam crassus est & enormis error, ut rectam rationem, communem sensum, experientiam usumque omnium sapientum omniumque legislatorum, quicumque fuerunt, aperte impetat & susque deque vertat. Percurrite ergo, admirandi politici, percurrite omnes qui nostrum hunc globum incolunt, populos, ex iisque mihi unum date, cui non sit id principii loco, ut, quæ leges regiminis sunt, iis subdat, quæ ejus religionem afficiunt. Adite novum Byzantium, & videte, an supremus dominus qui ibidem Imperii sedem tenet, de Prophetæ religione perinde ac de subditis statuat; redite deinde ad cujuspiam catholici regni centrum, nobisque dicite, quo demum titulo, qui illud regunt, religiosas divinasque leges omnes quarum ibi professio fit, evertere pedibusque terere possent, ut prorsus profani prorsusque ethnici regiminis monstrosum ædificium supra earum excidium extollerent? Quis nescit in Gallia potissimum, in regno scilicet per excellentiam christianissimo, religiosas, politicasque & civiles institutiones arctissimo inter se vinculo contineri, firmatamque & auctoritate pollentem unam & unicam, quæ Principis nempe totiusque ditionis est, religionem vigere? Undenam fit, ut legislator politicam nullam sanctionem licite ferre possit, quæ religionis legibus adversetur. Conjungentur ergo consocianturque, necesse est, in omni legislationis forma, hæ religiosæ & politicæ leges, quandoquidem sine hac conspiratione consensuque deest evidenter finis qui propositus habendus est.

CAPUT VIII.

Super antecedentibus capitibus compendiosæ animadversiones.

„ Post historica facta quæ statuta firmataque sunt, liquido constet monachismi propagatione & amplificatione non nisi tamquam secundario adjumento, ut ad magnam potestatem pervenirent, Romanos Pontifices usos esse. “

Si religiosorum cujuscumque demum generis ordinum institutionis historiam legisset auctor, vidisset sane iis persæpe Summos Pontifices obstitisse; repulisse initio statim ex eorum fundatoribus plures; nec nisi precum, sollicitationum, importunitatum, certarumque, & nonnunquam miraculo firmatarum supraque naturam positarum Divinæ voluntatis probationum vi, eo tandem aliquando devaniti potuisse, ut opponentium Pontificum obsistentia vinceretur. Neminem latet Innocentium III. qui generali Lateranensi quarto an. 1213. concilio præfuit, in eo canonem qui decimus tertius est, editum voluisse, quo vetitum, ne novi religiosi ordines instituerentur. Eorum perspecta ad animarum salutem curandam, & ad idololatras, hæreticos, schismaticos, impios, uno verbo cujusque generis peccatores ad mentem redigendos utilitas, hæc demum fuit genuina & germana ratio quæ Summos Pontifices impulit, ut a Lateranensis concilii canonis decimi tertii littera recedentes, iisdem faverent.

Cæterum, hanc, æque ac cæteras animadversiones haud sane quidam pro monachismo impetus furorque mihi dictavit; & in eam quidem volo me arctum spem fore, ut auctor ad id mihi credendum non ægre adducetur, quamqua, ad finem properans, apud eum sum editurus, ingenua confessione, meæque mentis expositione contentus sit.

Religiosi ordines, quin necessarii sint, Romanæ Ecclesiæ, catholicisque ditionibus quæ eam sibi matrem agnoscunt, utiles sunt. A pristino quidem statu, ut cætera corpora omnia, exciderunt; est hæc humanarum omnium institutionum sors, ut humanæ imbecillitatis consecutio & affectus. Qui vero ita excidissent, nihil ut boni ederent, aut boni parum quod edarant, malo quod inferunt, par esse non possit, quique vellent in prava agendi ratione persistere, hi dubio procul inexorabiliter supprimi debent. Cui tandem bono in Ecclesiæ agro hæ malæ arbores? Non eadem esse debet religiosorum institutorum ratio, quibus id feliciter contigit, ut suam pristinam normam servarent, quæve ex animo volunt ita eamdem recipare, ut, quoad fieri potest, ad suorum proto parentum vitam accedant. Ex animo exciderent vere religionis & ditionis emolumenta, si ejusmodi instituta immisericorditer damnarentur. Spiritalia & temporalia bona longe plurima, iis destruendis, amitterentur: nemo inde quicquam, præter irreligionem & licentiam, lucraretur; in dies magis extincta fides, abolitæ catecheses, derelicta sacramenta, neglectus exterior cultus, eleemosynæ & innumera alia cujusque generis bona upata graviter imminuta, &c. conspicerentur.

Verus omnis politicus, omnis virtute præditus honestusque civis concludat statuatque, id initi consilii, quoad religiosos ordines, tantum posse, ut, qui redintegratione indigent, in pristinum decus, pristinumque splendorem, per novam firmitatem novumque statum, restituti, reformentur. Ejusmodi fuit Ludovici quondam Regis XV. mens, ut ex ejus, ad regni regularium reformationem, edicto compertum fit; nec alia procul dubio Regis Ludovici XVI. feliciter regnantis, ad Galliarum felicitatem, sententia est; faxit Deus, ut eam quamprimum executioni mandatam cernamus!

Dum his animadversionibus finem imponimus, in aliud an scriptum incidimus, cui titulus: „ Specimen „ super Gallorum indole moribusque, cum iis collatis „ qui Anglorum sunt; “ Londini, an. 1776. Hujus speciminis auctor e protestantium Anglorum grege est; eum vero qui *politica specimina* edidit, Gallum catholicum esse probabile fit; catholicus tamen Gallus librum contexit eo prorsus animo, ut sæcularem & regularem clerum deprimat, cum protestans Anglus in id incumbat, ut utrumque extollat in opere quod non eo consilio susceperat. Eum ipsum loquentem audiamus:

„ Æquitas, inquit, a partium studio prorsus aliena fateri cogit, monachos fere ad urbanitatem elegantiamque compositos homines esse: quia eorum vitæ genus abest ab apparatu, qui in cæteris classibus adeo communis est, illud fortasse minus quam quodvis aliud, vitiosum est. In universum, eorum agendi ratio exemplo est, & documento convictus, professionisque apud eos gravitati consonus; & quamvis inter ipsos non desint, qui se amplis notitiis, in civilis societatis negotiis, imbutos jactent, plerique tamen ab hac ostentatione remoti sunt. Id nempe certo de Gallicis religiosis ordinibus asseri potest. Possunt hi, uno veluti obtutu, cum præcipuis in commercio versantibus Angliæ, Hollandiæ & Germaniæ urbibus comparari, quemadmodum earum quæque in aliqua negotiatione, ad quam sibi propriam faciendam pervenit, excellere studet; ita ordo quisque se peculiari aliquo cognitionum genere insignit. Benedictini ob latam quæ pollent, antiquitatis notitiam celebres sunt; Dominicani ob philosophiæ, & scholasticæ theologiæ studium; Jesuitæ in humanioribus litteris versati erant; & huic quidem occupationum singulis iis ordinibus peculiarium varietati causam præbere potuit temporum ratio, quibus iidem fundati sunt. “

Subdit idem auctor, de Galliæ clero verba faciens: „ In universo terrarum orbe nullum est eo doctius corpus. Et sane illud in omnibus litteraturæ scientiarumque partitionibus primæ notæ viros edidit. Ex quidem florentem statum quem in Galliis obtinent, peculiariter ejus operæ studioque debent; & Ludovici XIV. regnum sui præclari splendoris majorem partem eximiis viris acceptam refert, qui ex cleri sinu prodiere. “

Non ita accurata & e re loquitur, seu potius a vero prorsus recedit auctor, dum pronuntiare non dubitat per Nannetensis edicti revocationem „ infirmatam Galliam, ejusque gloriæ æmulas nationes ita viribus auctas esse, ut id ejus regni excidio statui possit epochæ loco. Ignorat is ergo Gallos terra marique triumphasse post Augustanum fœdus quod inter bacchanalia Venetiis an. 1687. initum fuit, ad Risvichiensem pacem usque, quam annus 1697. attulit; navem oppidum Repandum dictam in fugam egisse Anglicana navilia viginti duo; a Tourvillio coactos Hollandos suam ipsorum classem incendere; quadraginta quinque Anglicanas naves a Martinica repulsas; eamdem Angliæ nationem, Lusitanicam inter & Cadicem, ita expugnatam fuisse, ut naves octoginta ad mercium negotiationem compositas, & bellicas quatuor quæ Smyrna redibant, ibidem amitteret; eos qui refugerunt, impedire non potuisse, quin Luxemburgius & Catinatius, unus Fleuri, Seusii, Stainkarkii, Nervindii, alter Stalfardii & Massiliæ prælia parvincerent; itemque, quominus Philisburgum, Manheimium, Frankendalia, quas urbes Delphinius obsederat: Mons Hannoniæ & Namuscum, a Rege, Palamosia & Gerunda, a Novilieco; Barcino, a Mont-Revelio; Carthagena, a Pointio; Spira, Wormatia, Oppenheimium, Caroloregium, Nicia, Villa-Franca, Susa, Montmeilliantium, totque arces aliæ caperentur, quibus subactis, Ludovici XIV. hostes eo demum redacti sunt, ut pacis partes susciperent. Hæc tamen emolumenta victoriasque supra universam conjuratam Europam retulere Galli statim a Nannetensis edicti revocatione quæ Octobri mense an. 1685. edita fuerat; ex quo inferendum, per eos qui se in perfugium receperant, nec infirmiores Gallos, nec nationes eorum gloriæ æmulas invidasque potentiores redditas esse “. Est hæc prudens cordataque strenui ephemeridum scriptoris animadversio, dum suum de protestantis Angli scripto, Kal. Octobris an. 1776. judicium prodit. Ita sane, & quidem certissime, sæcularis & regularis regni clerus multo erat, quam in præsentia, copiosior frequentiorque, cum Ludovicus XIV. tam magna cum gloria de Europa quæ in eum conjuravarat, triumphabat; non ergo ingens immodicusque ecclesiasticorum & religiosorum Gallorum numerus infirmiorem quam erat iteratorum Ludovici Magni triumphorum tempore, Galliam reddidit. Ejus ergo detrimentum aliis causis tribuendum est. In turpem ergo, ac ditioni funestum errorem inciditur, dum chimericæ causæ huic id adscribitur, quin quæratur alibi mali fons, ut ei remedium adhibeatur.

Auctoris Angli, in religiosorum gratiam, quod modo attulimus, testimonio addemus & illud quod ex eodem grege alter, non minus celebris, nempe doctus Leibnitius in epistola, Venetiis data an. 1690. Aprilis die 11. & ad quemdam Imperii Principem missa nobis exhibuit in hæc verba: „ admodum equidem vereor, ne quicumque monachorum non e mendicantium numero sunt, idem fatum aliquando subire cogantur; atque id quidem est, quod protestantes purget. Quod in me est, servatos sane, sed in „ bo-

„ bonum usum collatos monachos vellem; ac si ego Papa essem, id mihi cordi esset, ut inter eas veritatis inquisitiones, quæ Dei gloriæ inserviunt, itemque charitatis opera distribuerent, quæ ad hominum salutem bonumque conferunt“. Extat hoc Leibnitii testimonium in opere quod inscribitur: „ Ecclesiastici indigenæ super religiosis corporibus animadversiones“; Francofurti ad Mænum, & Lucemburgi, apud ephemeridum impressorem, an. 1776.

Nonne singulare quiddam est protestantes audire, qui se religiosorum fautores magnifice prædicant, dum a catholicis non desunt, qui eorum eversionem iteratis clamoribus turmatim petunt? Ecclesiasticus vir animadversionum auctor quas paulo ante laudavimus, super hoc argumento suam ita sententiam exponit: „ religiosos sibi & societati utiliores reddendi, quam destruendi consilium satius sane propiusque ad humanitatem est. Homines sibi meliores, inque similibus utiliores reddere, id demum omni recto regimini propositum esse debet. Principium hoc æque politica & religio, ratio & humanitas approbant.“

E

EVANGELIUM. Id nominis *Bonum nuntium* significat: „ Bonum nuntium quod christifidelibus allaturum Evangelium venit, illud demum est, eorum Deum apprime comparatum ad iram esse; ab eodem æternis flammis eorum majorem numerum destinari; eorum denique felicitatem ab ipsorum sanctæ stoliditate, sanctaque credulitate pendere“. Theol. manual.

Bonum nuntium quod christifidelibus Evangelium allaturum venit, illud est, in unum Deum, infinite potentem, infinite sapientem, infinite sanctum, infinite justum, infinite bonum, in omnia generis perfectionibus infinitum, credi oportere; Deum hunc, eam summe perfectum sua omnia opera, & peculiariter hominem, qui ejus operum præcipuum est, amore prosequi; id cordi habere, ut ei æternam salutem tribuat, eumque beatitatis quam, eumdem creans, ipsi designat, participem reddat; æternis flammis ab eo neminem destinari; pertinaces vero peccatores ita se ipsos addicere; numque effecturum, ut eas ii tantum qui per patrata crimina promeruere, perferant, quippe qui nihili fecerint, quicquid is ad eas avertendas egerit; punitiones quas in reprobos exeret, nec acerbitatem, nec iram, nec vindictam, nec animi ullum impetum in eo indicare, sed purum putumque effectum esse divinæ justitiæ quæ punit, ut & compensat, pro operibus cuique reddens, absque ulla emotione quæ altam, qua fruitur, tranquillitatem turbare possit; necesse tamen fuisse, ut hic divinæ justitiæ actus affectusque per odii, indignationis, vindictæ, & id genus alia vocabula in sacris litteris designarentur, atque ita quidem hominum intellectioni accommodarentur; perinde atque, ob eamdem causam, cum de physicis & naturalibus rebus in sacris scriptoribus obtulit loquendi occasio, ad consuetum hominum sermonem se conformarunt, ajentes, ut aliquod exemplum afferam, solem oriri & occidere, licet reapse (in Copernicano quidem systemate) immobilis sit; ac demum Christianorum fidem non posse nisi tamquam sublimioris præstantiorisque sapientiæ fructum, utpote quæ innumeris adeo perspicuis, adeo convincentibus, adeo invictis suapte natura rationum momentis nititur, ut voluntarii solum cæci se ejus evidentiæ subducere ac negare possint.

EXPERIMENTA. Neque ut oblectatur, neque ut dignoscat, quid consilii super eorum rationibus capere debeat, eos quibus favet quosque potissimum diligit, Deus experitur; id agit, ut eos ipsos edoceat, purgetque, ut in catillo metalla liquante aurum; eosque perficiat & ad coronas comparat, quas iisdem designat, per præstantiorum, heroibusque dignorum virtutum usum, quæ tantopere conferunt, ut gratiæ quæ ad earum exercitationem excitat, trahitque, divitias nemo non admiretur, & qui eorum certaminis, ac triumphi testes sunt, salubriter permoveantur, & ita quidem ad eos alacriter imitandos ferantur. Quæ demum humanitati beneficia in hac agendi ratione quam specietenus adeo duram & asperam, at reapse adeo ad sapientiam misericordiamque compositam erga suos electos, suos heroas, suos intimos & præcipuos amicos divinitas utitur!

F

FANATISMUS. „ Vox hæc, *fanaticus*, inquit Pluquetius, in suo excellenti hæresum Dictionario, derivatur, nonnullorum judicio, a græco vocabulo quod lumen significat; latini proinde dixere *fanaticum*, ut illuminatum & inspiratum hominem designarent. Contendunt alii id nominis esse ductum a verbo *fanum*, quo templum innuitur, & hinc *fanaticum* dictum esse, ut homo notaretur, qui templa ambiens absona & ordine aliena ageret, ac se veluti prophetam venditans, inepte stolideque vaticinaretur. Quicquid de his etymologiis sentiendum sit, fanatici nomen nunc temporis ei tribuitur, qui, quod depravatæ imaginationis est, divini numinis afflatum ratus, se, per singularem illustrationem, fidei veritatibus imbutum putat, & ad agenda quæ a ratione rectoque ordine absunt, religionis & pietatis opera abripitur. Non ergo fanatici peculiarem sectam constituunt; sed omnibus sectis, et & omnibus religionibus fanatici sui sunt. E verbo fanaticus confectum est *fanatismi* vocabulum, quo scilicet innuitur mentis affectio qua fit, ut tamquam divinus afflatus, præposteræ praveque imaginationis phantasmata, somnia, spectra sumantur.“

Fanatismus igitur est periculosus animi morbus, cujus funestæ consecutiones & sæpe fuerunt, & possunt etiamnum esse. Hac de re quidem haud ægre convenit; at nostrates philosophi nonne ejus pericula perniciosaque effecta, quoad religionem, exaggerant, cum eidem irreligionem præferunt? Nemo id ipse sibi dissimulare poterit, si vel obiter utriusque notas expendat.

Fanatismus est religionis excessus qui subsequitur fortem, magnum, elevatum animum, aptumque ad efformanda consilia & executioni mandanda, quin obstacula, quæcumque fuerint, atque adeo tormenta, & mora ipsa timorem incutiant. Ita comparatus & hac indole præditus animus non opus habet, nisi ut illustretur, in officio contineatur, ducemque & magistrum sequatur.

Irreligio, e converso, certum animi indicium est, qui vilis demissusque humi serpit, depravatus corruptusque est, hebes, enervis, ad arctissimum, supra quam percipi potest, amoris proprii, voluptatis, commodæ vitæ, peculiaris emolumenti ambitum quasique circulum omnino redactus, semperque paratus præposteris cupiditatibus quæ ei dominantur, nihil non devovere; est igitur irreligio longe humano generi perniciosior, quicquid dictitet garriatque jactata philosophia.

FATALISMUS, FATUM, FATI NECESSITAS. Fatalismus qui ab hac omni rerum universitate libertatem amovet ac de medio funditus tollit, quique creatis rebus, iis ipsis quæ intellectu & ratione pollent, omnem in sua ipsarum acta potestatem adimit, quas nempe, veluti pura puraque automata, subdit invictis & ineluctabilibus arrogantis ac duræ necessitatis fatique legibus, quod manu tenet eventorum seriem quasique catenam quæ ab eo ipso procusa est, quæque a nemine prorsus abrumpi potest; fatalismus, inquam, præter omnem perceptionem, locutionemque, horrendum exsecrandumque systema est; jure sane ac merito abbas Bernerius, fatalismi formidandum systema non hoc ex capite vituperatione dignum est; sed propterea quod cum divinorum decretorum immutabilitate, qui e christianæ fidei articulis unus est, suam arrogatam necessitatem confundit. Est igitur omnipotens Deus; nihil ejus absolutæ voluntati resistit; in suis ipse decretis immutabilis omnino est; quicquid, ab omni æternitate, statuit, dubio procul certoque eveniet. Interim tamen liber est homo; neque hac de re ipse potest ambigere, quippe qui firmissimis, quæque deleri nequeunt, notis scriptum suæ libertatis sensum, in suæ substantiæ fundo ipso gerit; qui quidem sensus adeo intimus est, vividus, constans, ut is, nullo non vitæ momento, se ejusdem vi motuque affectum, perculsum excitatumque non sentire non possit.

En igitur æque certæ exploratæque veritates tres: Dei omnipotentia, ejus decretorum firmitas & infallibilitas, hominisque libertas. Hæ porro veritates non sunt ejusmodi, ut invicem conciliari non possint, quamvis earum conciliatio quælibet societas plus minusve difficilis videatur, prout cujusvis animus aut jam occupatus in religionem est, aut magis in ignorantia versatur, aut magis est ad arrogantiam factus, aut a suis ipse, quæcumque sint, cupiditatibus in captivitatem redactus. Injuria igitur ac temere obtru-

dit incredulus fetalismum, ex Dei omnipotentia, ejusque decreiorum immutabilitate necessario derivari, dum urga veritates bas duas observantiam simulat, quæ ejus animn nequaquam inest, irritosque conatue edit, ut eas evertat per fatalismi pbantalma quod affigit divinitatis currui, quæ mundum regit.

FESTA, FESTI DIES. Non desunt boc tempore fortes, ut se jactitant, spiritus, seu potius tumidæ mentis bomines qui festos ab Ecclesia institutos dies, tamquam piæ cuidam inertiæ addictos vituperent: at nil facilius in Ecclesiæ institutionibus, dum earum pervertitur ipsa natura, in easdemque blaspbemiæ evomuntur, invenire quod improbetur; non ita res babet, cum de iis n veritain sermo fit. Si vellet ex animo incredulus pretiosam hanc & semper nmabilem veritatem vereri, festos Ecclesiæ dies non *pia* quidem *desidia*, sed *sanctis operibus* eddictos diceret. Et sanc festa sunt ab Ecclesia statuti dies, ut honoremus Christi mysteria, ejusve sanctæ Matris aliorumque Sanctorum memoriam, preci vacantes, & ad divina officia, pastorumque catecbeses assidui, edentes bonn cujusqua generis opera quæ nos possint sanctorum vestigie secutos ad beatitatem ducere, qua iidem in cælis gaudent, qunmqua nos in terris versantes iis gratulamur, observantes, ut n misericordiarum patre nas gratias ipsas nobis obtineant, per quas sanctitatem sunt consecuti, cum, ut nos, in boc terrarum orbe viatores & ipsi erant. Religionis ergo, pietatis & charitatis opera, præcipuus finis sunt, quem Ecclesia in festorum dierum institutione sibi proposuit; & corporis quies. dum n servilibus operibus abstinemus, non alin spectat, nx Ecclesiæ mentia votoque, quam ut ad finem banc perveniamus. Non igitur ea desidiæ quiatem suis n filiis postulat, dum iis præcipit, ut labores per sillos dies intermittant; sed laborem alium alteri suffectum vult, servilium scilicet operum loco, quæ mentem avertunt impediuntqua, ne, ut par est, ad Deum referatur, religionis opera peculiariter ad ejus bonorem designata requirit. Sin inter christianos sunt, ut misere quidem non desunt, siqua numero plures, qui festa profanent, ea videlicet in quiete mere otiosa, vel, quod longe deterios, in criminosis operibus transigant; eos damnat Ecclesia, superque eorum depravationibus ingemiscit; et hæ pravitates ipsæ ejus consiliorum puritati, legumque sapientiæ in festorum dierum institutione detrimenti nibil afferre possunt. Velletne ergo abbas Berœrius legislatoren non posse ullam legem ferrn, quin eidem imprimant eodem tempore invictam certamqua vim, qua obsequium & obedientiam ab omnibus & singulis subditis sibi vindicent? Si id contendit, non ibit inficias de legislatoribus ac da legisletione jam actum esse.

FIDES. Non est fides omnino stupide in sacerdotibus quædam fidentia qua oos ad credendum adducat quicquid iidem dicunt, ut contendit incredulus; est divina virtus quæ efficit, ut, e Dei verbo ipso, credamus, quicquid nobis revelare dignatus est. Theoricarum ergo practicarumque, super quibus fides nostra versatur, veritatum series quasiqua corpus non habet fundamenti loco sacerdotum verbum; effertur ad divinitatis ipsius testimonium, cui placuit se homini patefacere, eum alloqui & edocere, & e cujus proinde sinu omnes dogmaticæ moralesqun veritates emanant, quarum ei necessarie ad salutem cognitio nst. Innumera, eademque gravissima & prorsus invicta rationum momenta quæ credibilitatis argumenta dicuntur, perspicun aperteque probant Deum homines allocutum esse, tom in veteri, tum in novo Testamento, ut eos mystica quædam, ratione quæ supra naturam est, & arcana doceret, quæ secus agnoscere non potuissent, quia eorum mentis vim captumque longe multumque superant. Quicquamne est magis rationi & justitiæ consonum, magisqua necessarium, quam Deo credere ipsi, cum loquitur? Ac possetne ullus esse rationi ac prudentiæ locus, si quis aures ejus voci pertinaciter non præberet, prætexens se animo non complecti mysteria quæ eidem libet revelare? Non ergo Dei mens, qui nos ea docet, digna est, quæ præferatur humanæ menti quæ infirmior est, quam ut eadem comprehendat intimeque pervadat?

Homo qui nec ipse se, nec eorum quicquam, quibus undique ambitur, muta complectitur, isne est, qui valit irrumpere æterniqun divinitatis in sinum usque, ut ejus impervias inaccessasque altitudines abyssusque exploret & perscrutetur? Unum igitur & unicum ei sumendum consilium nst, suum ut intellectum captivet sub humilis & simplicis fidei jugo, quam vulgus carbonarii fidem appellat, quæque in eo est posita, ut credatur quicquid sacerdos credit, credit, inquam, non seorsim sejunctimve e suis confratribus, & e primis Ecclesiæ Pastoribus sumptus, sed prout cum iis æque atque cum Romana sede, quæ est unitatis & catholicitatis commune centrum, communione doctrinaque conjunctus est. Ejusmodi est carbonarii fides, & compendiaria via, sed tuta prorsusque certa, per quam veritas & quicquid ad salutem necessarium est, cognoscatur; accommodata omnium captui; doctique perinde quique ac simplices & rudes & insciti bomines eam amplecti & sequi debent, nisi eberrare voluerint & se perdere, fallax sequnti filum quod iis tendit nxhibetque propria ipsorum & arrogans mens. Non est nec esse potest nisi una & unica vera Ecclesia, quemadmodum nec est nec esse potest nisi una veritas; & hæc sola verax Ecclesia non alia quam Romana Ecclesia nst, quippe cui suppetunt omnes ad unam notæ quæ veracem Ecclesiam designant; videlicet, unitas, sanctitas, catholicitas, apostolicitas, &, quod inde consequens fit, indefectibilitas & infallibilitas; seu, quod idem est, ea sola nst una, sancta, catbolica, apostolica, deficere nequit, nstque fallere & falli nescia.

Romana igitur Ecclesie nst una; tum in constanti, quoad Christianæ fidei capita, firmaque sententia; omnes nempe revelatos articulos credit semperque credidit; tum in invisibili capite quod Christus Dominus, tum in visibili, quod Papa est; tum in regiminis forme, in qua peculiares pastores, in gregis eorum sollicitudini curæque concrediti portione respondent obsequunturque pastoribus quibus subsunt, pro variis eorumdem jurisdictionis gradibus; tum in sacramentis quæ, seu numerus, seu ad essentiam pertinentes materia & forma spectentur, eadem ubique sunt; seu denique in membris quæ omnia & singula non nisi unum idemque corpus conficiunt, per erctam unionem & consociationem communionemque, qua alia junguntur aliis, itemque peculiaribus suis quorumque pastoribus, & pastorum primo qui omnium caput & centrum nst.

Romana Ecclesia sancta est in suo invisibili capite, cultuque quem nidem exhibet; in doctrina, legibus, præceptis, consiliis, effatis, morum scientia, sacramentis, miraculis quæ ei instituendæ propagandæque inservierunt, in suorum denique membrorum compluribus; ut verbo expediam, non alibi quam in ejus sinu sanctitas reperitur.

Romana Ecclesia catbolica est, scilicet, universalis, utpote quæ ad omnia tempora & ed omnia loca protenditur. Complectitur omnia tempora, quia nullo non tempore extitit existetque fidelium, sub eodem capite Christo Domino, seu prout ventu na erat, seu prout jam venit, in eamdem conspirantium societas, & hæc societas est Romana Ecclesia, in eorum locum suffecta, qui in antecessum Christo Domino suo Messiæ, antequam veniret, crediderunt, ut ea proinde dici possint, bac ratione, per fidei super capite hoc unitatem, cum primis credentibus, etiam ante Divini Servatoris adventum natalemque diem substitisse. Refertur ad omnia loca, quia doctrina quam ipsa tradit, in omnibus terrarum orbis regionibus prædicatur, seu prædicata est, seu prædicabitur.

Romana Ecclesia est apostolica, quippe quæ ab Apostolis instituta fuit, eaque ipsa est, quam S. Petrus Antiochiæ primum instituit, e qua deinde urbe suam ipsa catbedram Romam transtulit; ab ejus successoribus regitur; credit docetque quicquid S. Petrus & Apostoli cæteri crediderunt & docuerunt.

Romaon Ecclesia est indefectibilis, seu deficere omnino non potest, quandoquidem ea ipsa est cui Christus Dominus indefectibilitatem, seu perpetuam firmitatem promisit, certos faciens tum S. Patrum, fore ut ne inferi portæ in eam unquam prævaleant, tum omnes discipulos, se cum ea futurum esse omnibus diebus, absque intermissione, ad seculorum consummationem usque.

Romana Ecclesia est infallibilis, seu fallere fallique nescia, in dogmaticis suis judiciis; & hæc infallibilitas est ejus indefectibilitatis necessaria consecutio, seu propterea errare non potest, quia Deus ipse, per essentiam veritas, expressis verbis eidem testatus est fore, ut æternum ipse cum ea fœdus ineat; eam nunquam deserat; cum ea permaneat, ut ei subsidium præbeat eamque tueatur ad usque seculorum finem; omnes mundi, dæmonis, inferorumque conatus nihil in eam possint, nec impediant, quin subsistat puramque veritatem & sine ullius erroris admixtione doceat super dogmate vel moribus, super iis demum omnibus quæ sunt ad salutem fidelibus necessaria.

Repeto nunc igitur & dico: ita sane, fidelis quisque, quicumque sit, doctus indoctusve, credat, oportet, quicquid suus ei sacerdos, suusque parochus dicit,

sit, qui quidem in Romanæ Ecclesiæ communione vivat, nihilque doceat, nisi quod per universum terrarum orbem in suis fidei symbolis suisque catechismis ea ipse docet, quia tunc universam omnium temporum omniumque locorum ecclesiam, ab ipsis usque mundi incunabulis initio ducto, in unius parochi persone videt & audit. Personam videt auditque ipsius Dei, docentis hominem quem modo condidit, id quod eum credere & agere, ut eidem placeat, necesse sit. Videt auditque hunc Deum ipsum qui deinde Patriarchas & Prophetas alloquitur, jubetque alia sibi similibus veritates nuntiare, quas iis proxime revelavit, & id facultatis iisdem tribuens, ut; per prodigiorum vocem, suæ missionis divinitatem probent. Videt & audit Abelem, Enochum, Noemum, Mosem, verbo, justos omnes, primitivi revelationis depositi fideles sequestres custodesque ad Christum Dominum Messiam usque qui jam enuntiatus promissusque, designato in æternis decretis tempore venit, extremam ut manum imponeret, & ultime veluti lineamenta conferret ecclesiæ suæ, quæ cœpit in Adam, fuitque enucleata per Mosem, renovata, perfecta per Christum Dominum, propagataque per Apostolos eorumque in apostolatu successores, probata, firmata, sub sui semper divini fundatoris regimine, moderatione, præsidio, tutela; Ecclesiæ proinde unicæ, deque sui omnino divini, omnino cælestis principii unitate participans; sed ecclesiæ suapte natura ad perfectionem tendens, & ad nos usque deducta ab imperfectionis, seu minoris perfectionis statu ad majoris, seu potius consummatæ perfectionis gradum, ad quem Christus Dominus ejus sponsus ipsam evexit, & in quo, citra omnem varietatem, eamdem firmavit.

Id nimirum videt, uno oculi ictu, simplex carbonarius in sui parochi docente persona, idque ipsum christianus quisque, ejus instar, videre debet. Mirum sane privilegium, quod ad Romanam tantum præ cæteris omnibus Ecclesiam pertinet! Dum ejus ministrorum minimus, in ejusdem filiorum cœtu, fidei symbolum summatim exponens auditur, aperte cernitur divinitatis sinus e quo ea dimanat, Homo-Deus qui eam instituit, Apostoli eorumque in apostolatu successores qui eam protenderunt firmaruntque, doctores qui eam illustrarunt, omnes pastores, alii aliis suppositi, qui suis eamdem laboribus curisque sustentant, sacramenta quæ ea administrat, sacrificium quod offert, religiosæ cæremoniæ quas præscribit, præcepta quæ imponit, consilia quæ proponit, pœnæ quas minitatur, mercedes quas pollicetur, gratiæ quas distribuit, omnium dogmaticarum & moralium quas ad mortalium felicitatem constanter docet, veritatum augustum corpus. Quanam, quamque opulenta, pretiosa, mirabilis tabula! Comperitur hæc sub fidei penicillo, quam carbonarius profitetur.

G

GLADIUS. Christus Dominus in evangelio se venisse ait, ut in terras gladium afferret, non materialem quidem gladium, quo nationes subigerentur, urbes diriperentur, provinciæ conquirerentur, sanguinis profusi fluctibus; ejus quippe regnum haud de hoc mundo est; bene vero spiritalem & mysticum gladium, per quem cupiditates amputarentur, pravus omnis animi impetus immolaretur, omnia quæ humanitatem depravant, vitia radicitus extirparentur. Poteratne melius humani generis bono consulere? Poteratne potiore titulo sibi homines devincire, quam docere eos non aliter felicitatem quam, ipsa ferente natura, adeo vehementer expetunt, assequi posse, quam si vitium effugiant, & virtutem sectentur?

GLORIA DEI. Gloria est fama existimationi, admirationi, obsequiis addita, quæ genuinis meritis, perque illustria virtutis acta probatis perspectisque exhibentur; ex quo fit, ut gloriæ legitimus amor sit, quem christiana ipsa religio non improbat; is nempe, qui prudentia moderationis finibus circumscriptus, ad omnis boni, omnis excellentiæ, omnis meriti, omnis virtutis universum fontem resilit. At si, quantumvis debilis & pauper ipse per se, potest tamen homo legitimum gloriæ desiderium concipere; quanto magis Deus eam sibi tamquam finem proponere potest, Deus, inquam, qui, cum sit omnium entium maximum, præstantissimum, perfectissimum, seu potius, per excellentiam, per essentiam, ens, illud ipsum ens, sine quo nihil omnino sunt omnia, per suam ipse naturam, suarumque perfectionum infinitatem meretur, dignusque est, ut eum omni gloria, omni laude, omni obsequio afficiant omnes & singulæ ab ipso creatæ res, quas quidem non nisi ob suam ipsius gloriam, tamquam suæ creatricis actionis ultimum finem creare potuit, cum fieri nequeat, ut ens necessarium, universum, æternum, omnium rerum principium, ob aliam quam suæ ipsius gloriæ finalem causam agere possit? Quid enim reapse est Dei gloria in se ipsa spectata? Nihil demum aliud, quam ejus suprema majestas ex infinitis perfectionibus emicans, quæ ex ipsius entitatis seu essentiæ plenitudine, tamquam ex uberrimo fonte promanant, & luculenter in omnibus Universi, ejusdem manuum operis partibus fulgent. Observantia ergo, admiratione, honore, celebratione, laudum & obsequiorum cumulatione digna est majestas hæc. Id necessarium tributum est, quod ei debent omnes creatæ res, quodque ea recusare non posset, quin se ipsa respueret. Ea une id juris obtinet, ut se glorificet, & tamquam ad centrum in quo omnia conjungi debent, ad suam gloriam omnia pariter referat, quandoquidem tamquam ab universa causa nihil non ab ea derivetur. Ob suam ergo ipsius gloriam agere necessitas in Deo est, quæ ejus essentiam ipsam, & perfectionum quibus eminet, infinitatem consequitur.

GRANDITATES. *Vide* POMPÆ.

H

HÆRESIS. Non est hæresis, quod quidem magni nominis impius ait, opinio, theologorum assertioni contraria, quibus haud satis existimationis est, ut, quod ipsi sentiunt, aliis persuadeant. Hæresis quam formalem vocant, in eo est posita, ut pertinaciter negetur revelata & ab Ecclesia tamquam fidei articulus definita veritas quam suis ipsa filiis credendam proponit. Hæresis ergo non est omnis opinio, theologorum sententiæ contraria, ea tamen excepta facti specie, in qua omnes conjunctim theologi nihil aliud agerent, quam fidei articulos ab Ecclesia definitos proponerent; tunc enim theologi non nisi definientis Ecclesiæ mentem referrent, ejusque se interpretes exhiberent; quique eorum decisiones amplecteretur, non theologorum quidem, sed ipsius Ecclesiæ auctoritati se subderet. Perspicuum ergo est hæreticos haud eos theologos esse, quibus non satis asseclarum est, ut se orthodoxos reddant. Respondeat, si potest, nobis impius. Arianis, sub Imperatoribus *Constantio & Valente*, qui eos suis omnibus collatis viribus & ad furorem usque fulciebant; Monothelitis, sub *Heraclio & Constante*; Eutychianis, sub *Theodosio II.* Iconoclastis, sub *Leone Isaurico*, ejusque filio *Constantino Copronymo*; Hussitis, Wicleffitis, Lutheranis, Zuinglianis, Calvinistis, ac tot aliis hæreticis qui, armata manu, nec sine copiosis exercitibus, instructis, animosisque, tot urbes vastarunt, tot provincias diripuerunt, tot regna diruerunt everteruntque, regiminis formam in tam multis ditionibus inverterunt mutaruntque, numquid his hæreticis deerant vires, opes, agmina, ut orthodoxos se redderent? Id tamen ullone tempore ullave in regione obtinuerunt? Semper & ubique locorum agniti habitique fuere qui erant, christiani scilicet e fide aberrantes, a catholica Ecclesia sejuncti, nullique non anathemati obnoxii. Expilare ii quidem, demoliri, delere, jugulare, incendere, ferrum & ignem quovis inferre, effusis sanguinis quasi rivulis, potuerunt; et infamiæ notam, heterodoxiæ inseparabilem sociam evadere non potuerunt. In eorum fuit potestate fuit Ecclesia, dulcissimæ matris, viscera dilaniare, immolare, ob ejus oculos, atque adeo in ipso ejus sinu, portentoso filiorum numero, quos eadem non minus quam ipsa se diligebat; et numquam fieri per eos potuit, ut ab ea, quoad errores, approbationis indicium vel minimum extorquerent. Atque hinc, ex hac videlicet Ecclesiæ invicta vi, hæreseon hæreticorumque necessitas, quorum in eam furor & rabies id unum efficit, ut ejus inconcussa firmitas emicet, estque ejus gloriæ trophæi loco.

Ecclesiæ igitur necessariæ sunt hæreses, non absoluta, sed consequente necessitate, tum ut ei de suis omnibus hostibus gloriose triumphandi præbeatur occasio, tum ut certa probetur Christi Domini, quoad eam, solemnis promissio nunquam fore, ut inferi portæ in eam prævaleant, tum denique ut peculiaria dogmata quæ furens hæresis impetit, illustrandi & in tuto ponendi locus eidem exhibeatur.

HIERARCHIA. *Est hac plurium graduum ordo, quos Christi Domini ministri in ejus patris domo occupant, in qua ipse dixit*, si percelebri hierarchiæ hosti fides, *sen primum seu ultimum neminem fore.*

Non repetemus hoc loco, quod hujus Analysis Tom. IV. pag. 19. & sequentibus, de hierarchia diximus; eo se conferre, si vult, potest hierarchiæ hostis; setie habebimus eum rogare, ut nos doceat, ubinam in evangelio dixerit Christus Dominus, *in sui patris domo nec primum quemquam nec ultimum fore.* Video equidem, quod in me est, eum disertis verbis econtra dixisse, plures in sui patris domo sedes ac stationes esse: *in domo patris mei*, inquit ipse, *mansiones multæ sunt;* atque id quidem, ad cælorum domum quod attinet. Videamus terrarum domum, quæ non alia sane quam christiana Ecclesia est. Ejus fundator & sponsus Christus Dominus in ea statuit Apostolos quibus supra omnes nationes potestatem est impertitus, quam ipse a patre ad earumdem salutem accepit. Vult ejusdem Ecclesiæ caput Petrum esse; quicumque Ecclesiam non audit, eum tamquam ethnicum & publicanum spectari vult, &c. Ergo. quod inde fit consequens, sua in Ecclesia, seu in sua terrerum domo, peculiares vult gradus & classes hominum esse, quorum alii jubeant, & alii pareant; ii loquantur, doceant, regant, legitimorum superiorum auctoritate tituloque insigniti; hi tamquam inferiores subordinati & dependentes audiant & se subdant.

Quo igitur fundamento niti potest adversarius, ut pronuntiet, ex ipsis Christi Domini verbis, primum postremumve in Ecclesia neminem esse?

Hisne apud S. Marcum verbis, ejus evangelii capite X. *Scitis, quia hi qui videntur principari gentibus, dominantur eis; & principes eorum potestatem habent ipsorum. Non ita est autem in vobis; sed quicumque voluerit fieri major, erit vester minister; & quicumque voluerit in vobis primus esse, erit omnium servus. Nam & filius Hominis non venit, ut ministraretur ei, sed ut ministraret, & daret animam redemptionem pro multis?* Liquido constat Christum Dominum per laudata verba nihil aliud suæ Ecclesiæ ministris interdicere velle, quam animi elationem, fastum, asperitatem, dominationem, imperium cujusmodi ethnicorum Principum erat, qui peculiaribus terrarum nationibus imperabant, non autem prærogativam, ordinem, gradum quibus gaudent Ecclesiæ ministri, per justum eminentiæ titulum supra simplices fideles evecti, a Deoque instituti, ut eos edoceant & quoad salutem regant, sanctasque res in eosdem distribuant. Ecclesiæ regimen, fateor profiteorque, laboris, sollicitudinis, pacis, suavitatis, charitatis, humilitatis ministerium est; et sine recti ordinis detrimento, qui laicos e sacris ministris segregat, efficitque, ut hi posteriores per eam qua pollent, excellentiam & auctoritatem aliis præstent, utpote qui ad eos in salutis tramite ducendos regendosque e Deo instituti sunt. Essetne perfugium ad parabolam de operariis ad vineam missis, quæ S. Matthæi cap. X. allata explicit per hæc verba: *Sic erunt novissimi primi, & primi novissimi?* Sciat adversarius doceaturque nec parabolam, nec parabolæ finem sibi favere. Id unum spectat parabola, ut Judæi moneantur, tametsi ad veram religionem ante gentes vocati fuerint, haud proinde tamen fore, ut iis ie Christi Ecclesia præferantur; separationis diruto, qui eos dividebat, pariete, inter utrosque perfectam æqualitatem existere; æque utrosque Christi gratiarum, mysteriorum, promissionum participes esse posse; denique *posteriores*, nempe gentes, quoad caput hoc, veluti *primos*, & *priores*, nempe *Judæos*, veluti *postremos fore.* Ejusmodi est hujus parabolæ, quad sciam, notio; & hac ipsa significatione dici potest non solum omnes Christifideles *æquales*, verum etiam eos ipsos omnes *clericos*, quia ad Dominum tamquam ejus hæreditas *pertinent*, atque adeo *sacerdotes* esse, ut spiritales hostias & sacrificia Deo offerant, quæ scilicet bonorum operum usu continentur.

HISTORIA ECCLESIASTICA. Increduli, Romanæque Ecclesiæ omnes generatim hostes quibus id voluptati est, ut scandala amplificent, quæ terrarum orbi ex ejus ministris & quidem primarii gradus aliqui misere præbuerunt, imbecillium catholicorum nonnullos in eam opinionem traxerunt, Ecclesiæ historiam haud laicis congruere; temere prorsus ac falso.

Nimirum ecclesiasticæ historiæ studium non eos solum decet, qui clericali militiæ nomen dederunt; sed est etiam laicis apprime utilis. Hæc scilicet iis adjumento est, ut omnem christianæ religionis amplitudinem, majestatem, divinitatem percipiant, dum eam ratione quæ multo est humana præstantior, institutam, & in tanta ætatum & regionum varietate fultam propagatamque perspiciunt. In hac ipsa historia admirantur iidem Ecclesiæ certamina, victorias, triumphos, utriusque sexus omnisque conditionis hominum laudanda & præclare facinora, rara exempla, heroicas eximiasque virtutes quibus tam magna via ad eos in fide firmandos, in suorum officiorum exercitatione excitandos, invicteque evangelicis placitis addicendos, quæ nullo non tempore omnibusque in regionibus quibus innotuere, tot heroas protulerunt, totque sanctitate præstantes homines efformarunt. Pretiosa, inestimabilia emolumenta, longeque e lethalibus venenis alia, quæ facile colligunt abibuntque quicumque impios, licentiæque ac voluptatibus accommodatos libros legunt, quos non desinit perversum hoc seculum parere.

An vero nonnullorum Dei ministrorum scandala quæ amplificari tantopere cordi est, quæque ecclesiastica historia nequaquam dissimulat, ipsius Ecclesiæ sanctitatem vel levissime lædunt, deturpantque? Proponunturne tamquam imitandum archetypa, an potius tamquam execranda exempla quæ non sine horrore evitentur? Nonne prædicta fuere? Nonne accedunt & ipsa ad ipsius religionis œconomiam, & ad alta & imparvia divini ejusdem auctoris consilia, qui malum propterea solum permittit, ut ex eo scilicet bonum ducat, perficiatque, ut splendidius emicent ejus justitia, sapientia, vis, potestas, evidensque demum præsidium quo per omne tempus suam ipsa Ecclesiam fovit, quam ab omnibus tam exteris tum domesticis hostibus tutatus est, quamque ipsam de quibusvis eorumdem conatibus triumphare voluit.

HONESTUS HOMO. Philosophus credentem irridet, qui asserit propugnatque, honestum hominem, absolute loquendo, & quanta huic titulo addicta amplitudo est, sine fide esse neminem posse. Equidem ut philosophicam hanc derisionem rejiciam, probemque honestum hominem, quam late patet id nominis, esse neminem unum posse sine religionis supra naturam evectæ fide, ac sine officiorum usu, quæ eadem imponit, non opus habeo hoc loco extremam lapsi hominis imbecillitatem, ad malum propensionem, quoad bonum obluctationem, mentis tenebras, cordis vitia, subitum imaginationis ac præcipitem impetum, præposterarum cupiditatum numerum vehementiamque, blandarumque rerum quæ eum undique cingunt, numquamque non ad pravas fruitiones alliciunt & pertrahunt, vehementes illecebras ac prope ineluctabiles sollicitationes exponere. Quid ergo? Satis mihi ad hanc rem est unum & unicum præclari philosophi testimonium: ut honestus homo ac vere existimatione dignus, eo judice, quispiam sit, satis est nihil esse, quod *timeat, ne a societate puniatur, aut contemnatur.* Quicquid ergo, seu publice, seu privatim facere potest, quin societatis aspectum, brachium, aut intimam vim extimescere debeat, innoxium est, honestum, decens, cum virtute conjunctum. Atque hinc profecto dolus, calliditas, vafrities, mendacium, calumnia, dummodo veritatis speciem fucumque præferat; fallacia, proditio, deceptio, altior & mollior hypocrisis, ostentatio, ambitio, vanitas, prodigentia, effrenior luxus, furta, venenorum propinationes, ex insidiis cædes, incestus, adulteria, occultæ omnes abominationes, clandestinæ omnes fœditates, omnia flagitia quæ hominum notitiæ legumque animadversioni subduci poterunt, hæc, inquam, universa licebunt; honestusque homo comperietur in uno eodemque individuo una cum mendace, deceptore, hypocrita, proditore, ingrato, perfido, calumniatore, adultero, incestuoso, exsecrando, latrone, veneni propinatore, injusto victore, ad feritatem & internecionem facto, barbaro denique, cui nonnisi vastationes, depopulatio, trucidationes, direptiones, homicidia veluti alimento sunt.

HOSPITALIA. Piæ fundationes, seu pia loca in gratiam pauperum, ægrotantium, &c.

Animadvertendum est ad paginam 23. n. 4. Tomi quarti hujus conciliorum Analysis, in Galliis ad regios tantum judices, non autem ad Episcopos pertinere, ut de bonis operibus statuant, quibus addicendum quod reliquum est ex eorum hospitalium bonis, quibus plus suppetit, quam ad sustentandos pauperes opus sit.

HUMANITAS. Qui se Philosophos dictitant, & eorum asseclæ nunquam desistunt christianam societatem arguere, quæ humanitatem, beneficentiam, charitatem ignoret. Si eo animo sunt, ut ex omnium rationa utentium hominum mente nullam non fidem evellant, conveniant, necesse est, eos non posse se melius aptiusque gerere, ut votorum suorum damnentur. Quam sane fidem reipse, quicumque sapit, Scriptoribus habere potest, qui sibi jocari videntur, dum omnia honestatis pudorisque repagula prætergrediuntur, ut Christianam religionem in tam perspicuo apertoque capite quod in omnium incurrit oculos, calumniis impetant? Estne igitur ex hominum genere quispiam, quem lateat, virtutem qua nulla christifidelibus

bus charitur, quaque nulla magis expressis verbis in evangelio sanctisque novi generatim testamenti libris præcipitur, humanitatem, beneficentiam, charitatem seu proximi amorem esse, tum qui affectivus, tum qui affectivus dicitur, quin vel acerrimi quique inimici excipiantur, quos Christus Dominus æque ac se ipsos, & quoad aliquam facti speciem plus quam se ipsos a Christianis diligi jubet, ita scilicet, ut omnia spiritalia & corporalia misericordiæ opera erga eos edant, per documenta, consilia, sollicitudines, curationes, eleemosynas, omnisque generis adjumenta, sacus horrenda ejus maledictionis effecta, æternasque inferorum supplicia subituri? Nonne æque in comperto est, invidiam, avaritiam, ambitionem, luxum, magnificentiam, prodigalitatem, quamlibet in quovis genere redundantiam, omnes voluptates oblectationesque omnes illicitas, omnem intemperantiam, omnes præposteras cupiditates gravissime suis a Christiana religione discipulis interdici, idque ob eam, inter alias, causam, ut ita quidem ad explendum charitatis insigne præceptum se comparent, quo pauperibus, prout cujusque necessitas tulerit, opitulari jubentur? Et erit, qui dicere, scribere, imprimare audeat, *bonum christianum esse neminem posse, quin humanitatem, beneficentiam, charitatem, utpote fere nunquam divinitatis rationibus consentaneas extinguat*? Utinam ejusmodi blasphemiæ, tamque atrocis calumniæ horror blasphemi & calumniatoris hominis animum tam alte intimeque pervadat, ut ei non amplius deinceps suarum aberrationum pudendum sit! Vos vero, omnium temporum omniumque universi regionum miseri pauperes, prodite, accedite, properate eleemosynarum immensitatem elata voce prædicare, quas prorsus innumeri Christifideles in vos coetularunt, qui se alacriter ipsi spoliarunt, ut vos induerent, esurierunt, ut vos saturarent; omnia, atque adeo necessaria, ne quid vobis deesse sinarent, ultro libenterque abdicarunt; ac vos ipsa sacra asyla, vel ad caducæ senectutis, vel ad infirmæ juventutis, vel ad derelictæ infantiæ, vel denique ad imbecillis, insanientis, peregrinantis, verbo, quacis alia, quæcumque fuerit, ratione patientis subsidium instituta, loquiminor, vestra cum omnium tristium incolarum omnium acclamationibus permixta voce; loquiminor, inquam, nobisque dicite: nonne vos estis ipsa sanctarum profusissimum opus, quas benefici, & ad prodigium usque in charitatem effusi Christifideles innumerabiles ediderunt? Marmor & æs id sibi gloriæ certatim tribuent, ut singularis hæc beneficia nunquam non posteris ob oculos ponant, atque ita horum Christianæ charitatis heroum memoriam immortalitati commendent.

Idemne de recentioribus philosophis nostris testimonium ferant? Id huic rei argumento sit, quod ex eorum coryphæis unus scriptum reliquit; D. de V.... sub Mortmiensis equitis nomine delitescans, id sibi proponit, ut se ipse ab humana societate dimittat, mundo dicens extremum vale, in epistola versibus exarata quam ad Tressaniensem comitem mittit. Ie aa decrepitus hic senex nobis significat se semper voluptatum amore trahi; in degradato corpore sensus extinctionem, ad gelu redactam ætatem, tempusque quod omnia destruit, & chalybeaia falce et vultum exarat, impedimento non esse, quin ipse sibi suarum veterum oblectationum imaginem non sine deliciis in memoriam revocet; *animumque, vi destitutum, adhuc, ut fruatur, operam dare, & sepulcrum ad voluptatis vocem ingredi.*

Ejusmodi ast morientis philosophi ad humanum genus cui se præceptorem putat, postrema lectio: inter voluptates vivere, quoad eædem gustari & attingi possunt; in earum deploratione mori, & ita quidem, ut quæratur adhuc appetaturque earumdem fruitio, quantumvis extinctus sensus iis non amplius frui sinat. Christianæ porro religionis documenta sunt paulo alia. Docet hæc innoxias ipsas voluptates licitasque fruitiones arcere, atque ita vivere & mori, ut ad pauperum solatium nihil non erogetur. Ea quidem in hunc modum humanitatis sensum extinguit.

HUMILITAS. Christiana hæc virtus est, qua ducimur, ut earum rerum intuitu, in quibus deficimus, ipsi nos contemnamus & ab aliis contemni cupiamus. Philosophus quidam qui haud sane id sibi vindicat, ut humilis sit, humilitatem quæ Christianæ religionis propria & peculiaris est, ad primæ notæ formandos homines comparatam non esse contendit. Est profecto Christiana virtus humilitas; hac de re convenit inter omnes; & quidem ita, ut Christianæ tantum religioni congruat, si sumatur, quam late patet, quæque omnis ejus perfectio est, quia una & unica religio hæc homines ingenue perfecteque humiles efficere potest, luminis supra naturam positi vi, quod iis communicat, ut suam ipsorum imbecillitatem, suam impotentiam, suum nihilum, nunquamque intermissam necessitatem perspiciant, in qua versantur, ut opus habeant supremi entis subsidio, a quo æque & suas omnes facultates & harum facultatum usum tenent. Hoc ergo divinitati exhibitum obsequium est, cujus omnipotentiam infinitamque magnitudinem testatur homo, dum se apud eam ad nihilum redigit, non autem ejus ministris qui non minus quam mortalium infimi necesse habent suis ipsorum illustrationibus nuntium remittere, ut se ad humilitatem comparatos, depressos, quasique ad nihilum redactos teneant serventque, coram supremo rerum omnium auctore a quo, quicquid habent, quicquid iidem in se ipsis sunt, derivatur. At, quia id fert humilitas, ut se quisque contemnat, aliorumque existimationem timeat, sitne proinde consequens eam magni nominis hominibus efformandis parum idoneam esse? Immo vero prorsus econtra. Quid de paupere superbo sentiendum esset, qui se divitem ratus, dum ei desunt omnia, renueret ad thesaurum confugere, qui eidem apertus esset, ac de eo quoque qui suæ extremæ indigentiæ conscius, plenis ex eo manibus haurire nunquam desisteret? Hæc pauperis superbia tumentis, ejusque cui humilitas suppetit, imago est.

Horum primus qui se sibi satis esse arbitratur, non eo est animo, ut vel obiter ad suæ ipsius existentiæ auctorem oculos vertat, ejus opem imploret, dignus est, qui omni suæ naturæ imbecillitati, quæ ejus fatoæ arrogantiæ justa pœna est, relinquatur. Alter qui suæ miseriæ suæque impotentiæ intimo ac vivido sensu sublimem divinæ omnipotentiæ bonitatisque notionem adit, Deumque tamquam omnium bonorum, omnium donorum, omnium animi facultatum magnificum dispensatorem absolutumque dominum spectat, in eum oculos sine intermissione coejectos tenet, opem imploraturus & gratias acturus, duplex ei precum & grati animi tributum solvens. Hæc adeo laudanda animi comparatio intumescantiam & arrogantiam amandat, quin sollicitudinem, laborem, alacritatem, vigilantiam amoveat, quæ omnia adjumenta ad præstantes eximiosque in quoque genere formandos eorumque successus in tuto ponendos faciunt.

I

IDOLOLATRIA. Scriptor quidam, apprime, si quis alius, irrisor idololatriam ita definit, ut sit religiosus cultus qui rebus materia constantibus & inanimis exhibetur. Subdit deinde catholicos latriæ cultum qui vero tantum Deo debetur, eucharisticis speciebus præstare; quo nihil magis a vero abest. Igitur unice huic vero Deo ipsi quem ea imbecillia symbola contegunt, honos obsequiumque a catholicis exhibetur; nec iis alia fides, alia agendi ratio adscribi citra calumniam potest. At non una est hæc & unica falsitas, quæ in tribus quatuorve nostri scriptoris lineis occurrit; idololatriam præterea male definit; non ea sane ad res tantum corporales inanimatasque redigitur; omnes complectitur creatas res, seu animæ compotes seu expertes sint, seu ratione polleant, seu careant, seu mere spiritales seu partim spiritales, partim corporales sint, quæ supremo cultu qui non nisi ad verum Deum, tamquam omnium rerum creatorem æque atque earumdem principium & ultimum finem pertinet, afficiuntur. Non igitur is tantum qui, thuribulo in manus sumpto, ante vilem pagodum se se prosternunt, in idololatriæ crimen incidit; sed quicumque planetis, brutis animantibus, hominibus, angelis ipsis, vitiis, cupiditatibus, superbiæ, avaritiæ, ambitioni, vanitati, oblectationi, sensui, voluptati, amori proprio, amori impuro, &c. suum thus adolet; & ejusmodi quidem idololatriæ potissimum rei sunt ipsi e recentioribus philosophis nostris minus a ratione aberrantes, ii nempe qui de fruitionibus tantum loquuntur, qui nunquam non fruitionum illecebras jactant, qui oblectamenta jam funeri tumuloque proximi concinunt, qui non nisi tripudia, ludos, spectacula, molles delicias, procaces risus, jucundum quavis notione convictum, peculiare commodum, absolutam independentiam, fastosam libertatem, invictum amorem proprium prædicant. Hi sunt dii, hæc numina, hic latentricus cultus horum religiosorum hominum qui idololatriæ nos accusant. Alia etiam se prodit auctoris inscitia, qui id ponit tamquam certum, in Eucharistiæ sacramento, Deum, ex Ecclesiæ doctrina, in panem mutari. Estne igitur hæc ejus catechismi ignorantia Abbati condonanda, qui se tam multis variisque notitiis imbutum ostentat?

Jeju-

Jejunium, abstinentia a nutritione.

Philosophi nostri in Christianorum jejunia vehementer exclamant & invehunt; neque id mirum videri debet. Cum enim oris voluptas ex earum præcipuis sit, quæ eorum idola sunt, nihil est, quod quispiam miretur ab iis non amari jejunium, eum nempe libidinis, gulæ & intemperantiæ exitialem hostem. Semper tamen in commendatione jejunium fuit; non apud Christianos dico; horum exemplum philosophi nostri cum contemptu risuque respuerunt; nec apud exiguum etiam ex ethnicis sapientibus numerum; apud universos populos dico, populosque quorum singula membra se tamquam totidem Reges spectabant, apud terrarum orbis dominos populos. Romani perpetuis nunquamque intermissis jejuniis addicti erant; vespertino tantum tempore mensam eamque ad frugalitatis leges apprime compositam instruebant; ac mane quidem alimenti parum sumebant, quod iis necessarium erat, suis ut negotiis interdiu vacarent, & ne exinanitione perirent. Quem id nostris, ut se jactant, Philosophis ignominiosum ac turpe, iis nimirum hominibus qui libidinosis voluptatibus se semper ingurgitant, & sensuum illecebris obruti jacent.

IGNORANTIA. *Est id quod scientia adversatur, quodque primum ad fidem animum comparat*, inquit incredulorum unus speciosior multo quam doctus. Quid hoc errati est! Quod primum omnium ad fidem animum comparat, omnino contra scientia est; at ea quidem scientia, quæ naturalis eppellari potest, bonoque sensu nititur; quæ non nescit, qua demum ratione congruis finibus se cohibeat; quam ducit recta & sana mens; quæ verum rerum statum semper assequitur, nunquamque eum prætergreditur. Hæc veri nominis scientia, vel, si lubet, bonus hic naturæ sensus, & hæc suapte nature ad rectum ordinem facta mens ad fidem comparent, quemadmodum verum sapientem ab eo fecerunt, qui non nisi specie tenus ejusmodi est. Per hujus generis scientiam, unam & unicam veritati consonam, unamque & unicam existimatione universim dignam, momento temporis unoque veluti intuitu, quicquid hominem nosse præstat, melius cognoscitur, quem perspicaciores mentes, & acriora promptioraque ingenia, quibus hæc adjumenta desint, assequi possint. Ex eorum deficientia, omnes aberrationes, omnia deliramenta, omnes insaniæ, tot frivolarum mentium quæ sibi tantum sapientiam & doctrinam arrogant; ex eorumdem conjunctione, humanitati utiliores, graviores magisque necessariæ notitiæ, una licet ex iis existeret supremi naturæ auctoris ejusque plurium attributorum cognitio quam recta ratione bonoque sensu prædita mens primo ipso obtutu percipit in ea augustarum pulcritudinum multitudine, quas cælum & terra nobis exponere certatim satagunt.

IMPII. *Sunt hi genus hominum qui pii non sunt, seu quibus deest fides*, inquit homo nulla non impietate ad prodigium insignis. Hæc impiorum imago manca prorsus & imperfecta est; ac proinde supplementum eidem apponi necesse est. Impii sunt homines, seu potius horrenda hominum monstra quibus ea jucundior suaviorque occupatio est, ut homines devorent, eradicantes ex eorum animo ipsum religionis, honestatis, probitatis, pudoris, cujusque denique virtutis intimum germen. Quandoquidem nullam prorsus religionem norunt foventque, nihil intentatum relinquunt, ut omnem religionem, & cum ea omnia ad unum repagula, quæ homines in officio continere possunt, omnia rationum momenta quæ iis ad bene agendum excitandis idonea sunt, omnes morum regulas, omnia laude digna opera, omnia virtuti congrua enimi sensa funditus tollant; quoniam tandem si nulla religio est, nec vitia amplius, nec virtutes sunt, nec bonum, nec malum, nec præceptum, nec prohibitio; quicquid utile aut jucundum est, quæcumque ponatur ejus pravitas & atrocitas, licitum est innoxiumque; nemo non absque ullo conscientiæ stimulo sumere potest, id ut sibi liceat. Credit hoc impius, omnique conatu per effrenem licentiam aliis credendum proponit. Ite senci; nihil non agit, ut omni humanæ mentis lumini tenebras offundet, omnes notiones deleat, omnes leges penitus abroget, omnes compedes frangat, omnibus cupiditatibus catenas solvet, omnibus vitiis habenam remittat, rationis facem ipsam & minimas quasque scintillas extinguet; ea præditos hominum mut t in feroces belluas, semper paratas, alias in alias irruere, ut rabidis conjectis dentibus se invicem lacerent. Est hæc impii persona, hoc ejus systema, is denique mundus esset, si adeo cæcutiret, & illud susciperet & sequeretur, systematicorum scilicet antropophagorum horrendum latibulum.

INDULGENTIÆ. In hac Conciliorum Analysi, Tom. IV. pagg. 33. & seq. *verb. Indulgentia*, leguntur nonnulla verba quæ levem fortasse difficultatem parere possent. Pag. ead. lin. 68. col. 1. indulgentiam dicimus, extra pœnitentiæ sacramentum, ab Ecclesia concedi; addimusque, ibid. col. 2. lin. 42. in dubio esse, possint, necne, semper Episcopi plurium annorum indulgentias in pœnitentiæ tribunali concedere. Possunt ergo, inquiat fortasse quispiam in pœnitentiæ sacramento, perinde atque in sacramento ipso indulgentiæ concedi. Utique, eum indulgentiam diximus ab Ecclesia extra sacramentum concedi, id unum afferre voluimus, quod fere fit, & innuere, indulgentias concedendi potestatem non eam esse quæ ordinis dicta, necessario in sacramento exerceri debet; sed eam quæ jurisdictionis appellata, extra sacramentum exerceri potest, atque ut plurimum exercetur, quamvis & ipsa in sacramento locum habere possit.

INFINITUM. *Deus est infinitus*. Hæc loquendi ratio non aliud omnino significat, quam theologos ignorare, quorsum ejus qualitates pateant, inquit arrogans philosophus. Minime vero; Non id theologi per Dei infinitatem intelligunt; sed illud attributum, seu potius eam divinorum omnium attributorum ineffabilem conjunctionem designant, quæ efficit, ut Deus nullo termino nullisque finibus in sua essentia suisque perfectionibus circumscribatur, nec dividi possit, quippe divisibilibus pertibus minime constet; nec exhauriri, cum sine fundo abyssus sit; nec comprehendi nec contineri, quia immensus est, omnesque creatas intelligentias infinitum in modum superat. Non esset profecto Deus, nisi infinitus esset, & supereminenter omnes perfectiones possibiles possideret, quæ quidem divinitati, omnipotenti omnium entium creatori, omniumque rerum primo principio & ultimo fini congruunt.

INSTITUTIONES CHRISTIANÆ. Haud raro fit, ut christianas institutiones ad risum traducentes audiantur ii pseudo-sapientes qui humani generis per excellentiam institutores se dictitare non dubitant. Quid hoc audaciæ est? Christianæ institutiones e catechismorum ad Christifidelium usum minimo ductæ melius pleniusque docent, quicquid veritatis hominem scire reipsa necesse est, quam omnis ætatis philosophorum emphatici sermones omnes ac tumida scripta. Eminet, elucetque supremi, absoluti, a nullo pendentis, infinite perfecti Entis unitas, Dei nempe qui existit ipse per se suæque essentiæ necessitate, omnium rerum principium, & regens omnia, ad suos ipsius fines per hanc mundi universitatem omnia perducens, summa æque vi ac suavitate & bonitate; supremus humani generis legislator, virtutis magnificus remunerator, criminis illacrymabilis ultor, omnium pater & pastor hominum quos ad imaginem suam creavit, quos per suam potestatem servat, quos per suam providentiam nutrit, quibusque æternam salutem per suam gratiam conferre vult. Quam jucundæ solantesque, quam firmæ ac solidæ veritates! Has mira consensione ratio æque ac fides docent, quandoquidem ratio æque ac fides docent Deum esse, eumdemque non posse nisi unum & unicum esse; & quemadmodum non nisi unus Deus est, ita unam tantum veram religionem esse, eamque ipsam quam hominibus revelavit, ut eos edoceret, qua demum ratione ab iisdem honorem servitium sibi exhibitum vult, ut æternam felicitatem quam iis paravit, quæque nihil aliud quam ipse est, mereantur.

Quam eximia documenta! Sunt ea quidem magna, splendide, sublimia, & a philosophicis placitis alia, quæ nedum hominem firmant erudiuntque de rerum ulla, quas præcipue, libenter dixerim, unice interest ab eo cognosci, eum potius incertum, fluctuantem relinquunt, dicam melius, id unum moliuntur, ut eumdem lellant & excæcent, atque ita in eam demum sententiam trahant, ut se in terras fortuito projectum credat, ut ibidem per aliquot momenta vegetet, plantarum & brutorum instar, quin eum maneat ulterior finis, quantumvis intimus nunquamque intermissus sensus suam ei præstantiam exhibeer, & ipsa ad suæ essentiæ principium a quo est quicquid ipse est, quicquid possidet, eritque quicquid sperat, invicte feratur.

JONAS. Falso an temere audacium scriptorum aliqui Jonam accusent, qui Ninives urbis excidium nuntians. Dei nomine mentitus fuerit. Si, super ejus urbis, post quadraginta dies, excidio, vaticinium, non ut verba sonant, sed quæ eorum vis & notio est, mente assecuti essent, illud conditione suspensum &

porten-

comminatorium esse perspexissent; futurum quippe portendebatur excidium, facta hypothesi, Ninivitas in pervicacia persistere, nec dare operam, ut a se, quemadmodum poterant, imminentem procellam averterent, ad pœnitentiam confugientes, quod reapse præstiterunt, utpote qui Dei consilium in sui prophetæ missione probe perciperent. Non est ergo mentitus Deus, non item mentitus Jonas, dum ejus nomine urbis excidium nuntiavit, apposita conditione pertinaciæ & obdurationis scelestorum civium, qui satis prudentes satisque felices fuerunt, suam ut salutem, quod Deus præviderat, in pœnitentia comperirent. Cæterum, verus propheta non id agit, ut vulnera infligat, sed ea potius sanare studet. Mala scilicet quæ inibi sunt, ut in populos ingruant, ad quos mittitur, amovere, in eosque maxima quæque bona pertrahere: hic unus & unicus ejus missionis propositus finis est.

IRREGULARITAS. Occurrit articulus hic pag. 40. Tom. IV. hujus Conciliorum Analysis. Ibi legitur irregularitatem canonicum impedimentum esse, videlicet, per Ecclesiæ canones institutum. Credi fortasse posset id cum eo non congruere, quod pag. 41. lin. 30. de naturalis itemque divini juris irregularitate legitur, cui persona subest, quæ non baptizata, vel fœminei sexus est. Si enim demum, inquiet aliquis, Irregularitas universim canonicum impedimentum est, ab Ecclesia institutum, nulla prorsus existit, quæ ad naturale divinumque jus pertineat, irregularitas, ac si existit, perperam ergo definitur irregularitas canonicum impedimentum ab Ecclesia institutum.

Iis tamen qui in hunc modum ratiocinari possent, aut jam ratiocinati sunt, respondebimus eorum ratiocinationem consecutione destitui, &, quam nobis objiciunt, repugnantiam non nisi specie tenus ejusmodi esse. Cum itaque de juris naturalis & juris divini irregularitate loquimur, nobis id unum volumus ejusmodi irregularitates tum naturali tum divino jure niti firmarique, videlicet, huic duplici juri congruere, consultisque duobus his juribus, par esse, ut ab ordinibus arceantur, quicumque iis criminibus, vitiis, obstaculis, impedimentis irretiti sunt, quæ efficiunt, ne ad ordines recipiantur, neve eorum munia obire sinantur, naturalis divinique jurium ratione habita, quæ momentorum satis suppeditant, ut ab iis arceantur. Non id tamen impedit, quominus, in universum, pronuntiari possit irregularitatem esse canonicum impedimentum ab Ecclesia institutum, quoniam revera Ecclesia, secundario saltem, instituit, seu confirmavit declaravitque irregularitati obnoxia impedimenta ipsa quæ juribus, naturali divinoque nituntur.

Ii denique quibus hæc explicatio non arridebit, irregularitatem apte recteque definire poterunt impedimentum quod e quibusdam criminibus aut defectibus derivatur, quæ ad tonsuram & ordines suscipiendos, eorumque obeunda munia, æque atque ad ecclesiasticam jurisdictionem quæ iis ordinibus addicta est, exercendam, & ad ecclesiasticum beneficium valide possidendum, irregularitatis dispensatione non impetrata, personam ineptam seu inhabilem reddunt.

Poterit deinde distingui duplicis generis irregularitas, naturalis & divini juris una, cujusmodi est quæ fœminei sexus personam, aut non baptizatum hominem afficit; & ecclesiastici juris altera, cujusmodi sunt illegitimitas, mutilatio, &c.

Ibidem, pag. 43. lin. 86. *animadvertas, velim*, in Gallia hæreticorum filios, & potiore jure eorumdem nepotes irregulares non esse.

Ibid. pag. 45. lin. 67. Cum sacer aliquis ordo, constante matrimonio, quamvis consummato, suscipitur; *lege*, non consummato.

Ibid. pag. 45. num. 3. *ad primæ dictionis finem adde:* & posse ad Papam confugi, quia, *superveniente impedimento, casus papalis fit episcopalis*, ut vulgo auctores.

Ibid. pag. 46. lin. 72. & seq. Querela, vel inquisitio ad id non habent momenti satis (ut Papæ reservata sit super irregularitate dispensatio); necesse præterea est, ut denuntiatus accitus in jus sit & succubuerit; *lege*: satis est, ut in jus accitus jussusque fuerit se ipse stata die judici sistere; tunc incipit ad Papam reservatio, quæ subsistit, quoad is absolutus remissus fuerit.

Ibid. pag. 46. lin. 78. *legitur*: Episcopum ab irregularitate dispensare posse, quam subiit, qui ad suam ipsius vitam servandam, homicidium patravit. Hæc verba cum iis non congruunt, quæ pag. 45. leguntur, hanc nempe dispensationem, licet favorabilem, sanctæ Sedi reservatam esse: sed iis standum quæ pag. 46. dicuntur, addendumque, Tridentinum concilium in Gallia receptum non esse quoad id quod *ibid.* de hæreseos crimine dicitur in hæc verba: *Idem & in hæresis crimine, in eodem foro conscientiæ eis tantum, non eorum vicariis sit permissum*.

JUSTITIA DIVINA. Ut theologos in contemptum ac derisionem adducat, quidam, ut se dictitat, philosophus eos accusat, qui asserant divinam justitiam nulla prorsus ratione humanæ similem esse. Numquam asseruere theologi divinam inter & humanam justitiam nihil similitudinis interesse; occurrit quidem certa non una inter utramque similitudinis ratio. Quod ii dixerunt, quodque tamquam indubitatum explorátumque statuatur, oportet, id demum est, inter hæc justitiæ genera duo perfectam similitudinem nec esse nec esse posse; quoniam inter creatarum rerum & creatoris, finiti & infiniti perfectiones necessario discrimen interest. Quid ergo? Privati hominis justitia a publici, a magistratus, a Principis justitia differet; interque vilis atomi ex una parte, & Entis entium, supremi terræ cælique, omnium denique rerum moderatoris justitiam ex alia nihil discriminis intercedet? Privatus quispiam injustus erit, id agens, quod salvis justitiæ legibus aget Princeps, dum, ut exemplum afferam, publicæ vindictæ reservata crimina punieт; plus vero minusve graves in nequam homines pœnas infligens, erit injustus Deus? Huc enim spectat auctor, ut scilicet divinam justitiam accuset, eique crudelitatis notam inurat, prætexens eam sibi non innotescere, quodque de ea vel apparet, vel theologi dicunt, supra id longe multumque positum esse, quod in hominum justitia cernitur. At si minus divina justitia percipitur, si omnino non agnoscitur, ejusque ut cæterorum Dei attributorum notio nulla suppetit, ut præclari ratiocinatores nostri contendunt, qui demum ipsa umquam barbara crudelisque notari potest? De eone potest judicium ferri, quod nullo modo cognoscitur, cujusque ne minima quidem notio menti obversatur? Nos porro qui divinam justitiam, quamvis imperfecte, novimus, tum rationis tum revelationis, facem conjunctim præferentium, ope; nos, inquam, asserimus, quæcumque ejus acerbitas, specie tenus, occurret, eam numquam fines prætergredi, oppositumque judicium ex arrogantia, inscitia, præjudicio, amore proprio derivari.

L

LATINA ECCLESIA. Eam increpant adversarii, quæ sua officia latino sermone recitet & concinat, quia clari interest ea a populo non intelligi; at si Ecclesiæ publica officia latine recitandi aut concinendi usus, quicquid ejus hostes garriant, admodum e re est, haud sane quicquam emolumenti clerus ex eo percipit, quod simplices fideles, quæ ipsi dicunt aut psallunt in Ecclesia, non intelligant; contrarium potius evincunt innumeri canones & sanctiones ejusdem Ecclesiæ, quibus populorum institutioni præpositi ministri jubentur iis explicare Dominicam orationem, *Pater*, *symbolum*, psalmos, Missæ canonem precesque cæteras, lectiones, homilias Patrum, cæremonias, denique quicquid in Ecclesia fieri, recitari aut cani consuevit. Officiorum etiam quæ in Ecclesia latine dicuntur, aut concinuntur, editæ vulgari seu vernacula lingua versiones quæ cujusque conditionis & cujusque sexus fidelibus præ manibus sunt, non minus & ipsæ probant, quam parum intersit clesi laicos divina officia non intelligere. Cur ergo ea vulgari sermone in Ecclesia psalli clerus ipse non patitur? Ob excellentia retinmum momenta plura.

1. Quia linguæ continuis variationibus obnoxiæ sunt, unius aut dimidii sæculi spatio fieret, ut divina officia ridicula, indecora & comica evaderent, si animum obfirmari juberet, ut communi idiomate canerentur, aut ea sæpe reformari oporteret, ut præsenti sermoni accommodarentur, qui non solum in regno, ditione, republica, aut provincia, sed etiam in singulis urbibus vicissim singulis obtineret; quod, ut nemo non videt, graviora incommoda secum traheret, seu potius quod fieri omnino non potest.

2. Divinorum officiorum, quoad linguarum vicissitudines, non intermissa mutatio ipsam facile fidem attingeret & vitiaret, quæcumque tandem ad malum hoc avitandum circumspectio adhiberetur, quippe quod ut inducatur, prope nihil requiritur, atque ad id mali unius litteræ mutatio sufficit. Et hinc quidem propemodum ineluctabile, quoad fideles, erroris periculum.

3. Si divina officia latino sermone recitari desineretur, hæc lingua multo rarior evaderet; idemque ea ferme fatum subiret atque hebraica cæteræque doctæ linguæ quas fere nemo possidet; ex quo fieret, ut alia-

aliarum Catholicæ ſocietatis regionum Epiſcopi quibus nulla amplius communis lingua ſuppeteret, ſimul ſeu in conciliis ſeu aliis in cœtibus, ad ſtatuendas veritates & damnandos errores, convenire non poſſent.

4. Divini Officii non vulgari lingua celebrandi uſus non ita latinæ Eccleſiæ peculiaris & proprius eſt, ut ne omnium orientis Eccleſiarum communis ſit, quæ ſcilicet in divini Officii celebratione linguam adhibent, quam populus non intelligit. Utuntur quidem Armeni armena lingua, Syri ſyriaca, Æthiopes æthiopica, Cophti cophtice; at id de his linguis accipi debet, pro ut olim ſe habebant, quæque erat primigenia earum ratio, quæ populum latet; non autem quemadmodum eas exhibet in præſentia vulgaris lingua quam populus percipit.

Satis id fuerit, ut divini Officii in latina Eccleſia latine celebrandi uſus in tuto ponatur. Nunquam ſero perſpicitur, ut religionis majeſtas & fidei integritas quicquam mutationis afferri ſinant, cum ſuper hoc capite variationes tam faciles eſſent, quam reapſe difficiles ſunt, & ita quidem difficiles, ut, pene dixerim, contingere omnino non poſſint. Qui plura ſuper hac re ſcire voluerit, librum conſulere poterit, cui titulus: *De divini officii non vulgari lingua in Eccleſia celebrandi conſuetudine*. Pariſiis, an. 1687.

LIBERTAS COGITANDI. Philoſophi, ſublimes ii cogitantes nullo non momento temporis conqueruntur, cogitandi libertatem in iiſdem reprimi; et toto, quod dicitur, cœlo falluntur; cogitandi ſcilicet libertatem ne leviſſime quidem, ſaltem quoad homines, attingere poteſt repreſſiva, ut vocant, ſeu coactiva via; unus is iis cordium quæ condidit, ſupremus ſcrutator, eorumdem intimas depravationes, itemque occultas cogitationes punire poteſt. Non debent igitur homines cogitandi libertatem reprimere, bene vero impedire, ne diſſeminentur dogmatum inſtar enuntienturque, typis edantur, ore tenus, aut e ſcripto tradantur præclara cogitata ſeu potius deliramenta, quæ noſtrorum inſignium philoſophorum cerebro obverſantur, cujuſmodi ſunt inter alia, ut nos ad exiguum exemplorum numerum redigamus, materialiſmus, abſoluta quoad omnes religiones indifferentia, & univerſalis tolerantiſmus, civilis & politica omnium hominum æqualitas, omnium poteſtatum contemptus, ſocialis contractus qui Principes ſuorum ſubditorum juriſdictioni obnoxios reddit, ſubditoſque ſuorum Principum judices efficit, cujuſque individui propria & peculiaris utilitas deſignata tamquam una & unica ejus actorum regula, & fortioris lex tamquam una & unica juris & juſtitiæ menſura. Quicumque regunt & imperant, profecto nullam æquo majorem ſollicitudinem conferre poſſunt, quam ut hanc cogitandi libertatem, dicam verius, licentiam pro viribus reprimant, ſi, quod Deo, ſuis quod populis, quod ſibimet ipſis debent, exſequi volunt, noluntque quamprimum incertas & fluctuantes, ſuas inter infirmas manus, regiminum habenas cernere, quæ eorum adminiſtrationi concreditæ ſunt. Sacerdotibus tamen non eſſet in votis, ut Principes ſuſpendi aut clathrari juberent præclarorum ejuſmodi cogitantium quempiam, qui eos injuriis obruunt, cum perfigere ictibus nequeant; ſatis haberent, illos, quam cogitari poſſit, ſuaviſſimis rationibus ad redigi, ſuis ut fratribus nocere, eoſque vitiare & pervertere non amplius poſſent. Eſtne quidpiam magis ad moderationem compoſitum, lenius, ſapientius, ſed & juſtitiæ magis conſonum, atque adeo abſoluta neceſſarium?

LIBERUM ARBITRIUM. Id negant fataliſtæ; quæ cæcitas!

Ut quiſpiam liberum arbitrium, ſcilicet, volendi aut nolendi, faciendi aut omittendi cum animadverſione conjunctam facultatem neget, eo audaciæ deveniat, neceſſe eſt, ut eodem tempore ſe contra intimum qui nemini non ineſt, libertatis ſenſum, contra cujuſque non intermiſſam in id experientiam, contra invictum propenſionem qua fertur hominum quiſque ad credendum ſe liberum eſſe, contra totius humani generis ſententiam uſumque conſtantem obfirmet, e quo nullus eorum ad quos ſpectat, jubet aut vetat, hortatur aut minitatur, vituperat, aut laudat, punit aut remuneratur, niſi quod ejus animo libertatis hominis, non minus quam primi cujuſque principii clara & evidens alte impreſſa perſuaſio eſt. Vano igitur irritoque conatu tam perſpicuæ ac tam gravi veritati dubitationes affingere quiſpiam ſtuduerit, id unum aſſecuturus, ut miſerationem excitet. Liberum arbitrium non minus opulentum eſt cæleſte donum, eo ſpectans, non ut in omnem æternitatem nos perdat, ſed ut ejus ope per acta creatore digna, qui nobis illud ex conſilio largitus eſt, ipſi nobis æternam ſalutem promereamur. Contra ejus votum fit, ut eo abutamur, noſtræque illud ipſum perditioni inſervire velimus; nec ejus, noſtra ipſorum culpa, contraque ejuſdem auctoris mentem per nos abuſus obſtat, ne ſit ipſum per ſe ac ſuapte natura, excellens donum quod omnem a donatario grati animi ſignificationem requirit, genuina perfectio, ſingulare privilegium quod hominem ab omnibus in ſenſus incurrentibus rebus ſecernit, quodque ei quidem eo charius pretioſiuſque videri debet, quo propius per illud ad creatricem divinitatem accedit, cujus inſigne eſt ac præcipuum opus, hoc ipſo titulo qui ei diſcriminis notam apponit, dum adeo luculenter præſtanterque a cæteris omnibus ejuſdem divinitatis operibus ipſum diſtinguit. Quod ſi Deus hominem ſua libertate abutentem punit, non id ad ſuam ipſius oblectationem facit, ſed quia ejus juſtitia, itemque intimus & neceſſarius rerum ordo ita poſtulant; actuſque juſtitiæ ac ſervandi ordinis ratio nequeunt evadere crimen flagitiumque quoad Deum, aut barbarum malefici & atrocis Entis conſilium, quod non puniret, niſi quia voluptuoſe ſibi placeret, ſua inauditæ crudelitatis miſeras victimas pati videns. Vah tam calumnioſa quam horrenda exſecrandaque hypotheſis! Scriptorem qui eo audaciæ devenit, ut hanc ſibi licere vellet, non ejus tandem pudebit?

LIBRI. Malorum librorum auctores in Eccleſiæ ſævitatem declamant, quæ libros damnat & igni devovet; injuſtæ ſunt horum hominum querimoniæ.

Approbat generatim Eccleſia, tamquam ſibi æque charos atque utiles, omnes indiſcriminatim, nulloque prorſus excepto, libros qui ad perficiendam rationem, ad illuſtrandam mentem, ad formandum animum, ad cupiditates cohibendas, ut nec aberrent a tramite, nec modum prætergrediantur, ad errorem vitiumque impugnandum, ad morum, veritatis, virtutis amplificandum Imperium faciunt. Quinam igitur libri ſunt, quos ea flammis addicens proſcribit? Impii libri ſunt, nullis non in Deum ejuſque ſanctam religionem quam funditus delere nituntur, blaſphemiis inſarti, ſunt voluptuoſi & in licentiam effuſi libri, quorum non alius & is quidem certus effectus eſt, quam ut imaginationem inquinent, mentem obtundant & excæcent, animum corrumpant, mores depravent; hi demum cauſtici, calumnioſi, famoſi libelli ſunt, qui dure acerbeque ſocietatum aut ſingularium hominum honorem & famam lacerant; hi ſunt cauſtice faceti libri quibus nihil aliud propoſitum eſt, quam ut quos impetunt, ridendos dent; quod eos acrius laucias, quam ſi gravibus ictibus percellerentur; ſeditioſi libri ſunt, qui in utramque poteſtatem perduellionis flammam inflant, religioſam & civilem auctoritatem arroganter increpant, thronum & altare concutiunt. Ejuſmodi demum libros Eccleſia non niſi flammis idoneos judicat; immeritone?

LITTERÆ. *Nihil ha conferunt ad utilitatem Eccleſiæ cujus auctores ignorantes & illitterati fuerunt*, inquit omnino ſpecioſa & inanis ſcientia Scriptor.

Ita ſane; primi Eccleſiæ fundatores, Apoſtoli, ſcilicet ii miſelli piſcatores qui ſuas tantum naviculas & retia noverant, ignorantes & non litterati homines fuere. Atque hæc ipſa nimirum eſt, inter complures alias, firmiorum graviorumque rationum una, quæ Chriſtianæ quam ipſi fundarunt, Eccleſiæ divinitatem oſtendunt. Cum enim Eccleſia hæc, fatentibus ipſis acerbioribus ejus hoſtibus, nec ingenio demum, nec cognitionibus, nec dexteritate, nec vafritie, nec eloquentia, nec animum pervadendi viæque perſuadendi arte, nulla denique mentis dote, nullo eorum a quibus initium habuit, humano adjumento utatur, poteſtati proinde ſupra humanam omnem vim poſitæ ſuam ipſa nativitatem debet, ſuoque in principio, origine, inſtitutione, divina eſt, per prærogativam quæ eidem admodum pretioſa, quæque eam ſplendidum in modum e cæteris omnibus religionibus diſtinguit, quæ ſuam inſtitutionem auctorum calliditati, ſeu peculiari merito, pluribuſque animi facultatibus acceptam referunt. Eccleſiæ ergo, cum primum inſtituta fuit, neceſſariæ litteræ non fuerunt; ac ſi myſteriis quæ docet, & legibus quas præſcribit, tam multi deinceps male feriati homines non obſtitiſſent, non ea ſane tantopere litteratis in omni genere viris opus habuiſſet, qui eam ab adverſariorum conatibus tuarentur. At cum ambitio, irrequieta ſollicitudo, vana curioſitas, omnia ſciendi pervadendique immodicum deſiderium, pœnæ & pœnitentiæ horror, voluptatis amor, dicam verbo, innumeræ aliæ cupiditates ex ipſis filiis plures in eam concitaſſent, quibus quicquid acutius blandiuſque humanis ſcientiis ineſſe poteſt, præſto erat, neceſſe fuit, ut Eccleſia, ita undique, ac tum intra tum extra impetita, ſuis adver-

fariis

fariis in ejus perniciem conspirentibus doctos in omni genere viros opponeret, qui eam ab omnis generis aggressionibus quibus suberat, tuerentur; atque id quidem ei feliciter a voto cessit omnibus retro actis sæculis, quin excipiatur tenebrosum hoc ipsum miserèque refertum scriptorum copia, quæ non alio spectant, quam ut religionem ab ipsis, si fieri posset, fundamentis evertant. Falsum ergo est Ecclesiæ inutiles litteras esse; ei necessariæ quoque evaserunt, ad repellenda eorum molimina, qui in eam ad furorem desæviunt, ac dici potest, experientia teste, per earum usum, incredibili vi ac robore innumeris partis reportatisque triumphis, ad hoc usque tempus, summam ei gloriam accessisse. Et quis hominum est judicio ferendo aptus, dummodo non omnino ab æquitate sit alienus, quin fateri cogatur Ecclesiæ apologistas & defensores omnibus ejus adversariis jugulum petiisse, quorum sophismata, falsa principia, paradoxa absurditatum plena, periculosa aut aperte exsecranda & lethifera placita, venenata omnia dogmata, omnes errores, omnia nullius non generis deliramenta, omnes rationis aberrationes, omnes mentis obliquitates, omnes animi depravationes luculentissime exposuerunt?

LOGICE. Jactati philosophi theologos arguunt, qui logica destituti sint & male ratiocinentur. Nulla unquam ineptior fuit & pejore fundamento nixa exprobratio; certum enim exploratumque est, cum de recta ratiocinatione agitur, hujus temporis philosophis theologos in capitibus quæ eos dividunt, longe multumque præstare.

Est ergo logice ratiocinandi ars & quidem recte ratiocinandi super humanarum cognitionum singulis iisque pluribus argumentis, omni ex parte spectatis, sine præcipitatione, sine præjudiciis, sine ullo partium studio, uno excepto veritatis amore, et huic consentaneum super iis judicium feratur. Jam vide peculiare vitium quod nostrorum insignium philosophorum loricam inficit. Sunt ii, mihi lubet, totidem præclaræ mentes, primi ordinis ingenia, id quoque per me licet, ingenia quæ transcendunt, inveniunt, creant in multiplici rerum genere, quin id etiam æque conveniat, nullus pugno. Quod iis nego & pernego, est mentis æquitas & vitiis exemptio, itemque animi dotes quibus opus est, ut quispiam super theologicis argumentis apposite ratiocinetur. Turbulentarum quibus tantopere subsunt vulgo homines, cupiditatum vacuitas, argumenti in omnibus ejus partibus & quoad omnes ejus rationes & habitudines tranquilla elataque ponderatio, ad tenendum quæstionis statum perversio, & bona fides, ne is invertatur, sedulitas in eo posita, ut in rebus quisque consistat, quæ ei congruunt, quin unquam excurrat; hæc requiruntur, ut recte in theologiæ potissimum & religionis negotiis, quispiam ratiocinetur; atque hæc nimirum ipsa hujus temporis philosophis desunt. Quem ergo mirari subeat eos in hoc rerum genere monstrose aberrare, ac tam parum apte sciteque ratiocinari? Hæc tamen æquitas, & solida animi comparatio de veritate definit; quæ si desit, amplior quæque scientia semper falsa, semper inutilis, perniciosa denique semper est. Hæc ipsa mentis æquitas theologum exhibet, efficitque, ut tuto is gradu ad veritatem incedat, & cum voluptate suorum votorum compos factus eam comprehendatur. Hæc proinde æquitas eum philosopho, seu potius vano sophistæ præfert, & in causa est, ut ipse de omnibus ejus argutiis, de ejus omnibus frivolis & insidiarum plenis paralogismis, de horrendis omnibus ejusdem systematibus gloriose triumphet.

M

MAHOMETISMUS. *Sanguinolenta religio, cujus legem exsecrandus fundator ferro & igni statutam voluit.*

Recentior philosophus qui christianam cum Mahometi seu Muhamedis religione, quoad rationem qua est instituta, comparare non dubitat, quam parum logices æquitatisque mentis horum temporum philosophis suppetat, invicte demonstrat. Quid reapse de scriptoris logica rectaque mente sentiendum, quem factorum quæ universus terrarum orbis recipit prædicatque, & quæ acriores ipsi acerbioresque christiani nominis hostes fatentur, evidentia non impediit, quominus audacter prorsusque temere pronuntiaret christianam religionem, omnino et turcicam, per ferrum ignemque institutam fuisse? Haud renuat abbas Bernerius momento temporis Voltarium audire; qui in sua, super Muhamedis tragœdia, ad Borussiæ Regem epistola *eum* asseris, ut *suæ* legis libro *cujus singula pagina communem sensum fremere cogunt, suam in patriam ferrum flammamque intulisse, jugulasse parentes, rapuisse puellas, victis sua religionis aut mortis optionem dedisse.* Itane, bona fide, a Christo Domino, ab ejus Apostolis horumque discipulis instituta fuit christiana religio? Ut eam institueret fundaretque, super infami ligno in doloris & ignominiæ cumulo, ejus fundator, Christus Dominus expiravit. Ejus Apostoli, per universum terrarum orbem dispersi, magistri exemplum imitati sunt, morientes & ipsi inter ignominiosiora & sæviore supplicia, propterea quod huic homini-Deo ob hominum salutem crucifixo testimonium reddiderent. Apostolorum discipuli omnibus temporibus & in locis omnibus huic ipsi tramiti firmiter institerunt; omnes, sine armis, sine defensione, sine existimatione, sine ullo molimine, voluptuoso corruptoque mundo austeram religionem nuntiarunt, quam nunciantes ipsi servarunt, ac mundum hunc longa habitudine depravatum, ejus persecutionem perpetientes in ejusque furore vita spoliati, ad bonam frugem redegerunt. Ita scilicet ferro & igni, profusisque sanguinis rivulis, quod ferox Mahomedes præstitit, eum subegerunt.

MALUM. *Per Adæ peccatum in mundum intravit malum;* & insulsæ impiorum ineptiæ nugæque non obstruunt, quin Adæ peccatum ejusque funestæ consecutiones semper capitales præcipuæ veritates sint, quas illustrata per fidem ratio non poterit non recipere, & sine quibus mundus, prout cernitur, nunquam non eorum qui sapiunt, oculis inexplicabile prorsusque involutum ænigma erit. Verum huic gravi argumento, quæ congruit, amplitudinem tribuamus; & initio statim duplicis generis mala, physicum & morale scilicet, distinguamus.

Physicum malum, quod ad hominem spectat, affectione continetur, quæ molestia animum afficit, quamque ipse subire metuit, cujusmodi sunt fastidium, tristitia, fames, sitis, morbi, dolores, afflictiones cujusque generis, mors.

Morale malum, seu peccatum, est actus liber quo homo rationis compos legem violat, qua obligatur, quamque servare debet, cujusmodi sunt, naturalis, divina, aut humana lex.

Nos docet fides Adamum, humani generis patrem, in justitia creatum fuisse; cum vero Dei præceptum violasset, quo vetitus fuerat de cujusdam in terrestri paradiso arboris fructu comedere, eumdem amisisse justitiam in qua creatus fuerat, simulque iis prærogativis omnibus excidisse, & in se totumque humanum genus innumera tum physica tum moralia mala traxisse; cujusmodi sunt morbi, mors, concupiscentia, seu funesta propensio quæ nos ad peccatum fert, adeoque peccatum ipsum quod hominum tam multos ad æternam calamitatem perducit. Hoc fidei caput est, quod in summam admirationem trahit, obtundit ac susdeque vertit humanam rationem, sibi quidem uni relictam, & cui sine intermissione reclamans & obsistens additur; eam persæpe audiamus.

1. Ne minima quidem, inquit ea primum, est inter primi hominis lapsum & physicorum malorum congeriem connexio, quæ in natura spectatur, cujusmodi sunt, exempli causa, supra omnem numerum res aut inutiles & imperfectæ, aut noxiæ & perniciosæ, ut tot insectorum & animalium genera, quorum hæc nonnullorum alimento unica inserviunt, eaque se mutuo comedunt destruuntque, quin loquamur de ventis, grandinibus, pluviis, tonitruis, tempestatibus, ac tot rebus aliis quæ generalium legum effectus sunt, per quas hæc mundi machina regitur, quæque locum habuissent, etiamsi Adam semper supremo qui eidem præest, Moderatori fidelis permansisset. Dicetne quispiam, sine Adæ peccato, futurum non fuisse, ut a grandioribus piscibus parvi comederentur, ventique, grandines, tempestates, &c. in terris essent?

Haud sane contendimus omnia physica mala quæ in hac rerum universitate cernuntur, ex Adæ peccato, citra ullam exceptionem, privari; fatemur e contra inter ea non deesse, quibus sua causa sint in generalibus naturæ legibus; quæ quidem leges ab hujus insignis rei peccato non pendent, quæque extitissent, licet is suo creatori dicto audiens subjectusque, quoad in vivis fuit, permansisset. Id unum dicimus, morbos, mortem, quæ physica oppido mala sunt, aliasque complures ejusmodi calamitates & a protoparentis originali peccato, & ab actualibus miserorum ejusdem filiorum peccatis originem ducere, & hos ipsos per iterata crimina, famem, pestem, sterilitatem, indigentiam, aut pluviarum excessum, & alia numero plurima id genus flagella ad se trahere.

2. Unum licet & unicum physicum malum primi hominis lapsui tribui posset, cujusmodi est morbus

aut mors, satis id esset ad obtinendum, ut is tamquam fabula spectaretur; cum id eventi conciliari non possit cum sapientis æque ac beneficæ providentiæ notione, quæ vel minimam perpessionis speciem ab homine, ejus curæ concredito arcere debuit, quippe qui non alio consilio creatus fuit, quam ut completa felicitate sine ulla prorsus vicissitudine frueretur.

Animadversionis parum super physici mali natura, superque emolumentis quæ ex eodem prodire possunt, ad propositam difficultatem diluendam sufficere potest. Ergo physicum malum non ejusmodi suapte natura est, ut illud sinere, &, quod majus est, immittere, & creatis rebus toleratum velle, ob rationum altiora momenta e communi hujus universitatis bono, earumdemque creatarum rerum quæ patiuntur, majori bono ducta, sapienti suavique providentia indignum sit. Haud proinde beneficam providentiam dedecet creatas res ratione destitutas pati velle, ut humano generi inserviant, & gravioribus quoque ac varietate pluribus perpessionibus substantias ratione præditas exercere, ut ita probentur, mereantur, & per constantem patientiæ cæterarumque quæ magis heroas decent, virtutum exercitationem ad coronas quæ iis designatæ sunt, comparentur. Frustra ergo philosophus in eo sibi placet, ut illud omnis generis malorum veluti diluvium vividiorem vehementioremque in modum nobis exhibeat, quod absque intermissione totum terrarum orbem inundare videtur, quodque suis rivulis homines bonos æque, adeoque plusquam malos obruit atque obtegit. Operam perdit, dum hoc universum tamquam proscriptionis & luctus, lacrymarum, singultuum, gemituum, rabiei, desperationis, e bello, fame, peste, sterilitate, tempestatum intemperie, vastationibus, depopulationibus, omnis denique generis malis quæ nullo non tempore ingruere conspiciuntur, prodeuntium vastum ac triste domicilium nobis ob oculos ponit. Vivida pictura hæc vi destituitur, nec auctoris spei votisque respondere potest.

Præsentia vitæ bona & mala physica non sunt ejusmodi ipsa per se, cujusmodi ea sibi repræsentare placet imaginationi nostræ. Utraque, quæcumque demum sit eorum vis, suapte natura limitata semperque momentanea sunt; citius transeunt, ultraque sepulcrum quod quoque momento temporis titubantibus gressibus nostris occurrit, efferri nequeunt. Id inter ea commune est, quod in eorum manibus, qui ea experiuntur, meritorum aut demeritorum, &, quod inde fit consequens, in altera vita mercedum aut punitionum fontes evadere possunt, pro bono malove usu in quem ab iisdem in hac conferuntur, quæ nonnisi minima est in hac rerum universitate generalis ordinis & harmoniæ pars. In futuram ergo vitam necessario conjiciendi sunt oculi, ut de providentia judicetur, quæ physice tum bona tum mala distribuit. Qui nempe supremi numinis præsentem œconomiam a futura non separat, facile percipit providentiæ consilia, quæ utramque complectitur, quæque unam per aliam æquitati consonam prodit. Hæc ergo prudens, quod ipsum consequitur, associatio iis omnibus qui ei perdiscendæ animum addicere volunt, cumulatam providentiæ purgationem in physicorum bonorum malorumque distributione suppeditat. Non ergo minus bona quam sapiens hæc providentia est, quo ipso tempore mala mihi tribuit, quæ me affligunt; ejusque agendi ratio futuræ reapse vitæ veritatem & existentiam mihimetipsi evidenter probet.

3. Ut physica mala cum divina providentia conciliari possent, qui porro concilietur ipsa cum morali malo & protoparentis peccato quod ejus omnem posteritatem vitiavit? Potest ergo Deus infinite sapiens & infinite potens, infinite justus & infinite bonus, infinite purus & infinite sanctus efficere aut non impedire morale malum?

Non potest sane Deus directe vel indirecte morale malum facere: repugnat id ejus essentiæ; at potest illud non impedire, absque ullius e suis attributis damno, quorum congeries prorsus integra remanet, criminibus quæ tolerat, nihil obstantibus. Is hoc loco fallitur, qui divinorum attributorum falsam sibi notionem effingit, qui ea invicem segreget, qui denique unam & unicam hominis utilitatem, & hanc male intellectam spectat; quin ad incommunicabilia divinitatis jura vel obiter animum applicet.

Is porro falsam Dei attributorum notionem sibi confingit, qui Deum imaginatur bonum, misericordem, clementem, indulgentem esse, absque alia quam ad bene nemini non faciendum cæcæ cujusdam propensionis regula. Verum non ita res habet; ejus enim bonitati, misericordiæ, clementiæ, indulgentiæ, miserationi, amori erga homines principii causæque loco est ejusdem amor ordinis æquitatisque, qui cæteros omnes ipsius amores antevertit, & moderatur.

Non est ergo solum bonus & beneficus Deus; est etiam justus, rectus, inflexibilis omninoque firmus amator ordinis, perfecte liber, suarumque exteriorum operationum, creaturumque rerum quæ earum terminus sunt, absolutus dominus. Hæc mutuo copulanda, cum id suscipitur, ut de divina providentia quoad morale malum quod sinit, pronuntietur; quod tamen ipsum ne summo quidem agitatur. Qui scilicet uno & fallaci amoris proprii lumine ducitur, nec mentem refert vel ad Dei naturam, qui, utpote purus purusque spiritus, res longe alius ac nos, rationa videt, nec iis afficitur, vel ad ejus attributorum congeriem copulationemque; quorum unum alteri contrarium esse non potest, vel ad ejus juriuum amplitudinem, & supremum quo pollet, absolutumque dominium, eo se redigit, ut ejus bonitatem in sua sibi imaginatione magnificentius quam verius exhibeat, asseratque eum nimis bonum esse, quam ut non solum ipse morale malum efficiat, sed etiam illud ab aliis effici sinat, permittat, patiatur. Vitiosa imagines, mancæ imperfectæque tabulæ, falsa principia, falsæ consecutiones.

Bonus est Deus; at non minus justus est, non minus sanctus, non minus amicus ordinis æquitatisque. Debet igitur ejus bonitas ab ipsius in ordinis amorem effusionibus regulam sumere, eumque ordinis amor impedire non potest, quominus ad tempus depravationes ferat, in quas creatæ substantiæ intellectione ac libertate præditæ prolabuntur. Eas impedire absolute posset; non is est, ut sinere debeat; & ut suam puritatem, suam sanctitatem, suam æquitatem, suum ordinis, moralis boni, virtutis infinitum amorem in tuto ponat, satis est, ut vitium oderit, prohibeat, damnet, puniat, adjumenta denique tribuat, quibus illud cognoscatur evitetturque. Cum ergo nihil horum liberum hominem cohibet, ne in illud incidat, de se ipso tantum conqueri potest, nec necesse habet Deus suam absolutam potestatem impendere, ut ejus libertatem devinciat, aut hanc eidem penitus adimat, atque adeo mera inter automata ipsum rejiciat. Cum libertas in se ipsa perfectio bonumque sit, eam homini tribuere, sartamque & incolumem servare potuit, quamvis ea ipsa ad suam aliorumque perniciem abusurum providerit. Hic abusus qui accidentarius tantum est, creatorem coercere non debuit, & impedire, ne homini libertatem tribueret, quæ suapte natura est bona utilisque, & longe plurium bonorum fons, quæ ad universi concentum ejusque auctoris gloriam conferunt. Id congruit, ut in creatarum rerum numero non desint quæ liberæ sint; iisque Deus existentiam propterea negare non debuit, quod sua ipsas libertate abusuras prævidit; hæc enim prævisio non ita gravis ratio est, ut eum cogat juri cedere quo gaudet, libera ut entia creet, quæ quidem pravum quo se obstringunt, sua libertatis abusum sibi tantum merito adscribere debent; possunt sane hac bene uti, si volunt; haud iis Deus, ne id præstent, necessaria adjumenta negat, nisi tie, sua ipsorum culpa, se indigna reddant; eos non punit nisi pro meritis: puniensque, ejus proinde justitia effulgebit, quin bonitas inobscuretur. Atque ita quidem moralis mali permissio cum omnibus conjunctim sumptis copulatisque Dei attributis & juribus conciliatur.

4. Hominem libertate præditum creans, eaque ad suam ipsius, suæque omnis posteritatis perniciem abusurum prævidens Deus, non modo permisit, sed etiam edidit, in mundum inducens, morale malum, peculiari ejus mundi delectu, quem sciebat hoc malo, paulo post creationem, infectum fore. Neque enim tandem dubitari potest, quin infinitæ creatoris sapientiæ thesaurus infinitas ejus potentiæ possibiles, seu non repugnantes creationis formas obtulerit, quas inter dubio procul aliqua esset, in qua homo sua libertate utens non solum majorem suæ posteritatis partem, per voluntariam inobedientiam, æternum miseram non reddidisset, sed omnipotentis mandatis se subdens, eam potius de æterna felicitate tutam fecisset. Prorsus oppositam mundi formam selegit, in qua primi hominis libera voluntas omnem ejus posteritatem inficit, hujusque majorem partem ad æternam calamitatem perducit. Ejusmodi ergo formam seligens Deus, peccatum ipse in mundum induxit, quandoquidem delectus formæ mundi peccatoris pravissi genuinus verique nominis delectus est; Deus ergo peccati inductor seu auctor est; ejus quippe delectus non alia potest ratio esse, quam germana ipsa, vera, seu positiva peccati voluntas; e quo id evidenter sequitur, primi, per originale peccatum, hominis lapsum cum divinitatis attributis conciliari omnino non posse.

Soli-

Soliditatis ulhil lu hec fustore ratiocinatione est, quæ tamen ipsa se omnium speciosissimam & prima quidem fronte gravissimam prodit, quibus primi hominie peccetum, hujusque cum Dei atiributis conciliatio impugnari possint. Haud sane uos ex optimistarum, ut vocant, numero sumus, ultroque fatemur initio statim potuisse Deum creare mundum lu quo sua libertate utens bomo semetipsum suosque omnes posteros felices reddidisset, quique proinde mundus quoed hoc quidem caput, bonæque hominum conditionis ratione hebita, non in se temen, boc quem creatum ceroimus, melior fuisset; ast enim etiam aequa etiam enimadvertendum, & quie deficit animedversio hæc, omnes soper difficultem quæ præ menibus est, errores existunt; est, inquam, eiiem atque etiam enimedvertendum propterea nos de Dei ettributis retiocinentes felli, quie non ee, cujusmodi sunt in se ipsis, iospicimus, sed solum cujusmodi quoad nos sunt. Ejus bonitatem, ut exemplum efferem, non nisi quoad nos animo reputamus, Deum non aliter bonum vocemus, quam prout bonem melemve rem dicimus, quæ nobie placet eut displicet, quia nobie grata seu jucunde, aut injucunde seu molasta est. Est hic nostrorum super divinitatis bonitate ettributisque cæteris errorum fons.

Fatamur & illud reapse Deum certoque consilio selegisse & creasse mundum priori oppositum, fore licet provideret, ut eum uue cum miseris omnibus ejusdem incolie peccatum Inficeret; asserimus tamen propugnemusque per hunc delectum, quantumvis genuinus absolutusque sit, peccati in mundum inductionem re ipse non trahi, & inter se distare plurimum hæc duo, seligere mundi formam e qua peccatum per eccidens, ut loquuntur, seu fortuito futurum est, & reapse peccatum inducere. Genuinus ast absolutusque formæ delectus; at non ejusmodi bec ipsa de ceusa est peccati inductio; nec posset bæc ejusmodi esse, nisi prout formæ alector eamdem inductionem vellet, sibi proponeret, haberet ob oculos & epproberat. Jam vero præsentis muodi formem seligens Deue non id sane propositum bebuit, ut peccatum in eum induceret; inductionem benc nec voluit, uec approbavit; nihil egit alind, nisi aem permisit, quem impedire non tanebatur; & bæc ipse permissio non est peccati in mundo productrix aut in anmdem inductrix causa; bene vero una & unica perversa & libera primi hominis, cæterorum omnium capitis & repræsentantis voluntas.

At quorsom hæc fatalis permissio, & quænam esse potuit edeo funesti delectus ratio, quoad mundi formam, in quo uno eodemque tampore miser homo reusque futurus erat? Quemvis non nisi Deus perfecte norit delectus ceusas, qui nobie horrorem incutit, propterea quod eum taotommodo ad nostram ipsorum utilitatem nostramque imbecillem imaginationem referimus exigimusque, hoc loco dicare non timebimus satie nobis eas innotescere, ne quid sollicitudinis seu in delectus seu in rationum momentis quæ ad eum statuandum contulerunt, expendendis supersit. Præsentis ergo mundi formam selegit Deus, quie eam voluit; eamque voluit, quia, omnibus spectetis rebus, quia suo ipsius supremo absolutoque dominio, suæ operationie libertati, suorom consiliorum eltitudini, suæque sapientiæ quæ scit e malo bonum trabere, arcanis facultatibus, ut verbo expediem, suis copulatim perfectionibus quæ in selecte mundi forma æque omnes effulgent, megis congruam magisque eppositem judicavit. Cum nemini faciat injuriam, cum eos tantum puniat, qui sua id culpa promeruerunt, cum necessaria omnibus adjumenta tribuet, quorum adminiculo ejus punitiones evitent, seque ipsius remunerationibue dignos reddent; an vero non ei liberum integrumque est eam quæ ipsi placat, creationis formam deligere, ec debebitne homines vel omnino non creare, vel eos creere qui peccare non possint, vel saltem quin teles creet, ita omnie comparare, ut reapse non peccent, iis concedene extra ordinem, quæ minime debet, subsidia? Ejusmodi obligatio. Entis in omni perfectionum genere infiniti notione haud oppido continetur.

Nec refert Deom, primum creando hominem, hujus lapsum cum ejus horrendis omnibus quoed omnes ipsius posteros consecutionibus prævidisse ec permisisse; neque vero prævisio hæc, aot hæc ipsa permissio obsteculo esse debuerunt, ne sui ipse consilii formam exequeretur, quippe quam exequi potuit, quin culpiem injuriam faceret, quamque executus haud proende vel sui dominii, vel suorom jurium jacturam subiit. Megnæ notæ Princeps, talem pono, cujuscumque tamdem generis rem, tum suapte natura, tum quoad ejus gravia & recte consilia, & quoad ipsius regiminis communes legee bonem utilemque sues in ditiones inducere vult. Prævidet temen fore, ut hac ipsa re mejor subditorum numerue, per ipsorum unem & unicam culpam pravitatemque, abutatur. Horum ergo nequam subditorum mele animi comperatio eumne impedire debebit, quominus rem suapte natura excellentem, prudentique formæ quam ipse sibi ad sui regni administretionem proposuit, consentaneam suas in ditiones inducat? Si ita res hebet, dicendum erit, sedulo eevere debere Principes, suis ne subditis abundantiem atque adeo felicitatem comperent, easque comparentes grevis criminis reos fore, quandoquidem omnium temporum omniumque locorum experientia compertum certumque moreli retione sit commodis, abundentia, prosperitate majorem bominum partem abuti.

Dicetne quisplem non esse paritati locum inter Principem qui excellentem rem sues in ditiones inducit, licet ae subditorum plerosque ebusuros noverit, & Deum qui primi hominis peccatum prævidet permittitque, cujus lapsue miseram omnem posteritatem vitiat & secum trahit, quæ ejus criminis minime per verum proprieque dictum consensum particeps fuit?

Assentior equidem & ingenue fateor paritatem non uno pede, quod dicitur, cleudicare; nec inficior plura esse & quidem grevie Principem inter, quo de agitur, Deumque discrimine. 1. Princeps, cum ei præ menibus non sit subditorum voluntes, eos, siquidem velit, ne ipsius donis abutantur, reapse impedire non potest; Deus vero in cujus omnipotenti menu totius humani generis voluntas est, potest, si vult, quin hominis libertatem lædat, impedire, ne ea abutatur, eumque, quod majus est, ad bonum ejusdem usum reaple, seu efficaciter determinare. 2. Abusue donorum Principis, quoed eem pertem quæ posset in eum cedere, quod eumdem præviderit, in civili politicoque ordine, ad aliqua temporalia mala redigitur; Dei entem donorum abusus ad ipsom morale malum, atque adeo ad æternam calamitatem perniciemque protenditur. 3. Hæc extrema celamitas, quoad abusum donorum Dei, non modo primum bominem, sed etiam omnes ejus posteros efficit involvitque, quibus alia non est ad id mali pers, nisi quod eum patrem habuerint; quodque peculieri animadversione dignum est, & implicationem auget, involvit infantas omnes morte præreptos, quin iis necesserium ed originelis quo fœdati sunt, peccati detergendem maculam edhiberetur. Fateor hæc omnie profiteorque; nihilotemen minus essero fidenterque pronuntio, peritetem in præcipuo & decretorio propositæ difficultetis capite eccuretem & peremptoriam esse.

Et sane que de re agitur, & quo tendem difficultatis ipsa vis omnis poodusque redigitur? Id nimirum agitur, ut constet, potuerit, necne, Deus præsentis mundi formam sibi proponera, seligera ac demum exequi primi hominis originale peccetum prævidens, quo ejus omnis postaritas fœdanda erat. Utique, potuit, quie ejus formæ delectus, & executio, nec delectus, nec executio, nec epprobetio peccati est. Potuit, quia pecceti causa, non selecta & executioni mandeta mundi forma, sed hominis libere & perverse voluntas est. Potuit, quia, dum præsentem mundum selegit creavitque, ejue voluntas non fuit ad peccetum ducta, quod accidentario fortuitoque & contra ipsius mentem contigit. Potuit etiam facera eliquid amplius, quod ejus purgationem videtur minus facilem reddera; comparere, præbera peccati instrumentum, quod sane est amplius in ejue gratiam facere, quam simpliciter sibi proponera & exequi mundi formam, in quo per liberi agentis operationem supervenire peccatum debet. Jam vero Deus non solum mundi formam proposuit executusque est, in qua peccetom per liberi agentis operationem futurum eret, verum etiem huic agenti comparavit præbuitque peccati instrumentum, libertatem scilicet, quæ vere instrumentom est, sine quo numquam bomini peccandi facultas fuisset. Deus, inquem, hoc pecceti instrumentum bomini tribuit; tribuit & tribuere potuit, quia non eo consilio tribuit, ut eo homo ad mele agendum ebuteretur, sed ut potius per ejus usum bene ageret, cum instrumentum ipsum per se, ac suapte natura ad utrumvis promiscue se habeat, & æque alterutri addici possit, pro operarii erbitratu, seu prout ipse maluerit. Potuit, quia libertatem bomini conferens, eum perfectione locupletavit, quæ ad intelligentis substentiæ naturam & affectionem pertinet, quaque pollere quam carera quoad num præstat. Potuit, quie hominem libertate donens, quin omnia eidem subsidia suppeditaret, quibus eb ejus ebusu in quem sua ipse culpa misere incidit, cavere potuisset, in eum injustus omnino non fuit, cum hæc exundantia subsidia nequaquam ei deberentur.

tur. Potuit, quia homini hæc exundantia quæ non debebat, ſubſidia denegans, neceſſaria omnia ſubſidia conceſſit, quorum ope, ſua libertate, ſi volebat, bene uti poterat. Potuit ergo, quod hactenus dicta conſequitur, quia Deus est, omnino non pendet, ſuarum operationum cumulatiſſima libertate gaudet, ſuorumque ſupererogationis donorum quæ hominis conditio non exigit, abſolutus dominus eſt; quod efficit, ut homini nullum ſit de eo querendi jus, e quo ne minime debita gratuita dona non acceperit, cum alioquin ea omnia receperit, quæ ejus natura requirere poterat. Non ergo primo homini id juris eſt, ut injuſtitiæ quoad ſe Deum arguat, ejuſque filii haud meliore fundamento nituntur, ut id ei ob originis peccatum exprobrent, quod peccati ab eorum protoparente patrati funeſta conſecutio eſt, quodque omnes & ſinguli, dum in hanc lucem prodeunt, ſecum afferunt.

Originale peccatum, quod in perſona patris humani generis proprium & peculiare peccatum fuit, macula, labes, degradatio, calamitas, malum hæreditarium in ejus filiorum perſona eſt; ei omnino ſimile cui ſubſunt nobilis patris filii qui ob aliquod inſigne crimen ab eorum patre perpetratum gradu ſpoliantur. Hi degradati pueri de ſua quidem ærumna conqueri poſſunt, minime vero de juſtitia Principis qui, ob eorum patris flagitium, eos nobilitate privet, quam ipſorum naturæ non debet, quamque tamen iiſdem donaſſet aut ſartam tectam ſervaſſet, niſi eo pater tum quoad ſe tum quoad ſuam poſteritatem indigne evaſiſſet. Perinde res habuit in protoparentis noſtri peccato. Creaverat eum Deus in ſanctitatis & felicitatis originalis ſtatu, cujus incolumitatem tum quoad eum tum quoad ejus omnem poſteritatem addixit executioni præcepti quod facillime ſervari poterat, quodque ei impoſuerat, ut ſimul & ſupremum ſuum in hominem dominium, & hujus naturæ inhærentem ab eo dependentiam exerceret. Violavit homo libere tam facilis executionis præceptum, eumque Deus ſtatim punivit, ademptis tum eidem tum ejus poſteritati cujus caput erat, privilegiis quæ cum non deberet, ei tamen elargiri voluerat. Injuſtumne eſt, æquis legitimiſque de cauſis, adimi privilegia mere gratuita quæ conceſſa erant & quæ nullo titulo debebantur?

Adæ filiorum fatum triſte eſt deplorandumque, præter quam verbis exprimi poteſt, ita ſane; at injuſtumne, æquitatiſque quoad Deum legibus contrarium eſt? Ut eſſet ejuſmodi, neceſſe foret, ut Deus Adæ filios, omnino ob eorum primi parentis peccatum, mala præter modum haberet: quod non egit ſeu quoad adultos, ſeu quoad pueros ſine remedii applicatione mortuos, quod ad originalis culpæ ſanandum vulnus eſt inſtitutum.

Ad adultos quod attinet, dat iis Deus aut offert adjumenta quibus ſuæ ipſorum nativitatis ærumnam reparent, ut eorum proinde ſemper culpa fiat, ſi minus id aſſequuntur, eoſque ipſe nunquam puniat niſi pro meritis; quia nempe naturalem legem violarunt, beneficiiſque indignos ſe reddiderunt, quæ in eos, quæ ejus bonitas eſt, contuliſſet, ſi ſe fideles ejuſdem legis executores & cuſtodes, ut poterant & debebant, exhibuiſſent. At quænam ea demum interna & externa, tum ſecundum tum ſupra naturam adjumenta ſunt, quæ ad naturalem legem ſervandam Deus ethnicis ipſis offert aut præbet? Hæc ſcilicet ſervata lex, per divinæ miſerationis vim, cumque divinæ gratiæ ſubſidio, eos ad lumen uſque ad ſalutem ſufficiens gratiam duceret. Id porro cognoſcere noſtra parum intereſt, atque hæc ipſa cognitio ſatis amplam ſatiſque perſpicacem mentem requireret, ut humani cordis altiorem abyſſum pervaderet, e ſerie apprime intimarum variarumque operationum Entis infinite actuoſi, aptique nati infinitum in modum variare actionum motuſque quos in cujuſque animo ad ſalutem excitet. Nobis ergo ſatis eſſe debet ſcire nullum adultum eſſe, quin, cum peculiarium gratiarum quæ intimo ſupra naturam ſunt, ſubſidio quod ei Deus ad id impertitur, naturalem legem noſſe ac ſervare poſſit; futurumque, ut, ſiquidem eam cum hoc ſubſidio ſervarat, eadem ſua culpa violaret, ei Deus, quæ ejus infinita miſericordia eſt, quæque ipſius divinæ providentiæ rationes ineunatæ ſunt, nihil non ad obtinendam ſalutem neceſſarium concederet.

Quod autem pueros omnibus retro actis temporibus ac penes omnes populos, haud recepto ſalutis adjumento quod originale peccatum delet, morte præreptos ſpectat, occurrunt apud theologos ſuper eorum forte ſententiæ duæ. E prima quæ Sancti Thomæ eſt, ſine adjumento de quo agitur, mortui pueri non ſenſus, ſed ſolum *damni* pœnam patiuntur, *privationem* ſcilicet *intuitivæ viſionis Dei*, qui ſupra naturam & gratuitus affectus eſt, ad quem ſubſtantiæ intellectu præditæ nullum ſuapte natura jus obtinent. Ex altera vero ſententia quæ ſancti Auguſtini eſt, hi pueri ipſi ſenſus pœnam perferunt, ſed adeo levem, hujus ſancti Doctoris judicio, ut definire ipſe non audeat, eorum exiſtentia ſitne iis malum, an potius veri quoque nominis bonum: *ego non dico parvulos ſine Chriſti baptiſmate morientes tanta pœna eſſe plectendos, ut eis non naſci potius expediret*. Auguſtin. contra Julian. lib. V. cap. 2.

Inter has duas ſententias libera eſt cuique optio, Eccleſia id chriſtifidelibus integrum relinquente, et cuicumque ſubſcribatur, pro certo habendum non niſi ſecundum immutabiles accuratioris juſtitiæ leges Deum ſeu cum parvulis ſeu cum adultis agere, neutroſque de eo conqueri aut tamquam injuſtum arguere merito poſſe. Quamobrem ejus æquitas, ſapientia, bonitas, ſanctitas, potentia, providentia, attributa denique ad unum omnia cumulatiſſime remanent ab impiorum exprobrationibus in tuto poſita; & ſi quæ ſunt, quæ ſuper hoc argumento ſupereſſe poſſint, difficultates dubio procul originem trahunt a mentis cordiſque vitiis, cujuſmodi ſunt arrogantia, præſumptio, curioſitas, proprius & cæcus amor, præpoſterarum cupiditatum effrenis impetus, humanæ rationis tenebræ, imbecillitas arctique limites. Corrigant homines omnia & ſingula vitia hæc; nullaque iis amplius ſuper religionis veritatibus, ſuperque providentiæ quoad ipſos agendi ratione conſiliiſque reliqua erit dubitatio.

MARTYRES. E profanorum hominum grege increduli nihil non agunt, ut ſuos Eccleſiæ Martyres adimant; ſeu ergo eorum mentis & heroicæ virtutis falſas notiones exhibent, ſeu impetunt & in dubium vertunt eorumdem acta, ſeu numerum ita imminuunt, ut prope ad nihilum redigant, ſeu demum ipſos cum omnium ſectarum omniumque religionum jactatis martyribus comparent; quæ ſingula dum ſomniant, in craſſos totidem errores incidunt.

Eſt ergo martyrium, ad catholicæ fidei, vel alicujus ſeu theorici ſeu practici ad eamdem fidem ſpectantis articuli defenſionem, patienter in ſuppliciis tolerata, vel ſuppliciorum vim ſubſecuta mors. Id ſcilicet vere ac proprie dictum martyrem deſignat conſtituitque: cauſa tum ob quam tolerat, hoc eſt, evidenter perſpecta fides, tum qua permotus adactuſque tolerat, hoc eſt, veritatum, ſeu generatim ſeu peculiariter, quas fides docet, tam vividus, fervens, alacer, conſtans firmuſque amor, quo is ad tormenta mortemque magnanime fortitudine tolerandam fertur, ut iis ſanctis veritatibus quas ei fides credendas proponit, quaſque ipſe firmiſſime credit, teſtimonium exhibeat. Martyres igitur non ſunt homines ſtolide ac ſtupide pervicaces ridiculique, qui ob ſuorum ſacerdotum opiniones & placita ſe torquendos, laniandos, flammiſque abſumendos dant; ſtrenui totidem heroes ſunt, æque firmi atque illuſtrati, qui alacriter ſanguinem fundunt, ut univerſo humano generi veritates teſtentur, quæ indubitatæ, tantique quoad omnes homines momenti ſunt, ut ab iis, prout creduntur aut non creduntur, per omnem, quam late patet, æternitatem cujuſque bonum malumve pendeat.

Haud ægre nos quidem adducamur, ut ingenue fateamur e ſanctorum Martyrum aut non Martyrum actis, hiſtoriis legendiſque, apocrypha nullaque prorſus fide digna non pauca eſſe; at eodem tempore addemus & illud, ex iis ſatis multa, acutioribus ipſis acrioris critices oculis explorata & indubia ſupereſſe, ut per omnia retro acta ſæcula, in omnibus terrarum regionibus, ex utroque ſexu, omniſque conditionis ſanctorum virorum, & in primis ſanctorum Martyrum prodigioſum numerum conteſtentur, quos mundus inter acerbiores cruciatus non ſine admiratione ſtrenue fortiterque morientes vidit, ut non ambigui teſtes eſſent de religionis divinitate, ob quam hilariter mortem ſubibant, ipſa gratiæ omnino divinæ vi, quam eadem religio eorum mentibus inſpirabat. Ponendum tamen eſt inter nos diſcrimen, fatendumque Apoſtolorum diſcipulorumque qui Chriſtum Dominum, cum reſurrexiſſet, intuiti fuerant, teſtimonium eo fortius graviuſque eſſe, quod reliqui martyres exhibuerent cujus rei perſpicua eſt & in promptu ratio. Nimirum Apoſtoli diſcipulique qui Chriſtum & ante & poſt mortem ac reſurrectionem conſpexerant, vitam dabant, ut facta quorum oculati teſtes fuerant, teſtarentur; et eorum ſucceſſores, ſubſecutis elapſiſque ad nos uſque ſæculis, mortem occumbebant, ut ſibi perſuaſum eſſe ſignificarent, religionem cujus gratia moriebantur, divinitate pollere. Jam vero non ſentit fieri omnino non poſſe, ut homines rationis compotes, alacri lætoque animo, ſuppliciis & morti ſeſe devoveant, teſtandi cauſa ſe id

vidiſ-

vidisse quod reapse non viderunt, fideique & existimationis conquirendæ fabulis quas probe norunt, & a quarum perpessiones nihil aliud emolumenti percipere possunt, quam ut patiantur & in doloris ignominiæque, prope dixerim, cumulo, vitæ jacturam faciant. Non ita prorsus res habet, quoad Martyres qui sanguinem fuderunt, ut sanctæ Religionis divinitatem testarentur, cujus divinum auctorem fundatoremque, inter homines versantem, cruci affixum, & cum gloria per Resurrectionem a tumulo egressum suismet oculis non conspexerant. Fieri quidem poterat, siquidem absoluta loquimur, ut absque satis gravibus argumentis, persuasum haberent religionem ob quam iis fuit moriendi vis, divinam esse, atque ita suæ ipsi fortitudinis suæque credulitatis ludibrium & jocus evaderent; at, seu sumantur martyrum primi quibus feliciter contigit, ut Christum Dominum mortuum & ad vitam regressum cernerent, seu qui deinceps hoc privilegio frui non potuerunt; nulla est inter eos instituenda, jactatosque aliarum religionum Martyres quos tantopere philosophis prædicat, comparatio; nobis enim ea primum dicat, quinam ethnicæ religionis Martyres sint. Occurruntne ex idololatris qui in tormentis mortem pertulerint, propterea quod Jovis, Saturni, Cybeles, &c. divinitatem assererent? Ponamus, momento temporis, id genus hominum aliquos in medium afferri posse; qui demum, bona fide, exiguus ethnicorum numerus, quorum depravati ac perditi mores erant, quique eo dementiæ devenerunt, ut ad suorum deorum honorem, qui æque magisve quam ipsi in omne vitiorum genus abrepti fuerant, cum Christifidelium iis decies centenis millibus conferri poterit, qui, omnibus sæculis, ex omnibus regionibus ditionibusque, morum integritate, constantique omnium virtutum exercitatione summopere commendandi, per gratiæ perspicua cælestis, supraque naturam heroicæ magnanimitatis vim, longe præter multitudinis robur, ex omni ætate, ex utroque sexu, a quavis conditione, sævioribus perpessionibus se devovent, vitam prodigunt, sanguinem fundunt, se in sacrificium dant immolantque, ut fabulas in tuto ponant certasque reddant, quas tamen arcana vi suis ethnicis persecutoribus ipsis inspirant, qui sanctas eas magnanimasque victimas intuentes, turmatim resipiscunt, earum fidem adoptant, mortemque & ipsi vicissim subeunt, ut testimonium eidem reddant? Christianorum ergo cum ethnicis comparatio sustineri non potest; sectarum porro Christianarum quidem, sed haereticarum aut schismaticarum cum catholica Ecclesia, quoad earum martyres, collatio multum melius firmiusque stabit?

Ponamus & illud, parumper, hæresin & schisma nobis aliquos viros suppeditare, qui peculiariter tamquam hæretici aut schismatici, non ut facinorosi, seditiosi, perduelles, ob flagitia jure meritoque puniti, mortem obierint. Quam longum etiam latumque discrimen intererit inter paucissimos homines fanaticos, indociles, arrogantes, pervicaces obduratosque, & innumera martyrum agmina, quos catholica Ecclesia suo se sinu gestasse & fovisse gloriatur, tamquam fulgentia sydera, quæ eximiarum virtutum splendore eam illustrare numquam desistent? Evidens & cujusque oculis obvium discrimen est; nemo unus est qui non id digito tangat, immenso posito spatio inter hanc prodigiosam virtute præstantium martyrum multitudinem, & fanaticorum hominum exiguam manum, qui æque superbi, indociles & cæci fuere. Non omnibus igitur religionibus sui vere & proprie dicti martyres sunt; id privilegii ad catholicam tantum, præ quavis alia religionem pertinet.

MATERIALISMUS. Inutile foret, quæ de materialismo, verb. *Anima*, *Animus*, diximus, hoc loco repeti; verum discutiatur, necesse est, quod ex incredulorum cœno quidam, deficientis in modum, super arrogato Ecclesiæ Patrum materialismo proponit. Pronuntiaretur, siquidem ei fides, ex his sanctis Doctoribus eos saltem qui per priora septem aut octo Ecclesiæ sæcula in vivis fuere, satis apertos expressosque materialistas, nostrisque recentioribus philosophis compluribus omnino similes extitisse. Videamus, quemadmodum hæc se res habeat.

Omnium Ecclesiæ doctorum primus fortasse S. Justinus, Christianæ religionis apologista, Martyr idemque philosophus, qui altero sæculo vivebat; ad asserendam animæ materialitatem afferri posset. In ejus ergo dialogo cum Triphone judæo, senex qui loquens inducitur, animam ait suapte natura immortalem non esse. In dubio est, utrum ejus sententiam Justinus adoptet; & ut adoptaret, id unum sibi vellet animam ipsam per se haud immortalitate gaudere, sed hanc a Deo tenere, qui eamdem, si velit, ad nihilum redigere potest; quod est veritati consonum, nullaque ratione cum animæ spiritualitate, seu spirituali natura pugnat.

Tertullianus qui sub annum 245. e vivis excessit, in suo contra Praxeam tractatu, ait, non inficior, Deum corpus esse: *quis enim negabit* (ejus verba sunt) *Deum corpus esse?* At liquido constat ab eo vocabulum *corporis* significatione quadam accipi, quæ puram putamque spiritualitatem non destruit. Quid ergo significat pater hic, dum ita suam mentem aperit? Id oppido intelligit Deum non merum rationis ens, seu chimæram, sed apprime verum, genuinam solidamque, vacuo scilicet & nihilo oppositam substantiam esse: *Spiritus enim*, subdit, *corpus sui generis*, vera nempe substantia, germanumque ens, oculis licet impervium sensibusque inaccessum est. Idem pater, in suo contra Hermogenem libro, substantiam ita definit, in universum, ut cujusque rei corpus sit: *cum ipsa substantia*, inquit, *corpus sit rei cujusque*; quod argumento est ab eo corporis vocem sumi tamquam omnium substantiarum commune nomen, prout aliquid solidi, veri, & subsistentis significat. Hic pater ipse, in sui secundi contra Marcionem libri capite sexto decimo, disertis verbis asserit, non crasse, quod dicitur, minerva, & ut verba sonant, seu ad litteram, sumendum esse, quod in sacris litteris de Dei manibus, oculis, pedibus legimus. Non ergo putat Deum, stricta loquendi ratione, corporisque ad materiam redacto nomine, corporeum esse. Haud nos quidem credimus ullum cujuspiam Ecclesiæ patris gravius, speciosius, apertiusque, quam Tertulliani testimonium contra Dei vel animæ spiritualitatem afferri posse; ac siquidem posset, eadem facilitate explicaretur, aut deleretur, siquidem explicationem non pateretur, quin inde veritas detrimenti quicquam subiret. Non ea sane ab aliquorum Ecclesiæ Patrum, quorum exiguus numerus, opinionibus pendet, qui nempe nonnunquam peculiares sententias animo imbibere, & licet in se ipsi erroneas, bona fide, asserere possunt; sed ea morali horum patrum ipsorum consensioni, tamquam inconcussæ firmissimæque basi acquiescit. Id hac in re certum est, si, qui ex his sanctis Doctoribus super peculiari dogmate, quodcumque fuerit, forsan errarunt, nunc temporis in terras redirent, haud fore, quod Sorbonæ censuram timerent, quam arrogatus quidam philosophus iis minitatur, utpote qui satis humiles satisque veritatis amici essent, suas ut sententias mutarent, aut, siquidem opus esset, per puram & simplicem palinodiam corrigerent. Oh! si DD. Philosophis nostris id animi foret, ut præclara hæc exemplaria imitarentur, tum demum vere philosophorum nomine digni essent, & per philosophicos suos labores fœtusque, ad humani generis observantiam, gratique animi significationem jus obtinerent; vera enim philosophia nihil est aliud quam practicus veritatis & virtutis amor, nec homines suum iis obsequium negare possunt, quorum opera studioque pro gradus, agendique ratione, sese illustrari & ad virtutem duci vident.

MATRIMONIUM. *Imperfectionis status, quem tamen Ecclesia ad Sacramenti dignitatem evexit*, inquit, *impii dictionarii quidam* auctor. Fallitur auctor aut fallere vult. Non Ecclesia sed Christus Dominus matrimonio tribuit Sacramenti vim, atque gratiam addixit, qua ambo conjuges sancti fierent, satisque roboris obtinerent ad ferendas maritorum in modum sollicitudines curasque quæ ab hoc statu sejungi nequeunt, cujus imperfectio non impedit, quominus, ut reapse contigit, ad Sacramenti gradum extolli potuerit.

Ad pag. 70. lin. 26. & seqq. Tomi quarti hujus Conciliorum Analysis dicimus, si qua forte quoad matrimonii enuntiationes extiterit oppositio, *ad celebrationem progredi non posse Parochum, quin eam aut opponens pars aut judex amoverint*; dicendum erat, aut opponens pars, cum potest; neque enim semper potest. Tum potest, cum de negotiis tantum agitur, quæ deserere integrum ac liberum eidem est; at non potest, cum est de Sacramento quæstio. Præterea Parochus ad matrimonii celebrationem devenire non potest, non modo cum adest oppositio, utcumque male nixa ei videatur; at ne tum quidem, cum in accensi apud eum edita oppositionis significatione nullitas, aut in partium nomine quarum matrimonium per oppositionem impeditum fuit, error occurreret. Huic rei deferre Parochus debet; non ejus est de ea judicare.

Ibid. pag. 78. lin. 68. & seq. eam decisionem corrige, inquiens per affinitatem ipsam, quæ ex occulto commercio nascitur, matrimonii dirimens impedimentum constitui, quemadmodum Theologi docent, & dispen-

dispensationes probant quæ in id e pœnitentiaria in ejusmodi facti specie obtinentur. Alexander III. huic assertioni contrarius non erat.

Ibid. pag. 80. n. 15. Animadverte diœceses, ipsa in Gallia, non deesse, in quibus reservatio qua de agitur in hoc articulo, delinquentis Parochi Episcopo per statute tribuitur. Est id in usu positum Andegavi, ut in ejus urbis novis collationibus an. 1755. Tom. II. de reservationibus, pag. 359. videre est.

Ibid. pag. 85. lin. 70. col. 1. & seqq. Cum contrahentes e duabus diœcesibus sunt, &c. *adde;* diœceses tamen occurrunt, in quibus alius viget mos; quod dubio procul ex alterius Episcopi saltem tacito consensu fit, qui dispensare potest, aut etiam, si is in aliqua facti specie dispensare non potest, fit usus ipsius vi, qui conferre & amplificare jurisdictionem potest in eorum gratiam, super quos, spectato rerum ordine, non est ei locus.

Ibid. pag. 85. lin. 67. col. 2. Animadvertas, velim, ut legitime reddatur, quæ loci tenuitate utitur, dispensatio, non esse necesse, ut puella quæ dispensationem petit, eo in loco nata fuerit; satis esse, eam ibidem degere.

METAPHYSICE. Incassum Scriptor quidem, id argumenti penitius intimiusque pervadens, super metaphysica, superque sublimibus in quibus versatur, rerum capitibus jocari nititur; quoad super hoc nostro terrarum orbe, rationis compotes cordatique homines aderunt, ex eorum animo non evellentur appositæ rectæque quas fovent, notiones Dei, spiritalis bonorum malorumve Angelorum naturæ, religionis, vitii virtutisque, moralis pulcri bonique, naturalis necessariique ordinis qui multo fane societatum conventionibus prior est, & ab iis earumque legislationibus omnino non pendet.

Verum quidem est non ita nos per metaphysicen comparari, ut singula quæ studiis nostris exhibet, rerum capita funditus cognoscamus; at hæc imbecillitas, quæ ei cum cæteris omnibus scientiis communis est, nequaquam impedit, quominus absque sensuum interpositione seu adminiculo, complurium tam sublimium quam gravium rerum aptiores æquioresque nostris mentibus notiones insint; &, quia per intima earum affectia pervasionem, earumdem notitiam penitus assequemur, eas satis intelligemus, ut in iis cum oblectatione occupemur, ex iisque suaves & meræ spiritales voluptates quæ jucundiores sensationes, omnesque sensuum crassas delicias infinitum in modum superant, delibemus degustemusque.

Ita sane, quicquid in sensibus defixus, & morum expers Philosophus garriet, dum Dei nomen pronuntiet, mihi semper inerit entis notio, quod existit ipsum per se, ipsaque suæ ipsius essentiæ necessitate; entis, quod inde consequitur, ab omni æternitate existentis, cum absolute efficiendi creandique potestate; entis, quod etiam consequens fit, quod increatum creet, omniumque rerum principium fons & origo, adeoque mei ipsius causa est, cui equidem per grati animi specimen amoremque me totum debeo, a quo in meis omnibus operationibus pendeo, & a cujus bonitate meam omnem felicitatem, ejus servitio ejusdemque legum executioni addictam expecto. Quæ potior quam Dei notio, qui increatus est & creator, purus spiritus, spiritus infinitus, inextinguibilis, immutabilis; pater, motor, servator universæ mundi machinæ, singularique titulo præcipui omnipotentium ejus manuum operis, hominis scilicet, quem ad suam ipsius imaginem, suæ ut æternæ felicitatis beatitatisque participem redderet, effinxerit?

Mihi quidem spiritus nomen pronuntienti occurrit entis notio, quod a materiæ contagione secretum, incorporeum, meisque sensibus inaccessum imperviumque est; principem locum tenebit Deus, tanquam supremus & in omni perfectionum genere infinitus spiritus; tunc Angelus tanquam purus putusque spiritus; humanus demum animus, in id designatus, ut se corpori organis instructo conjunctum videat, atque ita ambo unum idemque individuum, seu totum constituant.

Religionis nomen pronuntians habebo virtutis ideam, per quam redditur Deo cultus qui eidem debetur ut enti per excellentiam, omniumque rerum supremo domino, qui omnia creavit, quique omnia perdere, destruere & in nihilum redigere potest.

Dum pronuntio virtutis, vitii, moralis doctrinæ, morum, ordinis, legum nomina, percipio profiteorque absolutum, ipsaque rerum essentia nixum ordinem: essentialem proinde ordinem, quique a nulla prorsus seu divina seu humana institutione pendet. Percipio reciprocaque prima principia & primitivas regulas morum, quæ nec a conventionibus, nec a voluntatibus hominum pendent, quæque subsisterent, omnes licet homines unanimi consensu abolerent universas leges quas eædem instituerunt. Perspectum habeo, antequam legem tulisset Deus, ut adoraretur & amaretur, jam hominem religiosa hæc erga divinitatem officia persolvere debuisse. Mihi persuasum fit, antequam Deus homini diceret, *non occides*, *homicida non eris*, eum qui alterius sibi similis sanguine manus abluit fœdavitque, nequam, scelestum fuisse. Omnes demum æternas regulas novi, quæ honestatem æquitatemque præcipiunt, quæ turpitudinem & iniquitatem vetant; & eas equidem novi, quia in mei ipsius animi substantia scriptas lego, tum quoque cum ibi spongiam inferre nitor; indelebilis earum character ac typus est.

MIRACULA. Christiani nominis hostes nobis obtrudere vellent & persuadere miracula æque Dei sapientiæ & immutabilitati contraria esse; id haud nos quidem mirari subit. Cum enim merito miracula, tanquam a gravioribus firmioribusque Christianæ religionis probationibus una spectentur, haud sane mirum videri debet ejus hostes nullum non movere lapidem, ut hæc supremum in modum victricia eidem adimant adjumenta quorum vel unum ad ejus veritatem firmandam sufficerat; quandoquidem fieri non potest, ut Deus, penes quem unum miracula patrandi potestas est, eorum ullum in falsæ religionis gratiam efficiat; in hac enim hypothesi Deus per essentiam verus non amplius esset; illusionis esset & mendacii pater, qui sibi naturæ inversionem ad jocum verteret, ut res a se conditas falleret, & in perniciosiores errores induceret. Nos allicit adigitque argumenti gravitas, ut aliquot hujus Supplementi paginas eidem dicemus.

Miraculum, proprie dictum, est supra naturam positum factum, res, effectusve sub sensus cadens, qui omnes notas ignotasque creaturarum omnium, seu visibilium seu invisibilium rerum vires superet, quique non aliunde prodire potest, quam a Deo secundum leges agente, quæ supra mundi mechanicum ordinem sunt, supra consuetas scilicet communesque leges, quæ motus omnes & singulos moderantur, a quibus hic pulcher mundi mechanismus existit, cui naturæ nomen tributum fuit. Miraculi ergo, proprie dicti, in eo posita essentia est; ut per illud ordini legibusque naturæ generalibus derogetur, superatis ejus omnibus, & potiora jura ertis viribus, seu quoad miraculi ipsius substantiam, seu saltem quoad ejusdem patrandi modum; & hinc proinde existunt miraculorum genera duo; eorum unum, quæ supra, eorumque alterum, quæ præter naturam sunt.

Miraculum supra naturam, ac potiore titulo supra ertem est, cum nec natura, nec naturale ullum agens illud ulla ratione efficere potest; cujusmodi sunt, ut exempla proferam, mortui resurrectio, solis, seu terræ retrogressio. Cum naturæ dispositionem servet effectis contrariam quæ Deus edit, ut cum sistit aut retrogredi jubet solem terramve, mariafluviosve, dici tum quidem potest miraculum non modo supra, sed etiam contra naturam esse.

Miraculum præter naturam est, cum illud absolute quidem, non ea tamen ratione qua editur, edere natura posset. Apostolorum aliquis, momento temporis, & unico crucis signo, sanat ægrotos qui certo temporis spatio, perque naturæ vires cum remediis ab arte suppeditatis conjunctas, pristinam valetudinem reparare potuissent; miraculum hoc, quoad modum quidem, non autem quoad substantiam, præter naturam est. Ex hac ipsa miraculi definitione argumentantur increduli, ut miracula nec esse posse, nec reapse existere probent; eas agedum & difficultates ab iisdem propositas audiamus.

PRIMA DIFFICULTAS.

Miraculum, ut ejus ipsa definitio fert, naturæ cursus communiumque legum intermissione continetur; hic porro naturæ cursus & hæ communes ejusdem leges non minus immutabiles quam Deus sunt, cum nihil sint aliud quam ejus æterna decreta; miraculum ergo ex earum rerum numero est, quæ esse omnino non possunt; nec dici potest posse illud existere, quin simul etiam statuatur Deum ipsum mutari posse.

RESPONSIO.

Huic difficultati jampridem respondit D. Thomas; (S. Thom. *in Quæstionib. disput. q. 6. de Mirac. artic. 1.*) en paucis ejus responsum quod solidius esse non potest. Cum contra consuetum naturæ cursum & communes ejusdem leges egit Deus, non proinde ipse se mutat,

mutat, quia ab omni æternitate statuit ita agere in ejusmodi specie, eo nempe naturæ cursu, iisque continuis ejusdem legibus intermissis. Dum ergo cursum legesque de quibus diximus, reapse intermittit, sua æterna decreta non mutat, sed potius exequitur; ac si qua mutatio tum quidem contingit, ea omnis ad nos spectat, ad Deum non item. Exemplo res clara fiet; cum Deus solem seu terram stitit, viginti quatuor horarum spatio, ad Josue preces, id in tempore est executus, quod ab omni æternitate decreverat; non ergo sua ipse decreta, non propositam formam, non consilium, non voluntatem mutavit; hæc quia minime norunt, nec ejus consiliis interfuerunt, sunt propterea qui eidem inconstantiam & variationem exprobrare audeant.

SECUNDA DIFFICULTAS.

In natura contingunt omnia invictæ & ineluctabilis necessitatis imperante vi; sunt omnia necessaria, nihil contingens, quia quicquid in ea fit, immutabili nititur essentia tum rerum, tum ipsius Dei, in quo nulla intellectus, voluntatis, libertatis, decretorum liberorum distinctio est; quicquid enim in Deo est, Deus ipse est & propria ejusdem essentia infinite simplex, infinite necessaria. Cum ergo miraculum sit effectus contingens, omnia autem necessaria in natura sint, cujus ejusmodi essentia est; non magis existere miraculum potest, quam mutari rerum essentia; porro neminem latet adeo immutabilem esse rerum essentiam, ut eam Deus ipse sua omnipotentia mutare non possit.

RESPONSIO.

Ad hanc quoque difficultatem quæ secundo loco proponitur, tam solida est Angelici Doctoris responsio, ut nemo esse possit, cui non probetur. Distinguit S. Doctor hæc tria: rerum essentiam, naturæ leges ejusdemque naturæ vires. Rerum essentia sita est in principiis per quæ constituuntur, & sine quibus nec percipi nec existere possunt; essentia hæc est omnino immutabilis; si enim mutabilis esset, id consequens fieret rem simul esse & non esse; quod aperte pugnat, esset scilicet, ut ponitur, & non esset, quippe cui deessent principia eam constituentia. Est ergo immutabilis rerum essentia; eamque Deus mutare non potest, quandoquidem id non potest quod absolute nequit esse & evidenter absurdum est, cujusmodi est rerum essentiæ mutatio; atque ita non potest efficere, ut triangulum non constet angulis tribus, aut circulus non sit rotundus, &c.

Naturæ leges principia sunt, e quibus in hac corporea & sensibus obvia rerum universitate, multiplicia genera motus figurasque corpora subeunt, ordinis vi, quem Deus ad totius incolumitatem posuit.

Naturæ vires sunt virtutes seu facultates proprietatesque corporum plurium quæ moventur & figuram suscipiunt ex ordine quem Deus inter ea statuit, quæque motuum veluti catenam conficiunt, quos sibi mutuo, saltem ut occasionales causæ, communicant.

Verum ergo est rerum essentiam, quod modo ostendimus, a Deo mutari non posse; at falsum est, in natura nihil contingens, nihilque non necessarium esse, ac rerum existentiam cum earum immutabili essentia confundi & in unum idemque cogi oportere; atque adeo supremam Dei simplicitatem quæ omnem ejus essentiæ excellentia & perfectione indignam compositionem seu mixtionem amovet, ejusdem libertati obstaculo esse. Est ergo Deus infinite simplex, in eum scilicet nulla cadit rei distinctio; ejusque intellectus, voluntas, denique attributa omnia non sunt inter se cumque ipsius essentia nisi una prorsus & eadem res. Verum non inde sequitur eum velle quicquid percipit, & necessario velle quicquid vult. Percipit ergo Deus res mere possibiles tanquam possibiles tantum; futuras & contingentes tanquam contingenter futuras, necessarias demum tanquam necessarias; quia ejus attributorum inter se cumque ipsius essentia realis identitas non impedit, quominus sua peculiaria singulis acta & officia, quoad eorumdem effecta, sint; Deusque, quamvis infinita sit ejus simplicitas perfectaque unitas, non est proinde seu minus sapiens, seu minus justus, seu minus bonus, seu minus potens, seu minus in suis actionibus liber. Hujus veritatis probationem nos ipsi nobiscum ferimus, ad eamque nobis ob oculos aperte ponendam nostri ipsorum animi exemplum apprime facit.

Animus noster substantia est suapte natura simplicissima, pluribus licet facultatibus variisque attributis prædita, cujusmodi sunt intellectus, voluntas, imaginatio, reminiscentia, quia peculiaria attributa hæc reapse tum inter se unum & idem sunt, tum unam eamdemque rem cum animo ipso conficiunt constituuntque. Nos tamen ipsi nec volumus quicquid cognoscimus; nec quicquid volumus, necessario volumus; hac quidem ratione unam & unicam felicitatem, generatim, volumus, & quoad hanc haud liberi sumus. Perinde res habet in Deo, qui tametsi quoad essentiam infinite simplex, potest tamen quicquid posset, siquidem compositus esset, ob infinitam scilicet suæ divinæ naturæ eminentiam, quæ multiplicitati æquivalet eamque supplet. Ejus ergo attributa, quamvis indistincta, edunt effecta eadem ac si reapse distincta essent; est Deus nempe qui punit ut justus, & remuneratur ut bonus, absque ullo perfectæ unitatis suæ detrimento. Est igitur ipse quoque qui res probe novit, quas non efficit; earumque quas efficit, alias quidem necessario, alias liberrima vult; est ipse qui bonos per misericordiam servat, & improbos per justitiam damnat, quin dici possit exercere misericordiam per actum justitiæ, & justitiam per actum misericordiæ, vano & futili mentis acumine, duplicis hujus attributi confusis actis. Non facit ergo quicquid cognoscit; & quod facit, non semper necessario, sed aliquando libere facit. Non omnia ergo in natura sunt necessaria; sunt in ea ergo effecta aliqua contingentia; miraculum ergo possibile est atque adeo facillimum, quandoquidem non magis Deo laborandum est, ut leges quas statuit, intermittat, suspendatque, quam ei laborandum fuit, ut easdem statueret.

TERTIA DIFFICULTAS.

Contra Dei sapientiam est, ordini & legibus derogare, quas statuit ad mundi regimen; hæ leges sint, oportet, uniformes & constantes; & quoniam miraculum esset earum derogatio, inter ea quæ esse non possunt, tamquam Dei sapientiæ contrarium, rejiciendum est.

RESPONSIO.

Generalibus naturæ legibus, per mira prodigia quæ ejus cursum suspendunt, facta derogatio nedum Dei sapientiam inobscuret, luculentissime potius exerit, & vividissimo splendore donat. Et sane, si Deus uniformi semper ratione ageret, adeo monotona, ut ita dicam, seu unius semper ejusdemque formæ actio præberet credendi locum necesse eumdem habere consuetum rerum ordinem ac seriem sequi, communibusque naturæ legibus devinctum & obstrictum esse. At cum pro suo ipsius arbitratu, atque uno voluntatis actu, rara, insueta, mira & a secundarum causarum usu prorsus aliena opera efficere cernitur, naturæ scilicet ordinem, dispositionem, copulationes, communes leges invertere; tum vero dignoscitur universi supremus moderator qui ludens, eademque facilitate qua posuit naturæ limites prætergreditur superatque; moderator, inquam, æque sapiens ac potens, quoniam horum extraordinem operum motrix causa semper in eo quidem ipso utilis & sancta est.

QUARTA DIFFICULTAS.

Cum miraculum sit supra naturam opus quod omnes superet artis & naturæ creatæ vires, de nullo prorsus miraculo certos tutosque facere ipsi nos possumus, nisi probe explorateque noverimus, quorsum pateat artis & naturæ vis; & quantumvis extra ordinem positus nobis aliquis in sensus cadens effectus videri possit, erit semper quod dubitemus, an eum ars & natura edere, necne, possint. Jam vero artis & naturæ vires ex æquo & ad apicem non cognoscimus; non possumus ergo de ullo miraculo nos certos reddere.

RESPONSIO.

Ut de miraculo certi simus, non est necesse nos extremum ipsum artis & naturæ viribus præscriptum terminum nosse; sat est nos scire, quo demum nec ars nec natura ferri evehique possint; id autem, seu per rationis lumen, seu per hominum commune judicium, seu per experientiam certo scimus. Ma lateret, exempli causa, quo usque tandem feratur omne fortioris hominis robur, & universa aptioris medici scientia, mihi tamen ipsi in comperto est, & ita quidem, ut dubitare non possim, hominem omnium quicumque in humana societate sunt, fortissimum decies centenarum millium librarum pondere ferendo non esse,

se, aptioremque medicum non posse mortuum ad vitam revocare, aut momento temporis subitoque desperatum ægrotum sanare, quia ullum remedium eidem applicet, aut siquidem unum applicet, quodcumque fuerit, quia nullum omnino remedium est, cui insit inveterati morbi momento sanandi vis. Sunt ergo quædam quæ supra omnes artis & naturæ vires esse posita certo scimus, & ita posita, ut unus ea Deus efficere possit. Quæcumque tandem super occultis arcanisque artis & naturæ, spirituum aut corporum, mundi mechanices, hydraulicæ, optices, &c. ratiocinationes confici, aut exempla proferri possint, has nunquam evertent inconcussas veritates duas, quarum prima est, omnes creatæ seu spiritalis seu corporalis naturæ vires finitas & limitatas esse; ejusmodi est altera, Deum posse quod natura non potest, & miraculum proprie dictum ex operationum numero esse, quæ ad infinitam tantum potentiam pertinent.

QUINTA DIFFICULTAS.

Ex hactenus dictis fit id consequens, miraculorum admodum exiguum numerum fore, de quibus certi esse possimus; cum enim spiritus apti nati sint exhibere supra perspectas naturæ vires & leges affecta quædam, semper erit quod dubitemus, ii, necne, effectorum auctores sint, quæ miraculum præ se ferre nobis videntur.

RESPONSIO.

Cum subest dubitandi locus, an factum cui penes nos miraculi species inest, artis, naturæ, malorumve angelorum effectus, necne, sit, duæ nobis certæ ad judicium super eo ferandum regulæ suppetunt. Prima est, ut animo reputemus, utrum ars, natura, malive angeli ea vi polleant, ut effectum qui nobis prodigiosus videtur, & quibus in circumstantiis, & qua ratione editur, edere possint; quod definire non admodum difficile est; si enim, rebus omnibus ponderetis, compertum fit artem, naturam, malos angelos effectum edere, qui nobis miraculi speciem exhibet, absolute quidem posse, at quibus in circumstantiis, quaque editur ratione, non posse; merito judicabitur, illud, si minus quoad substantiam, saltem quoad modum, veri nominis miraculum esse. Ut exemplum afferam, hominum quispiam uno verbo, unoque momento temporis, membrum penitus exsiccatum aut a reliquo corpore sejunctum perfecte restituit: evidens fit ejusmodi effectum hac ratione & in his circumstantiis a Dei tantum omnipotentia edi potuisse, tametsi temporis & remediorum ope ab angelis vel ab hominibus edi potuerit. Est igitur & illud evidens, eum, si minus quoad substantiam, quoad modum saltem, prodigiosum effectum esse.

Altera ad judicium de miraculo ferendum regula est, ut ejusmodi censeatur omnis effectus qui artis & naturæ communibus legibus superior est; cum qui operatur, agit Dei nomine, & ob honestum, bonum, sanctumque finem, cujusmodi est veritatis, innocentiæ, virtutis, &c. defensio; ea hujus regulæ ratio est, quia si Deus suum in iis circumstantiis subsidium seductori præberet, ut mira, quæque artis & naturæ perspectas vires superant, operaretur, seductioni ipse se addiceret, & nos in errorem induceret, quod eo prorsus indignum foret, quod aperte repugnat, & omnino esse non potest. Nobis ergo suppetunt certæ indubitatæque regulæ, quarum adminiculo tuto ac certo de incertis quoque dubiisque miraculis judicemus.

SEXTA DIFFICULTAS.

Super his regulis, quam multa miracula falsa, apocrypha, superstitiosa, puerilia, inepta, absurda, quorumque nullus rationi consonus, bonus, honestus, utilis, sanctus finis proferri posset!

RESPONSIO.

Sunt miracula quæ divina fide credimus, sunt & alia quæ humana fide tantum, cui plus firmitatis minusve, pro certitudinis aut probabilitatis gradu qui iisdem inesse potest, prout testium qui ea viderunt, & historicorum qui memoriæ mandarunt, auctoritas tulerit. Omnia miracula in veteris & novi testamenti sacris codicibus consignata credimus divina fide, quippe quæ divinitatis ipsius quæ mentiri non potest, testimonio nituntur. Oleum ergo & operam perdit incredulitas quæ in ejusmodi miracula invehitur, quorum modo substantiam fundumque ipsum, nonnumquam finem destinationemque, alias rationem & adjuncta impetit; nunquam id obtinebit, ut ea diruat, nisi cum sacrum fontem e quo dimanant, sanctorum scilicet librorum divinitatem, Deique fallere & falli nescium auctoritatem, qui nos in iisdem sanctis libris alloquitur.

Ad miracula quod spectat, quorum in sacris litteris nulla mentio, hæc porro credimus humana fide quæ non semper æque certa est, prout non eadem semper est eorum auctoritas, a quibus ea referuntur, nec eadem semper probationum quibus statuuntur, vis & pondus est. Sanæ critices est ea recipere vel rejicere; at nos quidem fidenter asserimus, ex acrioris critices regulis, esse miracula ad hoc posterius genus spectantia, quæ minus certa minusque indubitata non sunt, quam historicum quodcumque factum, propterea quod eodem fundamento nituntur, testibus scilicet satis multis in eamdem sententiam conspirentibus, iisdemque gravibus, æquis, expertectis, fideque proinde dignis aptissimisque ad sanæ mentis quemlibet adducendum, ut eorum narrationibus firmus adhæreat. Nec refert facta de quibus agitur, supra naturam esse; id enim non efficit, ut minus certa sint, cum iis suppetat testium numerus ad fidem faciendam idoneus, quemadmodum hac ipsa ratione firmantur naturalia facta quæ ad sensuum judicium pertinent, quandoquidem æque utraque sensibus obvia & accommodata sunt, nec, ut hominem ad vitam revocatum intueamur, oculi requiruntur iis acutiores potioresque, quibus eumdem, antequam moreretur & resurgeret, intuebamur. Libenter igitur ultroque deferimus omnia miracula apertas fabulas redolentia, adeoque omnia miracula prorsus apocrypha, quæ nempe non ita certa, publica & authentica sunt, ut emunctæ naris hominem omnino tranquillum & a sana nota ambiguitate ac dubitatione liberum reddere possint, dummodo nobis ea relinquantur, quæ omnibus ad edenda effecta hæc idoneis conditionibus insignita sunt; admodum enim persuasum habemus eorum multo plura reliqua nobis fore, quam fuerit ad christianæ religionis divinitatem invicte firmandam opus, in cujus gratiam patrata fuere.

In hac porro classe non ponimus jactata miracula quæ inepta, puerilia absurdaque habentur, quibusque nullus esse dicitur bonus honestusque finis. Nulla quidem certe sit miraculis fides, quæ talia probata fuerint; incredulorum circumspectionem solertiamque singularibus nos quidem laudibus efferemus; eos tantum monebimus, ne, qua pollent mentis vi, nimium fidant ipsi sibi, cum homini datum non sit, ut clare inspiciat pervadatque alta & adoranda mysteria sapientiæ Dei, qui, ob ei uni perspectas causas, potest & vult quandoque mira facere, super quibus humana mens, cujus suis semper finibus circumscripta perspectio est, sollicitaretur ad credendum, ea Dei ipsius magnitudini & majestati parum congruere. Id certum exploratum est fieri minime posse, ut is absolute bonus, sapiens & verax nos unquam per miracula in errorem inducat, atque adeo præstigiis decipi patiatur, suum præstigiatoribus subsidium præbens, nos fallendi consilio: cum ipse potius nobis suppeditaturus sit adjumenta quibus a deceptione caveamus, quemadmodum Mosis tempore quoad Pharaonis magos egit, agitque etiamnum quoad hujus ætatis philosophos qui arrogata ethnicorum miracula nobis opponunt, ut nostra diruant, Christi Domini ejusque Apostolorum miracula cum iis conferentes, quæ Æsculapius, Serapis, Pythagoras, Apollonius Tyanæus, Vespasianus edidisse feruntur. At inter venditata hæc, & Mosis, Christi Domini ejusque Apostolorum miracula quam ædepol enormia discrimina!

1. Quæ ethnicæ superstitioni tribuuntur miracula, paucissima sunt, & in tenebris edita; quæ autem ad veram, tam judaicam quam christianam, religionem pertinent, sunt æque numero plurima, publica, splendida. Spectantibus scilicet pluribus hominum decies centenis millibus, perterritam Ægyptum suis cælum flagellis perculit, sectum est mare rubrum, ut hebræos prætergredi sineret, ac deinde resiliit coaluitque, ut Ægyptios qui eos persequebantur, immergeret, &c. Publice Christus Dominus cæcis visum, mutis loquelam, surdis auditum, paralyticis membrorum usum reddit, immensoque coram populo panes multiplicat, qui eam multitudinem esurientem exsaturat. Magno spectante judæorum numero, quorum multi resipiscunt, Lazarum, quatriduo postquam obierat, e sepulcro ad vitam revocat, quingentisque deinceps personis se ipse post resurrectionem ostendit. Apostolorum apostolicorumque virorum miracula tam multa tamque illustria & insignia fuerunt, ut iis permotus terrarum orbis, superstitionibus abdicatis, Christianam religionem amplecte-

plecteretur, in cujus gratiam adeo splendida prodigia in dies patrari videbant.

2. Ethnicorum jactata miracula nec ab oculatis testibus fide dignis firmantur, nec a coævis scriptoribus posterorum memoriæ commendantur. Sanationes quæ Esculapio & Sarapidi tribuuntur, non nisi populares fabulæ sunt, quarum nullus testis afferri, nullaque probatio suppeditari potest. Ex Apollonio Tyanæo qui sexcentis circiter post Pythagoram annis vivebat, fabulosa prodigia novimus, quæ credulus & admirandarum rerum amator populus ob singulares prærogativas huic philosopho affinxit; atque Apollonii Tyanæi vitam quam quidam Damis, ejus præstigiorum particeps sociusque scripsit, alta occuluisset oblivio, nisi sophista Philostratus & philosophus Maximus operam, irrito licet conatu, dedissent, ut ei fidem existimationemque conquirerent, primus secundo labente sæculo, alter medio circiter quarto. Hæc historia fide dignis testibus destituta apud criticos acute cernentes viros non nisi purum putumque romanense figmentum haberi potest. Quod de sanationibus a Vespasiano editis ajunt Suetonius & Tacitus, tribuendum est ejus Imperatoris fraudi, qui se tamquam a Diis ortum trahentem venditare volebat, obtrudebatque sibi commercium cum iisdem esse. Christi Domini Apostolorumque miracula ab innumeris oculatis testibus, candoris animi vitæque sanctitatis ratione habita, supra quam cogitari possit, fide dignissimis firmata fuerunt, & in historiis apprima authenticis sincerisque, a coævis scriptoribus qui ea vel ipsi suismet oculis viderant, vel ab iis perceperant, qui eorum oculati testes fuerant; sunt igitur inconcussa.

3. Posita prodigiorum quæ eibnicæ superstitioni adscribuntur, historica veritate, nullum eorum est, quod non casus, aut hominum dexteritatis, calliditatis, seu damnum artis, aut dæmonum fraudis opus esse non possit. Vespasianum ferunt sanasse cæcum, infirmamque manum; at nec cæcus natus, nec exsiccata manus erat; consultique super iis sanationibus medici responderunt, eas per naturalia remedia perfici potuisse. Pythagoram ajunt in Crotonensi & Metapontiensi urbibus eadem die eademque hora se videndum præbuisse; simile quicpiam de Apollonii apparitionibus traditur, cui etiam procul gestarum rerum revelationes tribuuntur; at id omne potest nihil aliud quam mera illusio, commerciique cum malis spiritibus affectus esse. Hic ipse Apollonius mortuum ad vitam revocasse fertur; at qui factum referunt, ajunt ipsi valde naturæ consonam & admodum simplicem explicationem exhibent: romana puella, cum inibi esset, ut nuberet, deliquio corripitur, mortua creditur; eam tangit Apollonius, aliqua fatus, dum, rore ad ea contingenta, excitatur e syncope; resurrectio scilicet & cætere ethnicis tributa miracula ejusmodi fuet. Iuter.aa ne referuntur mortui post putrefactionem vitæ redditi, ægroti per longos annos in pristinam valetudinem subito restituti, claudi in pedes arecti, secti aut conglutinati fluvii, sedatæ procellæ, translati montes, solis telluris ve cohibitus cursus, confusa elementa omnia, omnis sus deque versa natura, ac demum omnia prodigia quæ in christianæ religionis gratiam conspirant?

4. Ethnicorum miracula nullam in terris vicissitudinem ediderunt, nullumque sui monumentum e quo ea extitisse palam fieret, reliquerunt; quæ vero christianorum sunt, universa terrarum orbis superficiem mutarunt, per ejus incolarum resipiscentiam, & adhuc subsistunt in festis, templis, publico cultu, moribus, usibus, & innumeris monumentis quæ non minus quam mundus ipse vigebunt perdurabuntque.

5. Qui vulgarunt ethnicorum miracula, id non nisi dubitantes & volgi rumorem secuti fecerunt, quin ad fidem iis conciliandam, sanguinis vel guttam fuderent; christifideles vero de suis miraculis tamquam de factis indubitatis adeoque certis locuti sunt, ut ad ea firmanda suum omnem sanguinem haud ægre profundere parati essent.

6. Geotium miraculis nec recta designatio, nec sanctus & Deo dignus finis propositus esse potest, neque enim ethnicæ superstitionis errores & execrationes procul dubio tamquam ejusmodi spectabuntur. Splendida testimonia, innocentiæ, justitiæ, virtuti, veritati & sanctitati christianæ religionis exhibita: hæc demum miraculorum apud christianos designatio, finisque sunt. Esse igitur possunt suapte natura, quacumque demum ex parte perspiciantur; utpote certa quoad existentiam, in monumentis authentica, quibus firmantur, numero infinita, supra naturam, divinaque quoad causam, ad salutem in effectis apposita, quoad finem sancta, fallaciæ & præstigii supremum in modum victricia, religionisque divinitatem, quam ea in sui gratiam edita vult, invicta probantia; recipienda ergo sunt, aut in historicum pyrrhonismum qui rationem ad pudorem redigit, incidendum.

At si nemo unus ita sibi temperare potest, ut Christianorum explorata miracula non recipiat, quin a ratione recedat, falso ergo dicitur, *cum secta, quæcumque fuerit, jactat in sui gratiam patrata prodigia quæ explicari non possunt, nihil aliud consilii reliquum esse, quam ut facta negentur*, ut in suis cogitatis pronuntiat Dalambertins, pag. 13.

Acutum sane ac perspicax consilium est; at estne prudens? Estne rationi consentaneum? Estne philosophicum? Unum & unicum testor communem sensum, nec alium judicem volo. Non possunt miracula falsitatis argui, nisi quia negatur eorum, ut loquuntur, possibilitas, aut existentia & realitas. Si eorum possibilitatem neges, atheus hac una de causa es; qui Deum nempe mundi creatorem, conservatorem & moderatorem agnoscit, eodem tempore profitetur eum posse, quoties voluerit, legibus derogare, quas ipse ad ejus regimen administrationemque libere statuit. Si miraculorum existentia & realitas tantum negatur ea una de causa, quia explicari non possunt, & absque ullo probationum examine, quibus nituntur; liquido constat huic cogitandi rationi quæ eo demum abit, ut omnibus historicis factis, seu secundum seu supra naturam sint, omnem funditus certitudinem adimat, non aliam originem esse, quam in extremam superbiam, temeritatem, arrogantiam abrepti animi pravitatem, qui omnia se scire putat, sibique persuadere non potest in suis se cognitionibus, perspicaciis, facultatibus esse brevissimis terminis circumscriptum; innumera extra omnem dubitationem posita existere, quæ ejus captum longe multumque superant, quæque nunquam ipse explicabit; apertioribus ipsis, vel a mathematico genere, veritatibus nebulas, tenebras, difficultates offundi, quæ solvi non possunt; denique id esse principii loco, quod experientia, communi sensu, rectaque ratione firmatur, veritatem clare demonstratam negandam non esse, quamvis eidem inexplicabiles difficultates opponi possint; e quo fit consequens christianæ religionis miracula, cum per omnia probationum genera, quæ historicis factis certitudinem pariunt, demonstrata probentur, negari non debere, ea obducta causa, quod explicari non possint; sed esse credenda, neminemque non probe convictum esse oportere, ea ipsa licet a nobis non possint ob arctos nostræ mentis limites explicari, in se ipsis tamen inexplicabilia non esse, Deoque tam esse facilia, quam eorum contrarium est; conservationem intelligo communium naturæ legum quas suspendere & intermittere ei quidem non est quam sequi & exequi difficilius. Vide ad modestiam compositas super Dalembertii cogitatis animadversiones quæ an. 1774. Parisiis, e Pyri, in via S. Jacobi, bibliopolæ typis prodiere.

MISSA. Hujus Conciliorum Analysis Tom. IV. pag. 89. Iis quæ ibidem leguntur super ea facti specie in qua bis eadem die sacrum facere sacerdoti licet, addi potest Benedictum XIV. suis in brevibus duobos, 21. & 26. Augusti mensis diebus an. 1748. datis, omnibus Hispaniæ & Lusitaniæ sacerdotibus eam veniam dare, ut, defunctorum fidelium commemorationis die, Missas tres, servatis tamen quas in iisdem brevibus exprimit, conditionibus, celebrent.

N

NATURA. Qui ex impiorum grege sunt, a naturæ corruptione contra Dei potentiam, sapientiam, bonitatem & attributa cætera argumentari contendunt; sed injuria. Ita sane, creatæ substantiæ libertate præditæ culpa naturam corrupit; & hæc voluntaria corruptio infinitis Dei naturæ auctoris perfectionibus ne minimam quidem nubem offundit, sed singularem potius præclarumque splendorem affert. Dei natura est omnium, ad supremum usque gradum, & ita, ut deficere omnino non possint, perfectionum cumulus; hominis vero natura paucissimis iisdemque limitatis perfectionibus gaudet, quæ in creatam rem, intelligentem eam quidem, sed defectioni obnoxiam cadunt. Hæc si deficere non posset, illimitatisque perfectionibus polleret, non amplius pura putaque creata res, sed Deus esset. Necesse ergo fuit, hominem qui nullum e divinitatis operibus admiratione dignius, in suis perfectionibus finitum esse, earumque partem per libertatis abusum emittere posse; at si ei corruptionis fundus inest, quo ad malum fertur, eidem præsto est æquitatis fundus, quo ad bonum allicitur trahiturque. Suapte natura liber, suarum propensionum alterutram, pro suo ipsius arbitratu, sequi potest; & id quidem creatorem ejusque omnia divina attributa

satis in toto ponit. Quia nempe sua prava libertate abusus est homo, non ideo Deus minus sapiens, minus potens, minus sanctus minusque perfectus est, qui homini libertatem eo consilio tribuerit ut ea bene uteretur, quemadmodum poterat atque adeo debebat.

NOVALE. Pag. 103. Tomi IV. hujus Conciliorum Analysis, laudatis Regis declarationibus eam adde, quam an. 1768. editam consuli necesse est, ut probe constet, quæ sit, quoad novalia, in Galliarum regno, ineunda ratio.

NOVITIUS. *Ibid.* pag. 103. lin. 47. legitur novitios non subesse censuris ordinis; ita sane quoad censuras quibus perinde ac votis non afficiuntur; at in interno quidem foro reliquis ordinis censuris subsunt, quæ ad eosdem spectare possunt.

O

OBEDIENTIA. Quidam philosophi qui erga potestates duas ad regendos homines a Deo institutas obedientiæ nec meritum nec usum agnoscunt, obedientiam quæ Deo præstanda, cum ea quæ clero debetur, de industria confundunt, quin tamen hæc ipsa confusio eorum spei respondere possit. Si, cleri nomine, auctores hi Ecclesiam intelligunt, quæ id juris obtinet, ut, quod attinet ad salutis ordinem, doceat præcipiatque, sapiunt illi sane, dum ajunt, obedire Deo esse obedire clero, quemadmodum clero obedire, est Deo obedire, quandoquidem nos jubet Deus, Ecclesiæ, tamquam eimetipsi obedire, nec potest Ecclesia nobis quicquam præcipere, quod Dei voluntati & obedientiæ quam ei debemus, non omnino consentaneum sit. Jam vero quid nos Deus & Ecclesia, quoad Principes, docent? Id scilicet, eos nobis a Deo præpositos esse, ut nos in civili ordine regant, *per me reges regnant*; suam eos potestatem proxime a Deo tenere, iisdemque parendum esse, *omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit*; & hanc obedientiam e conscientiæ officiis esse, *non solum propter iram, sed propter conscientiam*; ut illud proinde consequens fiat, eum cui christiana religio cordi est, quique vera Ecclesiæ sensa probe callet, suo nunquam Principi obluctaturum; ac si quando ab eo jubeatur id facere, quod Deus eidem vetat, contentum fore Deo parere præ Principe, quin impatientiam & querimoniam, multoque minus seditionem & perduellionem in hunc posteriorem ipse sibi unquam licere velit.

Hæc super obedientia quam subditi suis quique Principibus debent, pura & genuina Ecclesiæ doctrina est. Eane quam tradit recentior philosophia? Id ex operibus judicamus, quæ in singulos ea dies parere non desistit. In iis nihil aliud occurrit, quam æqualitas inter homines, jurium communitas, naturalis libertas, contractus primitivus, contractus socialis, mutuæ & explicitæ vel implicitæ, directæ vel indirectæ, formales aut virtuales, expressæ vel interpretativæ optimoque jure præsumptæ conventiones quarum vi Principes ex una parte, quos sua ipsorum auctoritate, ita judicantibus eorumdem subditis, abuti contigerit, ei legi suberunt, ut, statim ac moniti semel fuerint, humiliter a solio descendentes, in horum manibus sceptrum deponant; quod ni fecerint, subditi ex alia parte, admodum legitime poterunt arma sumere, suum ut Principem e throno detrudant, in vincula conjiciant, aut trucident, si ita res tulerit. Ejusmodi pura putaque philosophia doctrina est, cui satis etiam animi audaciæque est, ut, quod theologia de subditorum suos erga Principes subjectione docet, censoria virga notet.

OBLIVIO INJURIARUM. Sacerdotes accusant increduli, qui injuriis non parcunt, prætexentes suis in personis eas Deo ipsi irrogari; at si injurias quæ Deum impetunt, quæque peculiariter sacerdotes ipsos afficiunt, ingenue distinguere voluissent, in tam crassam hallucinationem non incidissent. Inter injurias ergo quæ directe divinitatem, easque quæ ejus ministrorum personam spectant, discrimina multum ponendum est. Prioris generis injuriæ condonari non possunt, nisi eas rei cum humilitate confiteantur, cum dolore detestantur, & cum sedulitate reparent. Hæc ni adsint, earum veniam concedere sacerdotes incassum vellent, nihil aliud agerent, quam se ipsi vincirent, ne dum læsæ divinæ majestatis reos absolverent & liberarent. Non eadem est injuriarum ratio, quibus Dei ministri ipsi peculiariter afficiuntur; hi quidem in Hominis-Dei schola edocti, eas non semel ac septies, sed usque septuagies septies, ut evangelii sermone utamur, hoc est, semper, & quin unquam defatigentur, condonare parati sunt. Heu! Quam multa hoc loco sanctæ hujus magnanimitatis exempla, quæ ad christianam tantum religionem pertinet, afferri possent ad eorum gloriam, qui ejus præcipui ministri sunt! Quam multi omnium Ecclesiæ seculorum sacerdotes Episcopique per alacrem injuriarum oblivionem, quibus opprimebantur, se luculenter insignierunt! Quid? Qua demum ratione suos acerbiores inimicos eo etiam amore complexi sunt, ut beneficiis eos cumularent, liliis similes, quæ grato manum a qua proscinduntur, odore perfundunt! Quam multi inter acriora supplicia mortem, ad suorum carnificum suorumque persecutorum salutem, alacriter subierunt!

ODIUM. Falsum est christifidelem putare ei se legi subesse, ut eum oderit, qui eamdem atque ipse religionem non profitetur, quod impius eidem exprobrat. Magnum charitatis præceptum quo summa christianæ religionis vis continetur, omnes christifideles obligat, ut omnes ad unum homines tamquam fratres, seu potius tamquam se ipsos diligant, quin barbari, impii, & singulares ipsorum inimici excipiantur, quibus ex animo parcere, & ad quorum salutem, si opus fuerit, suam ipsorum vitam exhibere debeant. Longe igitur ab eo absunt, ut a sacerdotum sententia, quicumque iis displicet, sibi odio habendum putent; cum ne sibi quidem licere arbitrentur hominum scelestiores odisse, qui Deo summopere displicent, edocere scilicet, cohortari, excitare, sollicitare, orare, plorare, gemere, pœnitentiam agere, ut eorum resipiscentiæ gratiam obtineant; hoc omne demum odium, quo in eos feruntur, hæc omnia quibus eosdem impetunt, talia sunt.

OFFENSÆ. Incredulorum nonnulli pro certo ponunt offensis quas homines perpetrant, Dei felicitatem sine intermissione turbari. Si melius religionem nossent, probe scirent Deum constanti prorsusque immutabili felicitate gaudere, quam nullum in eumdem patratum facinus turbare potest. Is ergo mortalium quidem criminibus læditur; at iis ipse non ita se læsum putat, ut D. noster theologus vult: divinitatem omnia peccata lædunt, feriunt, insultant, quia ita comparata sunt, ut rectæ rationi æternæque legi repugnent; at iis Deus non ita se læsum esse impositum existimat, ut vel minimam proinde perturbationem, levioremve mutationem subeat in supremæ beatitatis fruitione, quæ ab ejus essentia sejungi nequit; nihil aliud in eo peccatum efficit, quam ejus justitiam adigit, ut illud puniat, sed in alta tranquillitate, & & quin punitiones quas in peccatores exercet, jucundum ejus supremæ felicitatis cursum uno temporis momento intermittant. Puniens igitur est felix, puniturque, quia justus est; Si minus ejusmodi esset, nunquamque puniret; si tantum bonus esset, misericors, clemens, non esset Deus: monstruum esset in suo quidem genere homini simile, cui humanæ figuræ non nisi dimidium esset.

ORIGINALE PECCATUM. Quære MALUM.

OSCULARI Papæ pedes, seu OSCULUM pedum Papæ. Seculo quarto decimo, qui mittebant ad Papam litteras, sive libellos supplices exhibebant, verba ad obsequium significandum aptiora quærebant.... Erat in more positum, ut, qui ad quempiam scribebat, ei se manus osculari diceret; dictavit assentatio, ut in litteris ad Summos Pontifices missis scriberetur eorum pedibus osculum dari. Tunc enim vero præsules eorumque universa capitula hac locutione uti cœpere, quæ quamprimum in consuetudinem abiit, summique Pontificis pedes reapse osculandi cæremoniæ dubio procul locum præbuit. *Dictionar. Diplomatic. Tom. I.*

OSTENTATIO. Vide POMPÆ.

P

PANIS-BENEDICTUS. Impii & sectarii æque in benedicti panis usum, qui in Romana Ecclesia obtinet, invehuntur. Contendunt scilicet hanc benedictionem nihil aliud quam meram superstitionem, atque adeo magiam & fascinationem veluti quamdam esse; & se ridendos præbere, quicumque pani benedicto, itemque aliis benedictis rebus pluribus vim tribuunt, vel ut venialia peccata remittant, vel ut dæmones in fugam agant, vel ut morbos sanent; cum creatæ res aliam sanctificationem suscipere nequeant, quam quæ potest iisdem inesse, dum usui addicuntur, cujus gratia a Deo creatæ & instituta sunt. At catholici propugnant, Christi Domini exemplum, qui panes in deserto benedixit, ad panis aliarumque rerum benedictionem cujus in Ecclesiis viget usus, firmandam sufficere; tantum abesse, ut hæc benedictio superstitiosa & magica sit, ut potius christianæ religioni apprime congruat, omnemque magiam evertere possit; ridiculum omnino non esse, pani benedicto aliisque

bene-

benedictis rebus virtutes tribuit, quas iis semper tribuit Ecclesia: panem & cætera quæ per precem & crucis signum benedictione donantur, sanctificationem velut quamdam acquirere, qua ea vulgaribus rebus distinguit, multoque supra eas effert; earumdemque rerum ad usum applicationem, ob quem a Deo creatæ & designatæ sunt, sanctificationem non esse. Id probat magna cum sagacitate, eruditione, ac soliditate, R. P. Nicolaus Collinius, theologiæ doctor, strictæ Præmonstratensis observantiæ canonicus regularis, in opere cui titulus: *De pane benedicto Tractatus; seu, catholica Ecclesia super benedicti panis usu purgata & in tuto posita; opus polemicum, historicum & morale.* Parisiis, apud Demonvillium, an. 1777.

Nos quidem lectoribus nostris & potissimum Ecclesiæ ministris quos status adigit, ut ejus varios & multiplices usus populis explicent, gratum facere, si hujus utilis doctique operis, quod cæteroqui cum nostra Conciliorum Analysi apprime cohæret, brevem analysin ob eorum oculos posuerimus.

Tribuitur illud in partes duas; prima quæ capitibus duodecim constat, de pane benedicto agit; altera quæ undecim complectitur capita, super ejus virtute versatur.

In primæ partis capite primo de variis quæ pani benedicto tributa fuere, nominibus sermo est. Nuncupatus sæpe fuit *panis sanctus*; & interdum felicitatis panis, *panis beatus*; quia tamquam beatitatis & benedictionum fons & origo spectatus fuit; dictus etiam fuit crucis signo notatus panis, *panis signatus*, & præterea *panis fractus*; quia in fragmenta secabatur, ut populo distribueretur; & *panis exaltatus*, seu elatus, quia panes græcos ante liturgiam fertur processionis ordine per Ecclesiam, super ministri capita, velo tecto. Iidem græci nuncupant etiam benedictos panes *antidoron*, quia sacri doni seu eucharistiæ locum tenent, in eorum gratiam, qui inter Missarum solemnia communionem non susceperunt. Apud latinos hi panes dicti fuere nonnunquam *oblatæ*, & *oblationes consecratæ*, videlicet benedictæ; item consecratio, hoc est, benedictio, *consecratum*; & *sacramentum*, minus proprie & fusiore significatione, quam quæ ad septem Ecclesiæ sacramenta pertinet, in eum fere modum quo aliqua concilia & aliqui sancti Patres *sacramentum* dixere salem qui catechumenis tribuebatur; benedictio pariter & *panis benedictus*, benedictionis causa, qua vel a privatis, vel publice, & solemnem in modum a sacerdote vel ab Episcopo insignitus fuerat. Sæpissime denique primis Ecclesiæ sæculis tum apud græcos, tum apud latinos designatus fuit *eulogia* nomine, e græcis vocabulis duobus quæ benedictionem significant.

In altero capite sermonem instituit auctor de peculiaribus benedicti panis capitibus quæ ad duo, vel, ut summum, ad tria rediguntur; ut alius scilicet benedictus panis peculiaris fuerit, qui a singulis ad singulos mittebatur; alius benedictus panis publicus, qui ad parochialis potissimum Missæ finem, dominicis & quibusdam per hebdomadam festis diebus, distribuebatur; & panis qui in mensa benedicitur, cui olim *eulogia* nomen, perinde ac duobus aliis benedicti panis generibus tributum fuit.

Caput tertium perquisitiones continet super benedicti panis antiquitate (*Observat. Eccles. lib. 15. observat. 58.*). Albaspinæus, Aurelianensis Episcopus, in ea est sententia, benedictum panem publicum ab Ecclesiæ incunabulis in usu fuisse; verum auctores alii, quod fit vero longe similius, eum in Ecclesiam inductum asserunt, solum ut esset communionis quoad eos loco, qui Missæ adsistentes, ad communionem in ea recipiendam comparati non erant; ex quo sequitur, benedicti panis publici originem, horum auctorum judicio, non ante tempus illud statui posse, quo cœptum est non amplius in Missis quæ audiebantur, communionem, spectatis quidem regulis, tribui, nempe ad tertii sæculi finem, vel ad quarti initium referri debere. De benedicti panis auctore seu institutore agitur in IV. capite; & P. Collinius firmiore fundamento nixam censet eorum sententiam, qui hanc institutionem tribuunt Papæ Melchiadi, seu Miltiadi qui an. 314. obiit.

Capiti V. proposita est benedicti panis materies; ibi expenditur quæstio, utrum scilicet antiquis temporibus ejusmodi panis azymus, seu absque fermento, an vero fermentatus esset. Sentit auctor benedictum panem privatum sæpius fermentatum, & publicum sæpius azymum quam fermentatum, ante Melchiadis Papæ tempus, ab eo vero tempore sæpius fermentatum quam azymum fuisse.

Caput VI. eos spectat qui benedicti panis materiam offerebant, qui eum benedicebant, & modum quo hæc benedictio peragebatur. Panem ad Missam consecrandum olim populus offerebat; et postquam hæc consuetudo desiit, inductus est bene multis in locis mos, ut unaquæque parœciæ familia per aliquem a quo repræsentaretur, benedicti panis materiem per vices offerret. Eum Episcopus aut parochus benedicebat per precem, seu invocationis formulam, cujusmodi est, causa exempli, quæ in S. Gregorii Sacramentario, vel in Nannetensis concilii, an. 655. habiti canone 9. legitur.

Docemur in VII. capite panem benedictum iis tantum tributum fuisse, qui suscipiendæ communionis jure gaudebant, cum Missæ tempore cui aderant, eam non susceperant; negatumque proinde fuisse hæreticis, excommunicatis iisque omnibus quos vitari oportebat.

Ex VIII. capite compertum fit sententiam quæ negat panem benedictum unquam catechumenis datum esse, auctore judice, veteri disciplinæ magis consentaneam videri.

IX. caput benedicti panis dominicis festisque diebus usum respicit. Primum hujus consuetudinis monumentum comperit auctor in decreto quod Pio Papæ I. tribuitur, qui an. 142. ad apostolicam Sedem evectus fuit; alterum ei suppeditat Nannetensis an. 655. vel 658. habita synodus.

Sermo est in X. capite de observantia quæ pani benedicto deferri consuevit. Ostenditur e Nannetensi concilio cujus modo est facta mentio, benedictum panem in nitido aptoque vase positum fuisse; & ex Hincmaro sedulo cautum esse, ne qua ejus mica in terram decideret.

Cap. XI. de usu agit, qui obtinebat, ut panis & quodvis aliud alimentum in conviviis benediceretur. „ Si, vel obiter, *inquit auctor*, veteres Ecclesiæ pa„ tres & doctores percurri lubeat, facile compertum „ fiet, datam esse accurate operam, ut super iis re„ bus omnibus quæ alimento inserviebant, crucis si„ gnum fieret, atque ita quidem quod edebatur & „ bibebatur, benedictione insigniretur. Id quoque „ moris christiani veteres diligentissime custodie„ bant, &c. “

Dispositiones requisitæ, ut quisque benedicto pane cum fructu uteretur, quæ sunt primæ partis XII. ejusdemque postremi capitis argumentum, fide, veneratione, gratiarum actione, peccatorum dolore, beneficii reminiscentia & fidentia continentur. Erat etiam olim in more positum, ut fideles benedictum panem non nisi jejuni comederent; atque usus hic etiamnum in græca Ecclesia servatur.

Secundæ partis caput primum inscribitur: „ de be„ nedicti panis virtutibus & proprietatibus. “

In eo dicitur huic pani eam vim inesse, ut dæmones pellat, ejusque præstigia, fascinationes, magiam, maleficia disjiciat, efficiatque, ut de ejus tentationibus, insidiis, vexationibus fideles triumphent; venialia peccata deleat, corporisque infirmitates & morbos antevertat & sanet, &c.

Capiti secundo is est titulus: „ de ratione qua sua „ effecta benedictus panis edit “. Ibi perspicitur benedicti panis usu venialia peccata in precis & impetrationis modum deleri, vi fidei & precum Ecclesiæ, motusque pœnitentis, quo affectus quisque hoc pane uti debet. Effecta porro cætera benedictus panis edit vi fidei, meritorum & precum tam Ecclesiæ, quam eorum qui eodem utuntur.

Reliqua omnia capita descriptionem continent effectorum plurium quæ benedicti panis usus edidit super iis qui a dæmone vexabantur, super morbis in universum, superque febribus peculiariter, super languoribus aliisque similibus infirmitatibus, super oculorum morbis & infirmitatibus, super mutis, claudis, paralyticis, fatuis, furiosis, &c.

Undecimum idemque postremum singillatim caput quod hunc titulum præfert, „ de singularibus aliis ef„ fectis, benedicti panis adminiculo editis “, plura exhibet prodigia quæ satis graviter firmata sunt; ejusmodi sunt, inter alia, variæ panis multiplicationes a sanctis viris editæ, e Christi Domini exemplo, qui panes quinque & pisces duos in deserto benedicens ita multiplicavit, ut hominum quinque millia exsaturaret. Hujus rei probationes occurrunt in vita S. Arnoldi, Suessionensis Episcopi, &c.

Postquam auctor numero plura per benedictum panem edita miracula protulit, suo in hunc modum operi finem imponit: „ Quæri fortasse, loquit, hoc „ loco poterit, cur benedictarum rerum & benedicti „ potissimum panis ope, non amplius miracula iis si„ milia, quæ retulimus, in præsentia peragantur; at „ responderi potest; 1. si minus his temporibus ejus„ modi miracula fiunt, incredulitatem in causa esse; „ & pretii parum in quo habentur hæ benedictæ res,

„ itemque observantiæ parum quæ iis exhibetur, si „ tamen non omnino spernuntur; incredulitas enim & „ id genus animi vitia quæ eam comitantur, ad nitatenis impedienda sufficiunt, prout apud sanctum „ Matthæum legitur, ubi dicitur incredulitas in causa fuisse, ut tam pauca miracula Christus Dominus „ sua in patria patraret; & apud sanctum Marcum, „ ubi memoriæ proditur Christum ipsum sua in regione nullum miraculum edere potuisse, cùm ibidem paucos tantum ægrotos, impositis manibus, in „ pristinam valetudinem restituerit; quod eum, ob „ eorum hominum incredulitatem, in admirationem „ trahebat. Id etiam potest responsi dari, secundum „ quod sanctus Augustinus ajebat, ea non cognosci, „ quemadmodum vetere cognoscuntur, nec deesse bene „ multos qui de iis cognoscendis se minime sollicitos „ præbent.... Possumus ergo, & quidem merito, hoc „ loco dicere, quod laudatus S. Pater alia occasione „ dicebat, eum qui adhuc miracula quærit, ut credat, magni ipsum prodigii portentique loco esse, „ qui non credit, cum totus mundus eredat. “

PASCHA. Magni nominis impius Paschatis festum appellare non timat festum diem quam christiani in Christi Domini clandestinæ resurrectionis memoriam celebrant.

Christi Domini resurrectio, clandestina resurrectio! Susque deque vertit, dum resurrexit, mortuisque similes reliquit romanos milites, quos, ut sepulcrum custodirent, omnemque deceptionem antevertarent, ad excubias judæi posuerant; apparuit per dies quadraginta, prout multiplex se occasio obtulit, suis discipulis, qui nullam ejus resurrectioni fidem habere volebant, quibusque non aliter eam tandem persuasit, quam iis incredulitatem exprobrans, cum iis comedens, & eos invitans hortansque, ut digitos in gloriosas usque ejus plagarum cicatrices inferrent; postremo tandem vica quingentis discipulis supra montem Thabor congregatis apparuit, ubi iis mandavit, ut evangelium per universum terrarum orbem nuntiaturi pergerent; & unde, cum postrema sua documenta iisdem præbuisset, mirifice, iis præsentibus, in cælum surrexit, fulgentam inter nebulam quæ spectantium oculis eum subducens, prorsus obstupescentes, sanctaque & ineffabili admiratione perfusos reliquit. Experrecti porro, lætitis abrepti, & virtute ex alto per Sancti Spiritus in eos descensum induti discipuli se per totam terram dispergunt, sui ut divini magistri, post mortem, resurrectionem enuntient, cujus oculati & auriti testes fuerant, utpote qui eum, postquam resurrexerat, & suismet oculis viderant, & suismet auribus pluries audierant. Prodigiosum eventum uno ipsi ore testantur, quin alii aliud prædicent & invicem pugnent; illud suo omni profuso sanguine obsignant; gaudio gestientes per omnis generis tormenta mortem potius subeunt, quam super facti veritate conticescant, ad quod in medio relinquendum & fide spoliandum, quoad fieri potest, undique sollicitantur. Eorum plusquam humanæ alacritatis, prodigiorumque quæ patrare cernuntur, testis universus terrarum orbis iis credit, eosque admiratur; factorum evidentia coactus, ethnica rejecta superstitione, christianam fidem amplectitur, Deum mortuum & ad vitam regressum quem sibi nuntiatum audit, adorans, nihil obstante præjudiciorum quæ damnat, vi, pravarumque quas cohibet, cupiditatum impetu; resipiscit mutaturque mundus ad duodecim, e Judææ angulo, nautarum vocem; austeræ religioni nomen dat, quæ vitiorum nulli parcit, quibus cum iis familiaritate devinctus est, quæ omnes ejus præposteras propensiones captivat, compescit, exterminat. Si Christi Domini resurrectionis miraculum, ut alia omnia in hujus confirmationem ab Apostolis edita, verum est, nullus est amplius difficultatibus locus. credentes victores sunt. Sin ea omnia miracula falsa sunt, nobis, quæso, dicant increduli, qua demum ratione rudes homines duodecim insigne mirumque consilium cudere potuerint, ut tamquam Deum venditarent impostorum Principem, qui eos scelestè fefellit, si vere, quod iisdem promiserat, non resurrexit; quomodo hi deceptores deceptique homines satis animo firmi fuerint, ut sæviores cruciatus ferrent, & in doloris ignominiæque cumulo morerentur, deceptionis propugnandæ causa, quam firmare nihil eorum intererat, & ad quam penitus abolendam omnes conjunctim rationes eos adigebant; quibus adjumentis, quibus rationibus hi exsecrandi, abloni, furiosi, desperati seductores eo devenerint, ut non modo universum humanum genus, injecta fallacia, ad se traherent, sed suum etiam phreneticum stolidumque animi robur eidem communicarent; mundus enim demum credidit, nec satis habuit credere, suam præterea fidem, profuso sanguine, in innumeris quos evangelio tradidit addixitque, omnis ætatis, omnis regionis, omnis conditionis martyribus obsignavit. Id nos increduli doceant, necesse est, resurrectionis Christi Domini posita falsitate. Nos quidem, in hac hypothesi, eo progredimur, ut consilium iis proponamus, quod recusare non possunt, quin se victos fateantur & manus dent; adeo iisdem favet. Viles, contemptibiles, omnibus nationibus invisi, nullaque ingenii vi commendandi homines duodecim id assecuti sunt, ut fallaciam qua nulla unquam magis absona, judæi nempe publice suspensi resurrectionem toti humano generi persuaderent, & hoc ipsum ejus religionem amplexum, ejusque asserendæ gratia ad mortem subeundam expeditum promptumque, ad eumdem tamquam Deum adorandum adigerent. Agite dum, D.D. increduli, viros duodecim mille, quos e vestris confratribus aptiores judicaveritis, per nos licet, vobis seligite, quos in omnes cogniti mundi regiones mittatis, ut, suorum bonorum, suæ libertatis, suæ demum vitæ, si opus fuerit, impensis, vestram ibidem religionem prædicent; ac si eodem temporis spatio quod Christi Domini Apostolis satis fuit, ut veterem mundum ad christianam religionem pertraherent, ita res, domini, vestris apostolis e voto cesserit, ut recentiorem mundum ad philosophismum perducant; si id obtinuerint, ut tot veri Dei templa demoliantur, quot falsarum divinitatum templa & idola, primis discipulis suadentibus eversa & fracta sunt; si ubique publicum cultum, festa, solemnia, religiosa omnia monumenta abolaverint; si, uno verbo, peculiarium universi terrarum orbis populorum religionem mutaverint, & id quidem solis persuadentis eloquentiæ, pluriumque scientificarum animi facultatum armis quibus tam affluenter instructi sunt; tum demum erit, quod simile aliquid, tametsi non sine evidentibus pluribus in Christi Domini apostolorum expeditione discriminibus, timere incipiamus. Verum, ad illud usque tempus, eam nobis veniam dabunt increduli, ut cum omnibus qui sapiunt, ipsius Christi resurrectionem credamus ut factum publicum, quippe quod tamquam indubitatum prorsusque certum, e quingentis oculatis auritisque testibus conspectum, &, ut ita dicam, digito tactum fuit; quodque ut crederent hi quingenti testes ipsi qui primum de eo dubitabant, se non nisi evidentiæ urgente vi dediderunt, ac deinde ad illud propugnandum se jugulandos præbuerunt; factum, inquam, quod tam multa tamque illustria miracula confirmarunt, ut innumeros alios ei testes acquirerent, qui illud, suo omni profuso sanguine, primos secuti testes a quibus perceperant, obsignarunt; factum authenticum, & compluribus in libris publicisque monumentis depositum; factum quod constans traditio per singulas ætates ad nos transmisit, & ad remotiorem posteritatem transmittat; factum denique tam efficax, tam vehemens, tamque aperte supra naturam divinumque, ut vel invitum mundum, de ejus nempe omnibus obluctationibus triumphans attraxerit. *Vide* RESURRECTIO.

PATRONUS, PATRONATUS; Tom. IV. pag. 129. hujus Conciliorum Analysis. Legitur num. 4. laicum patronum non posse suum patronatus jus cedere, sine Episcopi venia, nisi cum patronatu sua omnia bona det. Dicendum, patronum laicum posse suum ipsius jus, absque Episcopi consensu, suo compatrono cedere, *cap. 24. de jure patronat.*, id etiam posse, sine Episcopi facultate, ita quidem, ut Ecclesiæ donet aut vendat bona quibus id juris addictum est; nec, ut id perficiat, sua omnia bona tradere necesse habet.

Ibid. pag. 129. linea 72. dicitur efficere patronum posse, ut ipsius insignia gentilitia, seu tituli & zonæ funebres circum Ecclesiam, & solum extra, pingantur & apponantur.

Marechallus, in suo de honorificis in Ecclesiis dominorum juribus Tractatu, contra id patrono licere vult, sua ut stammata intra Ecclesiam pingenda curet, dominumque penes quem jurisdictio est, non nisi quoad externas partes hoc jure gaudere dummodo patronus & ipse non sit, nec legitima in id possessione nitatur.

PAX. *Christianorum Deus promiscue & Deus pacis & exercituum Deus nuncupatur*, inquit auctor qui identidem secum pugnat, ut Deum, si fieri per eum possit, ipsum secum pugnantem exhibeat. Ita sane. Deus simul est Deus pacis & exercituum Deus: & hac in re nihil est quod repugnet. Viribus pollens Rex cui frequentes suppetunt copiæ quibus injustos hostes ad actus cohibeat, at qui eo tamen animo eaque est indole, ut apprime paci studeat; is, inquam, Rex promiscue & Rex pacis & Rex exercituum recte admodum

dum dici potest; pacis quidem Rex, quippe qui ita est animo comparatus, ut nihil magis quam pacem expectet; exercituum autem Rex, ejus spectata justitia quæ eum repugnantem ad copias expediendas adigit, quarum vi ejus gloriæ & pacis hostes in officio continentur. Hujus exempli ad rem nostram accommodatio se offert ipsa per se: Deus est vere ac singulari dilectionis titulo, pacis & pacificorum hominum Deus; at hac ipsa de causa sæpe cogitur, suis ingratiis, arma sumere, ut seditiosos, blandæque hujus & pretiosæ pacis quæ ejus animi delicias efficit, perturbatores edomet, & in ordinem redigat. Est igitur uno eodemque tempore, & quin ullus repugnantiæ sit locus, Deus pacis & belli seu exercituum Deus.

PENSIO CLERICALIS, seu ECCLESIASTICA. Hujus nostræ Conciliorum Analysis Tom. IV. p. 132. n. 4. dicitur pensio non debere tertiam prætergredi redituum partem in beneficiis quæ residentiam postulant, quin 300. librarum summa quæ titulari libera remanet, imminuatur. Dicendum, cum Parochorum congruæ portioni nunc temporis in Gallia per sanctionem an. 1768. editam, libræ quingentæ statutæ sint, necesse fore, ut, cum agitur de parœciis, quingentarum librarum summa Parocho libera relinquatur.

Ibid. pag. 133. lin. 69. absoluta ac sine exceptione dicitur pensio per irregularitatem extingui. Distinguantur, oportet, irregularitates duæ, una quæ ex pensionarii culpa dimanat, alia quæ citra hanc culpam eidem supervenit, ut si cæcus aut paralyticus seu membris captus evaserit; in hac posteriore facti specie aliisve similibus non extingueretur per irregularitatem pensio.

PERFECTIO CHRISTIANA. Posita est ejus vis & ratio in fideli omnium quæ cujusque statui congruunt, officiorum executione, ob Dei, sui ipsius, & proximi quoad Deum, amorem qui recto ordini respondeat. Hujus principii vi, quod peculiarem Christianæ religionis notam exhibet, is ergo christifidelis perfectus est, qui accuratissime præstantioribusque de causis, omnibus officiis perfungitur, quæ ei singillatim conditioni cui se devinctum videt in providentiæ ordine, quæ in eadem ipsum vel collocavit, vel natum voluit, addicta sunt. Is est Rex qui persuasum habens convictusque suorum se subditorum non minus pastorem, custodem, tutorem, patrem & exemplar, quam dominum esse, animum applicat, ut eos æque ad æquitatem atque ad benevolentiam & sollicitudinem compositus regat, tamquam bonus paterfamilias, qui suos omnes filios diligit, & indefessus operam dat, ut eos & suis curis felices & suo ipsius exemplo probos efficiat. Is est subditus qui principem observantia, honore, amore prosequitur, ut patrem filius; ei promptus & alacer paret, & quæcumque in ipsius potestate sunt, subsidia comparat. Is est principis minister qui nihil aliud propositum habens quam publicum bonum & communem societatis utilitatem, suum munus, ex ejus mandatis, obire cernitur. Is est militaris e primis aut postremis gradibus vir cujus intrepidus animus admirationi est, cum ad suæ religionis vocem docilis, cum ad patriæ salutem & principis servitium, morti inter pericula occurrere properat. Is est togatus vir, is integri summi magistratus, is æque prudens, experrectæ mentis, æquus incorruptusque senator qui non alibi reperitur quam in secretiore conclavi, percipiens e lectione lumina quibus opus habet, ut legum majestatem sustentet; vel in justitiæ sede, ut æqua lance per sententias & definitiones quas nihil amoveat a recto tramite, suum cuique jus tribuat. Is est causidicus laboriosus, doctus, liberalis, a proprii commodi studio alienus, solido judicio, exquisitaque perspicientia pollens; viduæ & orphani tutor; sollicitusque causarum tam ad imbecillem & pauperem, quam ad potentem & divitem pertinentium, sine personarum acceptione, patronus. Is est agricola, mercator, artifex, in dies operarius, cujusque demum generis civis, qui, post Christianæ religionis institutiones, in eam quam profitetur, artem incumbit, multo minus mercenariis rationibus ductus, quam eo consilio, ut Deo placeat, suisque se fratribus utilem præstet. Ejusmodi est Christianæ perfectionis genuina notio; vere sublimis notio, sed aliena prorsus a jactata philosophia, quæ supra infimam effrenis amoris proprii regionem assurgere nequit, nihilque non ad peculiare privatumque commodum refert, quin Dei & proximi amori qui christianæ religionis omniumque christianarum virtutum, ut ita dicam anima est, quicquam concedat. Philosophus ergo sibimet ipsi tantum est bonus, cum perfectus Christifidelis omnibus bonus sit, eoque melior quo magis convictus est, cum mundus hic quam alterius procæton, seu inferius ad superius decens veluti cubiculum sit, in eo se non in alium finem esse, quam ut honorificam in posteriore sedem promereatur, pro operum ratione, quæ gloria & mercede digna in priore gesserit.

POENITENTIA. Omnium mundi religionum ad pœnitentias peccatoribus imponendas consensus & conspiratio apertissimo argumento est peccatorum expiationem omnino necessariam esse; fieri quippe non posset, ut omnes ad unam religiones super capite quod humano generi tam asperum durumque est, consentirent, nisi in ipso hominis animo scripta in id lex iisdem occurreret. Non ergo ut divinitati bene fiat, pœnitentiæ in omnibus religionibus peraguntur, ut impius quidam garrire non dubitat; sed ut violatus ordo restituatur, Deo illata injuria reparetur, recuperetur ad ejus beneficia & compensationes amissum jus, deleatur macula quam omne delictum necessario imprimit in eorum animo, qui eo audaciæ deveniunt, ut illud perpetrent. Idne est hominem mala secum agere, ut divinitati bene faciat, quæ non minus perfecta, nec minus felix esset, quamvis inter homines nemo non ejus altaria desereret aut profanaret? Nonne ita quidem potius hominis innumera sibi bona comparant, eoque solidiora, quod nunquam finem habitura sunt?

POENITENTIARIUS. Nostræ hujus Conciliorum Analysis Tom. IV. pag. 140. col. 2. lin. 19. dicitur pœnitentiaria, cum dignitas est, ex edicto an. 1606. graduatorum expectativæ nequaquam subesse. Ita sane res habet; Verum addi potuisset edictum hoc relatum non fuisse in magni Consilii acta, quod aliam proinde jurisprudentiam super hoc articulo sequitur.

POMPÆ. Ecclesiam ejusque ministros accusat incredulus, quasi mundi pompas, ostentationes, majestatis sectentur; sua eum fallit opinio. Ecclesia ejusque ministri qui ex ejus mente se gerunt, hujus mundi pompas, titulos, gradus, honoris notas aspernantur & respuunt. Innumeros hujus rei luculentissimos testes uterque clerus, sæcularis & regularis, suppeditat, qui nempe, cum eos ad Ecclesiasticas dignitates evehi libuit, se pro viribus subduxerunt, iisque non nisi repugnantes, gementes, sibique extremam vim inferentes, se tandem insigniri passi sunt, & id quidem, suis ut superioribus obedientiæ specimen exhiberent, & ad Dei voluntatem se conformarent, semper parati se iisdem, tamquam pondere quo gravissime premebantur, quodque ægerrime tantum ferebant, exonerare. Hæc nimirum exempla proferri oportuisset, et Ecclesiæ ejusque ministrorum, quoad hujus mundi pompas, sensa perspicarentur. Eos ergo vere contemnit Ecclesia, suosque ministros eorumdem contemptum docet; at hæc ejus ingenua mens impedimento esse non potuit, quominus Christianam fidem amplexi Principes, ut se tam singulari gratia summopere devinctos ostenderent, Ecclesiam honoribus & beneficiis cumularent, non, dubio procul, ut ejus ministrorum fastui & ambitioni faverent, sed ut ita cælestis ejus sponsi gloriæ inservirent, populorumque observantiam ei conciliarent, penes quos id unum fere in existimatione ac pretio est, quod eos externæ pompæ sensibusque obvii apparatus splendore percellit. Si Ecclesiæ, quoad mundi pompas, mentem incredulus nosse voluerit, satis ipse sibi facere poterit, obiter percurrens prodigiosum canonum numerum, quibus concilia sæcularibus & regularibus clericis tam multiplici ratione commendant, ut pompas, gradus, honores, fastum, vanitatem, ostentationem contemnant, & modestiæ, humilitatis, simplicitatis ingenuum studium, itemque constantem usum sectentur. Hæc Ecclesiæ mens, Ecclesiasticæque virtutes hæ ad hoc usque tempus in ejus ministris numero pluribus emicuerunt. Atque ut in hoc ipso quod excurrit, sæculo consistamus, ac de admirandis iis Pontificibus tantum loquamur, qui supremam in Ecclesia sedem tenent, poteratne D. Abbas Barnerius ignorare, non nisi post incredibilem obluctationem, post gemitus, post magis minusve copiosas, sed æque sinceras lacrymas, nominatim, Clementem XI. Benedictum XIII. & Clementem XIII. adduci potuisse, ut Pontificium solium conscenderent?

PORTIO CONGRUA. Hujus Conciliorum Analysis Tom. IV. pag. 141. lin. 80. dicitur Vicariis perpetuis congruæ portionis libras 300., amovibilibus autem Vicariis solum 150. suppetere. Dicendum erat, post Ludovici XV. Regis edictum, mense Majo an. 1768. enuntiatum, in Gallia quidem, perpetuis Vicariis libras quingentas, amovibilibus vero ducentas addictas esse.

PRÆSUMPTIO *in religionis negotio*. In eo est hæc posita, ut perstringentibus religionis & rationis luminibus

nibus oculi pertinaciter occludantur; perspectæ veritates, nihil obstante conscientiæ dictamine, non sine acerbitate ac furore impugnentur; proprius sensus privatæque notiones totius terrarum orbis unanimi sententiæ præferantur; exagitetur perpetuisque blasphemiis impetatur divinitas, dum vel ejus existentia prorsus negatur, vel ipsa, subductis ex parte attributis quibus est prædita, mutilatur; non plus obsequii deferatur humanis potestatibus quam divinæ, immisso furoris impetu in politicum moralemque ordinem qui ad formandos mores & acta civium statutus est; nunquam non per exsecrandam pervicaciam clametur Deum & principes, hominum oculis eum exhibentes, nihil minus quam barbaros tyrannos esse, quia justi sunt, suarumque legum infractiones puniunt. Nimirum absurda hæc & ejusmodi alia prorsus innumera, perfricta fronte obfirmato animo propugnata conficiunt præsumptionis crimen ejusque cumulum in delirantium hominum cerebro, qui eo temeritatis abeunt, ut eadem asserant.

PRAXIS PIETATIS. In omnes pietatis exercitationes exclamat impius. Quæ cæcitas! Existit mundi hominisque potissimum creator Deus; una & unica impietas, cæca impietas splendidam hanc meridiana luce clariorem veritatem, igneis notis alte in cujusque animo impressam perspicere nequit. At, si creator existit Deus, existit ergo religio quæ creaturam rem intellectu præditam cum suo benefico auctore copulet; quod si quæ est religio, sit etiam, necesse est religiosus cultus homini congruus, quemque homo suo ipse creatori Deo non præstare non potest. Jam vero cultus qui unus homini cumulate congruit, est animi & corporis duplex cultus, internus scilicet externusque qui efficere solus potest, ut homo sua erga Deum officia persolvat, cum æque ab eo acceperit substantias duas quæ ejus essentiam constituunt, animum & corpus dico. Homo sine ullo cultu, nihil est aliud quam rationis expers brutum quod in terris vegetat; & sine externo cultu, est injustus fur qui divinitati quæ ipsius creatrix est, obsequiorum partem adimit ac surripit, quæ ob creationis beneficium eidem debet; hæc autem injustitia eo est deterior nequiorque, quod in præsenti rerum statu diutius constare non potest internus cultus sine externi subsidio, qui ejus alimentum & fulcrum est. Ad hæc, cum externus cultus nil demum aliud quam nativa expressio ac veluti fluxus interni sit, unus sine alio subsistere nequit; quod si quis unum tantummodo recipit, utrumque de medio funditus tollit, adeoque omnia Creatoris in condendo homine consilia frustratur.

PRECES. Occurrit precis necessitas omnino simul & hominis miseriis nixa, & Dei supremo dominio, qui potest eidem, prout opus habuerit, auxilium ferre. Non est ergo Sacerdotum quoddam inventum prex; clamor est indigentis petientisque naturæ quæ suapte vi se ipsa ad eum vertit, quem scit in omni vicissitudinum ac sollicitudinum genere sibi solatium afferre posse, quin magistris indigeat, e quibus id doceatur. Non igitur ut Deo suam ipsorum acerbam tristemque conditionem significent, afflicti homines ad Deum confugiunt; is eam melius quam ipsi novit; neque ut eum ad voluntatem super eorum sorte mutandam adigant permoveantque; est is immutabilis; bene vero ut ejus mandato pareant, quo jussi sunt suas ei miserias ad humilitatem compositi exponere, ejusque æternæ voluntati obsequantur, quæ ea est, ut non nisi precantibus necessaria subsidia concedat, pro multiplici afflictionum genere, quibus premuntur; secundum immutabiles ejus infallibilis providentiæ leges, quæ non nisi precantibus se in consueto cursu ea concessuram statuit, quæ per precem quidem omnibus conditionibus ad impetrationem idoneis ab eadem peterent. Multum ergo abest, ut Christifideles qui Deum precantur, efficere se posse putent, ut suam ii voluntatem mutent, cum eum non alia de causa orent & obsecrent, quam ut ejus voluntatem ipsam perficiant, qua jubentur a Deo petere, quæ ad eorum preces tantum se concessurum decrevit.

PRODITIO. Ecclesiam accusat incredulus, quod ipsa sibi id juris tribuat, ut tyrannos, hæreticos, infideles prodat aut prodendos curet. At quicumque Ecclesiæ mentem & doctrinam novit, invicte scit eam Regibus tanquam divinitatis vivis imaginibus eamque repræsentantibus honorem deferre, quippe quæ persuasum habeat suam eos potestatem proxime e Deo tenere, & a nemine prorsus in civilibus ac temporalibus rebus pendere; nunquam licere, directe vel indirecte, eorum vitæ insidias parare, abusus, injustitiæ, tyrannidis obducta causa; hæreseos, infidelitatis & incredulitatis crimen non esse ad hominum tribunal morte dignum ipsum per se, & hac punitione dignum tum solum esse, cum in ditionibus turbas excitat, & cum perduellione ac seditione, quod fere semper evenit, conjunctum cernitur; Ecclesiæ mens & doctrina ejusmodi est. Judices in præsentia, quisquis omnino non desipit, quæ tandem accusationis in eam confictæ veritas, quæ juris existentia sit, quod ipsa sibi tribuere ponitur, ut hæreticos, tyrannos, incredulos jugulet seu jugulandos curet.

Incassum, ad fulciendam calumniam, afferentur in medium horrendæ complures cædes, venenorum propinationes, capitales insidiæ, proditiones, sanguinolenta fœdere, instructæ equestres acies, civilia & extranea bella. Equidem paucis respondeo Ecclesiam non approbasse nec approbaturam unquam esse eorum quicquam, quæ injusta & barbara sunt in tragicis omnibus iis eventis, quorum vituperatio rejicienda non est nisi in animi præposterum impetum quo abrepti nequam homines se religionis velo callide contexerunt, & in credulorum hominum simplicitatem, quibus perspicaciæ non satis erat, ut ambitiosorum hominum, pietatis speciem præseferentium qui eorum opera abutebantur, arcana consilia pervaderent.

PROTESTANTES. Non opus habemus lectores nostros monere, Germaniæ Lutheranis id nominis tribui, quia contra Caroli Quinti *Interim* protestati sunt, & ad generale concilium appellarunt. Illud *interim* erat Imperatoris Caroli Quinti sanctio ad Germaniæ pacem super articulis ad religionem spectantibus, quoad Tridentina synodus definiret; hæc vocabuli *interim* origo fuit. Nec magis est, quod moneantur lectores nostri *protestantium* nomen deinde Calvinistis quoque & Anglicanæ religionis affeclis tributum fuisse; at quod eorum interest scire, quodque nos referendum suscipimus, illud est, quid, ad Galliarum protestantes quod attinet, superiore anno contigerit e falso rumore qui percrebuerat, publicum captum esse consilium, ut Ludovici XIV. Regis edictum quod Nannetense revocat, abrogaretur, & protestantium matrimonia legitima declararentur. Quidam se Parochum dictitans, in publicam lucem libellum emisit inscriptum: „ Dialogus inter Episcopum & Pa- „ rochum super Protestantium matrimoniis“, in quo persuadere clero nititur, ex ejus re esse, eam matrimonii libertatem in protestantium gratiam a Rege obtinere, ut ii coram laico judice, & quin sacramentum intersit, legitime matrimonium inire possint. Oppositus fuit huic dialogo libellus cui titulus: „ Pro- „ testantium rejecta contentio ex eorum apologistæ „ principiis & verbis ipsis quæ in ejus dialogo cum „ Episcopo, super eorum matrimoniis occurrunt.“ Jactatus Parochus, dialogi auctor, voluit ad rejectos protestantes responsum dare per 140. paginarum libellum inscriptum: „ De protestantibus Dialogi prosecu- „ tio“; seu D. Parochi ** ad libelli qui inscribitur: „ Protestantium rejecta contentio“, auctorem responsio. Rejectorum protestantium auctor reposuit per alium libellum cui titulus: „ Rejectorum protestan- „ tium prosecutio; seu parochiani D. Parochi **, „ quæstiones centum, ut ad ejusdem Dialogi prose- „ cutionem responsionis loco sint, &c.“

Quoniam argumenta in peculiaribus iis operibus agitata, potissimum ad religionis bonum & regni tranquillitatem, gravissimi momenti sunt; nos quidem lectori utile gratumque facturos credimus, si eorum analysin ob ejus oculos posuerimus.

*Analysis Dialogi Parochi ** cum Episcopo, super Protestantium Matrimoniis.*

Contendit auctor, 1. Siquidem renuatur Galliæ protestantium matrimonia legitima pronuntiari; „ Regi- „ men eos adigere, ut sacramenta per sacrilegam du- „ plicitatem profanent; 2. Nihil hactenus factum es- „ se, ut protestantes ad Catholicam religionem redi- „ gantur, nihilque quo non potius ab eadem averti „ possent; 3. Veram felicis hac in re exitus ratio- „ nem fore, ut Episcopale corpus legalem in regno „ existentiam, & in civium classem restitutionem iis „ obtineret; 4. Edictum Nannetensis revocatorium, „ vexatorium esse, quippe quo civium millia non „ alia de causa suo ipsorum statu spoliantur, quam „ quia sequuntur conscientiæ motus, quæ nostris tan- „ tum oculis erronea est; 5. E regni incolis bis de- „ cies centena millia matrimonium inire non posse, „ quin per duram necessitatem alterutrum subire de- „ beant, ut nempe vel suas uxores concubinas suos- „ que filios spurios declarari videant, vel suam ipsi „ conscientiam pedibus terant; 6. Sacerdotis benedi- „ ctionem necessariam non esse, ut viri cum fœmina „ conjunctio statuatur, insolubilisque reddatur; 7. Ma- „ trimonii alter atque Ecclesiæ ditionisque leges fe- „ runt,

„ runt, ineundi libertatem protestantibus recusari,
„ esse iis ad postremam analysin dici: aut conjugium
„ non inibitis, aut ad Catholicam Ecclesiam redibi-
„ tis; ipsique etiam Deo dici: aut tu protestantes Ca-
„ tholicos redde, aut eos nos in cœlibatus vinculis
„ detinebimus; 8. Si protestantium filiis Baptismus
„ extra parœcias conferretur, nihil inde damni vel
„ Ecclesiam, vel Sacramenta, vel protestantium filios
„ subituros; 9. Eos ab errore non aliter revocari pos-
„ se, quam si eorum conscientiæ animoque libertas
„ præbeatur, iisque placida & tranquilla vitæ ratio
„ firmetur; 10. Quoniam in pluribus regni urbibus
„ publicus suæ religionis cultus Judæis conceditur,
„ eumdem protestantibus quoque concedi debere;
„ 11. His etiam deberi, quicquid Christiana religio
„ humanitasque præscribunt; 12. Catholicis Principi-
„ bus eam facultatem suppetere, ut protestantes cum
„ eorum religioso cultu eorumdemque matrimoniis
„ tolerent, quemadmodum in Germania & alibi in
„ usu positum est; 13. Huic tolerantiæ seu veniæ nec
„ Dei nec Ecclesiæ leges opponi, quandoquidem pri-
„ mis Christiani nominis seculis, complura erant fi-
„ deles inter & infideles conjugia; bonæ protestan-
„ tium fidei rationem habendum esse."

Rejecta Protestantium contentiosis Analysis.

Ostenditur hoc in opere, 1. Regimen quod vellet protestantium matrimonia legitima declarare, nulla prorsus ratione eosdem adigere, ut Sacramenta profanent, & hanc profanationem in protestantes ipsos unice cadere, qui sua ipsorum pura putaque culpa, avertant a luce oculos, obfirmantque animum ad polluenda Sacramenta quæ deberent ita comparati suscipere, ut Dei jussio, Ecclesiæque ac regiminis votum requirunt; 2. Galliæ clerum nec preces, nec lacrymas, nec gemitus, nec cohortationes, nec tum ore tenus, tum e scripto, omnis generis documenta, nullam denique suavitatis & persuasionis rationem, ut protestantes lucraretur, oblitum esse; 3. Obtinere a Rege veniam ut edita lege protestantes in regno versentur, suum libere matrimonium ineant, suumque cultum peragant, idem fore ac eorum resipiscentiæ invictum obicem ponere; neque enim amplius edoceri possent, & nulla pateret via, ut communione cum Catholicis jungerentur; 4. Edictum quod Nannetense revocaret, justum & legitimum fore, seu finis, seu substantia, seu adjuncta spectentur; 5. Protestantibus esse præ manibus (cum gratiæ subsidio) brevem certamque rationem que duram optionem evitent, ut vel uxores concubinas filiosque spurios declaratos videant, vel conscientiam pedibus terant; atque esse, ut ingenue veritatem quærentes, ejus cognitionem e Deo petentes, documentis aurem præbentes, &c. erroneam conscientiam deponant; quod si protestantium conscientia ad eos excusandos sufficeret, eamdem non minus excusaturam errantes quosque; Judæi, Ethnici, Athei, Deistæ, Materialistæ, omnes & singuli dicerent se non posse suas opiniones deserere, quin pedibus conscientiam terant; 6. Sacerdotis benedictionem necessariam quidem non esse, ut viri & fœminæ conjunctio statuatur insolubilisque reddatur; bene vero ut divinæ civilesque leges serventur, quæ sine Sacerdotis benedictione matrimonium iniri vetant. ea secus indicta pœna, ut secus initum nullum prorsus & irritum sit; 7. Nolle protestantibus liberum esse alia ratione quam secundum Dei, Ecclesiæ ac ditionis leges conjugia celebrare, nihil aliud esse quam iis optionem dare, ut vel a conjugiis abstineant, vel ea e legibus meant; quod si secus egerint, eadem nulla & illegitima stat: quod utriusque potestatis officium est, nullique difficultati subesse potest, nisi forte quoad perduelles qui nullum frenum ac jugum norunt, sibique ab utraque potestate concessum volunt, ut divinas, ecclesiasticas & civiles leges pro lubidine violare possint; 8. Si protestantium filii extra parœcias baptizarentur, magno id detrimento fore quoad Ecclesiam quæ suo sa jure spoliatam videret, nec amplius ita baptizatos extra templorum ambitum pueros ad ipsius sinum redituros sperare posset; quoad Sacramenta qua profanantur, quoties schismate aut hæresi fœdatis manibus conferuntur; quoad baptizatos pueros qui hæreticorum & schismaticorum veneno infectam doctrinam cum lacte sugerent; 9. Protestantibus data venia, ut libere ac tranquille vivant, eorum errores in tuto poni, ed resipiscentiam, atque adeo de ea cogitandum iis omnem aditum intercludi, eosdem a gratiarum fonte amoveri, sibique credere se, perfida tranquillitate favente, felici pace reapse frui, quæ non nisi in Ecclesiæ sinu, quam deseruere, locum habet; 10. Nullam judæos inter & protestantes paritatem esse, propterea quod in priores qui nunquam Christiani fuere, nihil juris Ecclesiæ suppetit, cum eidem indubitata quæque præscribi nequeunt, in protestantes jura sint, qui non solum Christiani sunt, sed aliquando vixerunt in Ecclesiæ sinu, cui se immerito subduxerunt; 11. Detur, non pugno, protestantibus multo plus quam Christiana religionis & humanitatis leges postulant, exhibeantur iis omnia quæ quidem possunt, honestatis, urbanitatis, amicitiæ quoque argumenta, quæcumque mente percipi possunt adjumenta, æqua demum officia omnia quæ homines in societate viventes sibi mutuo persolvere consueverunt; 12. Catholicos Principes posse quidem ac debere hæreticos cum eorum religioso cultu tolerare, cum eos absolute aut sine gravi discrimine reprimere nequeunt, aut cum satis gravia iis præsto sunt, ut eos tolerent, rationum momenta; at hanc potestatem non iis suppetere, cum eos reprimere facile possunt, aut cum eos tolerendi legitimæ causæ desunt, aut denique cum tolerantia in absolutam expressamque veniam abiret. Protestantes Germania tolerat, quia nihil melius æquiusque facere potest; & alia ex parte, experientia compertum est tolerantiam quæm prava effecta in Germania secuta non sunt, pessima in Galliis secuta esse; 13. Dei & Ecclesiæ legem huic tolerantiæ adversari, tametsi priora Christiani nominis sæcula Christianas puellas haud raro infidelibus nuptas viderint. Sæculares potestates lædendi & exacerbandi timor, quæ nonnunquam ejusmodi conjugia suarum legum vi fulciebant; catholicarum partium qua cum infidelibus aut hæreticis matrimonium inibant, perspecta virtus quæ eas ab omni seductionis periculo in tuto ponebat; satis firma infideles aut hæreticas partes ad Catholicam fidem trahendi spes; hæc rationum momenta ei usui favebant, qui probat semper in Ecclesia creditum esse non licere Sacramentum & civiles contractus in Christianorum matrimonio sejungi, extra expressæ exceptionis casum qui unus is demum est, in quo seu infidelis seu hæretica pars resipiscentiam promittit. Hic igitur usus non probat nullius divini præcepti vi Sacramentum naturali & civili contractui in Christianorum matrimonio addi oportere; id unum probat Deum super præcepto quod edidit, dispensare, cum satis affulget spei lnre, ut infidelis aut hæretica pars errorem deserat, quin ullum, quoad fidelem partem, perversionis periculum subsit; 14. Ut bona fides in pluribus atque adeo prope in omnibus Gallia protestantibus poneretur, non proinde tamen adhuc esset, quod errare pro libito in sua cæcitatis tenebris sinerentur; edocendi essent, illustrandi, & per licita omnia adjumenta, eorum apertis oculis, præjudiciisque sanatis, adducendi, ut veritatem amplecterentur. Jactata ergo protestantium bona fides haud satis gravis ratio est, quamobrem conscientiæ libertate quam petunt, digni sint; eamque, ob hanc per insidias obductam causam, iisdem concedere, esset, invincibilem & excusabilem in sectis omnibus ignorantiam, quoad plerosque omnes cujusque generis hæreticos, securitatem & salutem, omnium denique errantium hominum philosophicam tolerantiam recipere; horrendum scilicet placitum, seu potius deliramentum quod propugnari non potest, estque prorsus intolerandum, non solum quoad religionis ministros, quibus ut illud persuadeatur, conatus quo nullus blandior, intenditur, sed quoad omnes præterea Catholicos Principes qui Ecclesiæ dilecti filii, obsequentes ejus discipuli, ejus auctoritatis & legitimorum jurium tutores ac vindices, ejus denique fidei, ejus legum, ejus cultus, ejus regiminis tutores, custodes, patroni sunt.

*Analysis prosecutionis Dialogi super Protestantium conjugiis, seu D. Parochi ** ad libelli inscripti,* Protestantium rejecta contentio, *auctorem responsio.*

„ 1. Matrimonium naturalis juris est; huic juri
„ epocham statuit momentum ipsum quo creator Ada-
„ mum & Evam in Paradiso collocans, dixit: *cresci-
„ te & multiplicamini;* sacramentalia verba quæ a
„ Creatoris ore prodeuntia, naturæ codicem jam tum
„ contexunt, ejusque legum primam imprimunt in
„ amborum sexuum sinu, inexaustæ fœcunditatis
„ principiis ibidem satis, *pag.* 10.

„ 2. Omnes matrimonio posteriores leges editæ qui-
„ dem sunt, ut ejus abusus reformarentur, non au-
„ tem ut ei tribueretur sanctio quæ solum e creato-
„ ris subsidio ducitur. Nonne igitur ea conjugalium
„ fœderum vis & ratio est, ut ab arbitrariis, quæ-
„ cumque fuerint, statutis omnino non pendeat?

„ 3. Suam (jurisdictionem) Ecclesia redigere ad
„ ritum

ritum debet, qui ad Sacramenti edministrationem statuius est, *pag.* 17.

„ 4. Hæratici, incredulí, ad depravationem licentiores bomines, ad regium patrocinium jus obtinent ei par, quo fue-in fida Christiani orthodoxi, & in sua ageudi retione regulares gaudent, *pag.* 17. 18.

„ 5. Omnia, quoad subditos hæreticos, regis officia ad unum tentummodo redjguntur, ut scilicet eos humaniter habeant, aorum fidentiam sibi concilient, & persuasionis adjumenta, quæcumque possunt, adhibeant. Quodvis aliud officium, meo quidem judicio, chimericum, eut cæca enticipationis effectus, eut pii fanatismi fructus, aut Machiavelismi qui sustiueri nequit, consecutio est, *pag.* 18. 19.

„ 6. Omnis potestas quæ officium impetit, nulla & usurpata est, *pag.* 19.

„ 7. Ie animo est hæresis; et ex quo tandem imperanti est in animum jus? Quis unquam Principum eam sibi facultatem erogevit, ut intelligentias ad sui tribunalia pedem acciret? Ignorasne spiritus nullam prorsus ensam supremæ justitiæ executori præbere?

„ 8. Maxima infectus hæreticus ita nullam Principi rationem reddere debet, ut eum super fide interrogandi jus, penes Principem, nullum est, *pag.* 32.

„ 9. Extra civilem ordinem nullus regiæ auctoritatis influxus, nulla vis est, *pag.* 52.

„ 10. Statuendum e tribus unum, ut nempe vel omnes protestentes a regno expellantur, vel sua iis religio relinquatur, vel fidam nostrem emplectantur.

„ Suos protestantibus ministros adimere, est iis dicere: volo vos in meis ditionibus sine religione, sine institutione vivere, atque adeo Christianos esse desinere, nisi Catbolici evaseritis, *pag.* 62.

„ 11. Horrendum est dicere Catbolicum Regem jubere posse, ut ejus subditorum hæreticorum filii in Catholicorum Ecclesiis baptizentur; posse etiam hæreticum cultum interdicere, & matrimonia contra Dei, Ecclesiæ & ditionis leges inita, tamquam legitime non spectare, *pag.* 82.

„ 12. Operam dare, ut hæretici e perditionis via revocentur, esse secundarum causarum cursum invertere omnipotentis decreta reformare, civilem ordinem perturbara, ferrum & iguem in regionem inferre, in quam non nisi evangelium in una menu, & crux in altera ingredi debent.

„ 13. Dicere, cum hæreticis favorabiliter agendum esse, quia conscientiæ motus sequuntur, quem rectam putent, quæque quoad nostros tantum oculos errones est, non est ponere tamquam certum eos innocentes esse; nec vituperari possunt, nisi iis tribuatur affectata Catholicorum dogmatum ignorantia, *pag.* 87. 88. 89.

„ 14. Dicere catholicam Ecclesiam præ hæreticis jure pollere, principii petitio est; est partes in judices erigere, &c. *pag.* 90.

„ In veritatis hostes mulcta, est eidem illata via, *Ibid.*

„ 15. Protestantes, cum se ab Ecclesia sejunxerint, ejus legibus non tenentur, *pag.* 98.

„ 16. Ecclesia, quod ad Christianorum matrimonium attinet, in id unum influit, quod internam gratiam, & spiritualia emolumenta, Sacramentis addicta spectat, quas religiosas Ecclesiæ institutiones auctor appellat. Ei quidem matrimonia in cubiculo peracta abrogare non licat, *pag.* 100. 101.

„ 17. Formarum quoad matrimonium determinatio coactivam potestatem necessario ut certam poscit, *pag.* 104.

„ 18. Nulla est Principis lex quæ protestantes ad matrimonium e Catholico ritu ineundum adigat, *pag.* 106.

„ 19. Inter hæc duo, non inire matrimonium & catholicam fidem amplecti, est aliquid medium, videlicet, valide & legitime nubere, violere Dei & Ecclesiæ lege, *pag.* 108. 109.

„ 20. Protestantes adigere, ut secundum Dei, Ecclesiæ ac ditionis leges matrimonium celebrent, est menta conficta systemata primitivo ordini anteferra, pugionem in naturæ sinum immittara, intimam ipsam hominis substantiam impetera, societatis fundamenta sui in animum statuendi despotismi cupiditati per apertissimam infamiam immolara.

„ 21. Toto, quod dicitur, cælo distant propositiones hæ: aut pœnitentiam agetis, aut omnes peribitis, nec ad Sacramenta admittemini; aur nubetis e Dei, Ecclesiæ & regni legibus, aut nec valide nec licite matrimonium inibitis, *pag.* 110.

„ 22. Ne minimum quidem in Rege peccatum est, qui, cum in ejus ditionibus essint subditorum qui a Romana Ecclesia segregati sunt, bis decies centena millia, peculiares formas statuit, quibus eorum & legitima matrimonia, & filii legitimi fiant, *pag.* 112.

„ 23. Ad implicationem tollendam præ protestantium turbæ, qui animum obfirmant, ut Sacramenti in matrimonio divinam institutionem tamquam inutilem & mere imaginariam, catholicosque tamquam idololatras spectent, id unum apprime expedit, ut sinantur pro ipsorum arbitratu nubere. Secus, impugnator læditurque natura, vel homines cogi iubet obstacula vincere, quæ superara omnino non possunt.

„ 24. Protestanti non magis inter catbolicos, quam catholico inter protestantes nomen dandi moralis potestas suppetit, *pag.* 113. & seq.

„ Protestentes adigere, ut e catholico ritu nubant, est naturam contra gratiam, Deum creatorem contra Deum redemptorem armis instruere, &c. *p.* 118.

„ 25. Quidni cum protestentibus ut cum Judæis agitur, quibus conceditur, ut a suo ipsorum usu matrimonium ineant?

„ 26. Ecclesiæ leges non efficiunt nisi ejus filios; eumque super matrimonii articulo ejus jugum excussum est, reditur ad commune jus, *pag.* 127.

„ 27. Cum Ecclesiasticas super matrimonii cæremoniis leges adoptat Princeps, id facit, quin eum super eadem re statuendi jure se spoliet; eique hanc potestatem adimera, est declarare eos posse conscientias reformare, utriusque sexus naturam avertere, & organicam corporum structuram mutare, *pag.* 129. 130.

„ 28. Quæ vehementius ad infamiam este legislatio, quamquam, vel levissime imposita pœna, prohibere, ne sexus duo naturæ instinctum sequantur?

Analysis Responsionis ad Dialogi prosecutionem, hoc titulo in lucem editæ: Parochiani Quæstiones centum ad D. Parochum **.

1. Protestantes catholicis comparare, quod facit Dialogi Prosecutionis auctor, utrosque super eadem linea ponera, & contendere non magis catholico id juris essa, ut protestanti veros errores, quam protestanti, ut catholico jactatam idololatriam exprobret, est veritatem inter & errorem nihil discriminis ponere; peculiares omnes notas delere, quarum ope tuto utrumque dignoscitur; religionis & cultus indifferentiam firmare; causam hominibus in cujusque generis errores ebreptis, schismaticis, hæreticis, deistis, materialistis, atheis adjudicare; eadem omnibus jura suppetent, quia nemo se in errore versari credet.

2. In naturæ codice haud sane nubendi, sed Dei, naturæ auctoris adorandi prima lex est. Absurdus error est proponere matrimonii legem per creatoris verba eum inhexaustæ fœcunditatis principio in utriusque sexus sinu impressam essa; quandoquidem, si ita se res haberet, necesse omnino esset, ut omnes utriusque sexus personæ quibus fœcunditatis principium inest, matrimonium contraherent. Nec minus absurdum est dicere verba hæc, *crescite & multiplicamini*, sacramentalia esse. Si ita esset, ea semper in matrimonii celebratione pronuntiari debuissent, nunquamque omitti, ipsa alia substitui potuissent.

3. Utriusque potestatis, licet matrimonio posteriores, positivæ leges editæ sunt, ut ei sanctio tribueretur, illudque firmaretur aut infirmaretur, seu validum vel invalidum declararetur; certum quippe est utramque potestatem eo jure pollere, ut matrimonio dirimentia apponat impedimenta; nec contendi posse hac facultate Ecclesiam carere, quin in expressam hæresim incidatur, quam damnat sancta Tridentina Synodus, Sess. XXIV. *de Sacram. Matrim. Can. IV.* Suam proinde jurisdictionem Ecclesia non debet ad ritum redigere, qui ad matrimonii sacramentum administrandum institutus est; sed eam protendere debet ad omnia quæ putat ad suorum filiorum salutem necessaria, qui matrimonii statui se addicunt.

4. Omnes Regis subditi ad regium patrocinium præsidiumque certo quodam jure gaudent, quoniam non nisi ad Principem pertinet suorum subditorum sortem, quamvis ejus patrocinio & legum beneficio indigni sint, moderari. At contendere declaratos impios, & ad licentiam nequiores homines eodem ac civium optimos ad regium patrocinium jure gaudere, est ignorare e præcipuis Principis officiis unum esse, ut bonos quidem honore afficiat compensetque, impios autem ac depravatos reprimat, puniat, & pœnis subdat. Falsum proinde est omnibus Regis subditis, bonis

malis-

malisque catholicis, impiisque idem jus ad regium patrocinium suppetere.

5. Hinc & illud consequens fit omnia regis officia, quoad subditos hæreticos, ad unum redigi, ut humaniter scilicet eos excipiat, eo consilio, ut eorum fidentiam sibi conquirat; omneique, quoad fieri per eum potest, persuasionis rationes impendat. Ita Regis officia, quoad subditos hæreticos, circumscribere, est tum non modo ad purum putumque, quoad illud subditorum genus, catechistæ munus redigere, verum etiam solemnem in modum tanquam cæcos fanaticos, & intolerandos machiavellistas, omnium sæculorum christianos omnes Reges damnare, qui sibi id juris esse crediderunt, suos ut subditos hæreticos moderatu punirent, atque ita ad mentem redigerent, & ad resipiscentiam compararent.

6. Potestas quæ officium impetit, sua abutitur auctoritate; et hic abusus non efficit, ut eadem nulla & usurpata potestas sit; abusum damnans Deus defendendam potestatem sumit, & attingi vetat, quippe quæ ab ejus tantum tribunali, e quo est instituta, subest.

7. Quamvis hæresi omnibusque universim vitiis suus in animo sons iniumque principium sit, id tamen non impedit, quin improbi & nequam homines quoad corpus simul animumque puniantur; & vere histrionicum ac summopere ridiculum est Dialogi auctorem graviter quærentem audire, an Princeps eam unquam facultatem sibi arrogaverit, ut intelligentias ad sui tribunalis pedem acciret.

8. Si hæreticus quo magis nullus infectus, suam in semetipso corruptionem ita contineret posset, ut ea neminem inficeret, Princeps dubio procul id ignoraret, eumque super hac re turbare non posset; at cum hæreticus hic corruptus quicquid ad eum accedit, contagione ac peste efficit, tum vero Princeps non minus eum segregare & concludere, quam peste corruptos in eundem modum habere potest, ut cæterorum contagium corruptionemque anteverteret.

9. Regiæ auctoritati omnem vim influxumque extra civilem ordinem denegare, est omnibus christianis Regibus suas legislatorum, supremorum in suis ditionibus capitum, quoad Ecclesiæ canones custodum & vindicum, quoad externam formam Episcoporum &c. prærogativas & dotes adimere.

10. Suos protestantibus ministros eripere, est iis dicere, quod par est, in votis esse, ut adjumentum fument per quæ boni catholici evadant, perficientes, ut eorum filii baptizentur & erudiantur in parœciis, ipsi catechesibus quæ ibidem fiunt, adsistentes, oratam & bonis operibus vacantes, ut resipiscentiæ gratiam ad se trahant.

11. Horrendum sane puniendumque in catholicorum Regum auctoritatem molimen & facinus est eo audaciæ ac temeritatis abire, ut propugnetur non iis id juris esse, ut suorum qui hæretici sunt, subditorum filios in catholicorum Ecclesiis baptizari jubeant, hæreticum cultum vetent, & illegitima declarent conjugia contra Dei, Ecclesiæ ac ditionis leges inita; cum utpote divinitatem repræsentantes, & Ecclesiæ majores filii, ejusque fidei, legum, disciplinæ custodes & vindices id non modo possint, sed etiam debeant.

12. Id proponere, eum qui operam det, ut hæreticos e perditionis via retrahat, secundarum causarum cursum invertere, omnipotentis reformare decreta, nihil est minus quam aperte in omnipotentem blasphemias evomere, qui nempe hæreticorum damnationem decrevisse ponitur, quin ad eorum salutem incumbi vellet, Ecclesiamque & ejus omnes ministros eodem spiritu animatos absolute damnare; qui maxime, si quid aliud, suum esse putant, ut indefessam hæreticis ad bonam frugem trahendis operam navent.

13. Dialogi auctor hæreticorum innocentiam ubique ut certam ponit, quia conscientiæ motus sequuntur, qua iis recte videtur; indubitatumque est eos vituperari posse atque adeo debere, quin iisdem catholicorum dogmatum affectata ignorantia tribuatur; ad id satis est eos in *crassæ* seu *pinguis* ignorantiæ specie versari, negligentia scilicet, quæ impedimento sit, quominus hæc dogmata edoceantur, quia ea nescire reapse student.

14. Dicere in hæreticos catholicæ Ecclesiæ jus esse, non est principii petitio, nec erigere partes in judices; est potius dicere nec Regem in subditos, nec patrem in filios suis juribus ob eorum desertionem excidere; est dicere Ecclesiam filiorum apostatarum qui eam deserunt, matrem esse non desinere; nec iis ingratis filiis id privilegii per apostasiæ crimen acquiri; ut ne pendeant, & liberi sint; est demum dicere eosdem rebelles filios efficere non potuisse, ut eorum mater judicis titulum ob eorum perduellionem amitteret; sed hunc ipsum in suos perduelles filios ei semper fore; eosque non minus debere, spectato jure, eidem parere, quam si reapse nunquam ejus sinum deseruissent.

15. In veritatis hostes molesta nedum veritatem ipsam impetit, vere ejus legibus obedientiam conquirit. Utique, veritas, blanda veritas, suos in hostes pœnas quidem statuit, sed quæ medicinæ loco sunt, & salutem afferunt; eo enim spectant, ut ita oculos paulatim aperiant, eosque sensim ad eam perspiciendam, diligendam, suscipiendam comparent. Fuit hæc nullo non tempore Ecclesiæ ejusque doctorum mens. Persuasum iis semper fuit eam moderatis pœnis inesse vim, ut peccatoribus & hæreticis ad resipiscentiam viam sternerent. Id ii quidem & crediderunt, & executioni proinde cum successu mandarunt.

16. Dicere Ecclesiam, quoad christianorum matrimonium, in id unum influere, quod internam gratiam & spiritalia emolumenta sacramentis addicta spectat, & conjugia in cubiculo perfecta abrogare non posse, est dicere Ecclesiam non eo jure pollere, ut dirimentia impedimenta christifidelium matrimoniis apponat; ac jus hoc Ecclesiæ negare, est expressam hæresim, a sancto Tridentino concilio, *Sess. XXIV. de Sacram. Matrim. can.* 4. contra Lutherum damnatam asserere.

17. Ad matrimonium præscriptæ formæ coactivam potestatem quoad externum quidem forum ponunt, quoad internum vero non item; videlicet, non habet Ecclesia præ manibus necessarias vires, ut contra leges conjugatos separet; at non minus ei juris est, ut formas statuat, quæ ni serventur, iis destituta conjugia nulla sunt, & saltem per spiritales pœnas conjuges adigat, ut mutuo secedant.

18. Inter Principis leges quæ protestantes matrimonium inire jubent, recensentur potissimum constitutio Blesensis, ab Henrico Rege III. mense Majo an. 1579. edita; alia Regis Henrici IV. mense Decembri an. 1606. alia Ludovici XIII. mense Januario an. 1629. edictum Ludovici XIV. mense Martio an. 1697. &c. At si nulla tandem extat Principis lex quæ Galliæ protestantes a catholico ritu nubere jubeat, D. Parochi dialogus argumento caret. Quid ei ergo in mentem venit, sumpto calamo, legis revocationem petere, quæ nec exitit nec unquam existet? Ipse sibi phantasmata quæ impugnet, creat.

19. Deus, Ecclesia, civile regimen abrogant christianorum conjugia quæ sine sacramento peraguntur. Fieri omnino non potest, ut valide liciteque nubatur, quin sacramentum suscipiatur.

20. Asseri nequit sine extrema ad impietatem & blasphemiam insania, omnium deliramentorum apertissimum esse protestantes cogi a Dei, Ecclesiæ civilisque regiminis legibus nubere; hujusmodi enim assertu Deum, Ecclesiam, civile regimen aperte damnat, quorum unanimi consensione hæc protestantibus lex imponitur; lex, inquam, quæ naturæ legi nulla prorsus ratione contraria est, ut identidem dialogi auctor enuntiat, quin tamen ridiculi penitusque histrionici molimini ignominiam effugiat; quasi vero natura sinere aut jubere posset omnes ex utroque humani generis sexu individua mutuo copulari brutorum instar, non alia servata forma, quam ut brutali quoad mutuam conjunctionem trahuntur, instinctui obsequantur; quasi vero natura ipsa quæ sinit, consulit, jubet etiam in aliqua facti specie nubere, eodem tempore non mandaret, ne id fieret, nisi Dei, Ecclesiæ, ditionis servatis legibus; quasi vero Deus, Ecclesia, Princeps non eo prorsus certo ipsiusque naturæ lege firmato jure pollerent, ut nubere volentibus regulas præscriberent, quarum violatione conjugia quæ inire auderent, nulla & illegitima redderentur.

21. Nullum est, spectata vi, inter has propositiones discrimen: aut pœnitentiam agetis, aut omnes peribitis; nec ad sacramenta admittemini; aut nubetis a Dei, Ecclesiæ, ditionis legibus, aut conjugium a vobis initum nec validum nec licitum erit. Ratio est, quia propositiones hæ ad certas quasdam conditiones, obtinendi finis gratia, in postrema analysi rediguntur, & nemo potest, nisi desipiat, contendere non id juris Deo, Ecclesiæ, ditioni suppetere.

22. Peccaret sane graviter Rex qui, inconsulta Ecclesia, suis in ditionibus, & contra leges ibidem receptas, peculiares formas statueret, ut conjugia secundum Dei & Ecclesiæ legem illegitime roboraret; tunc enim Princeps qui catholicus ponitur, Dei & Ecclesiæ mandatis obluctaretur, quibus omnino parere debet.

23. Proponere, omnem pro libito nubendi facultatem pertinacibus protestantibus tribui oportere, ea obducta causa, quod aliter fieri nequit, quin cogantur homi-

hominem obstacula vincere, quibus superandis impares sunt; est obfirmato in errore & crimine pertinaciæ gloriosam, quicquid voluerit, agendi privilegium concedere. Nullus, hoc præclaro recepto principio, peccator est, contumax hæreticus nullus, qui dicat se omnino non posse obstacula vincere, quæ ejus resipiscentiæ opponuntur, & in suis prosequi vitiis & erroribus ad extremum usque spiritum persistendi cumulatissimam potestatem sibi relinqui oportere.

24. Si ad Ecclesiam redaundt nulla moralis protestanti facultas est, aut esse potest, &, quod inde consequitur, est, quoad caput hoc, omnis omnino peccati expers, excusentur & salvi fiet omnes hæretici, necesse est. Necessaria est consecutio; non potest auctor, quin eam recipiat, recipiensque ipse secum pugnet, quippe qui alibi dixerit in perditionis via protestantes versari. Nec magis impedire potest, ne subeat animum miseratio, cum dicens auditur, adigere protestantem, ut e catholico ritu nubet, esse, naturam contra gratiam, Deum creatorem contra Deum redemptorem armare. Vetatne ergo naturalis lex, ne quis gratiæ imperio se subdat, creatorque Deus prohibetne & ipse, ne redemptori Deo pareatur?

25. Ratio propter quam cum protestantibus non perinde ac cum judæis agitur, ea est, quia in judæos qui nunquam christiani fuere, nullum suppetit Ecclesiæ jus, suppetit autem in protestantes qui etiamnum christiani sunt, & aliquando catholici fuerunt. Ex alia parte, nihil est quod e judæis seu Ecclesia seu civile regimen timeat; atque e protestantibus in Gallia consociatis nihil non utrique timendum esset.

26. Omnes ad unum christiani per baptisma, Dei & Ecclesiæ filii sunt; Deo igitur ut patri, Ecclesiæque ut matri obedire debent. Contendere porro satis esse jugum excuti, ut hujus obedientiæ lex omnino tollatur, est proponere horrendum placitum quod eo demum abit, ut nullam non inferiorum in superiores conjurationem purget firmetque, &, ut verbo dicam, universum sus deque vertat.

27. Sensum amiserit, necesse est, qui pronuntiare non dubitat, conjugia quæ nulla & irrita declaret Ecclesia, legitima reddendi potestatem Principi adimere, esse ei facultatem tribuere, ut utriusque sexus naturam evertat, & organicam corporum naturam mutet. Cum Princeps aut Ecclesia, vel Princeps simul & Ecclesia declarant nulla suorum subditorum connubia quibus certæ quædam conditiones defuerint, haud sane amborum sexuum naturam avertunt, eorumque corpora organicem formare omnino non mutant; id unum volunt, ut, quin eorumdem natura & corporis organa detrimenti quicquam patiantur, non nisi secundum divinas, ecclesiasticas & civiles leges matrimonium ineant, ut pœnæ secus obnoxii, sua ut nulla declarata conjugia, ex iisque susceptos filios illegitimos videant.

28. Utrique sexui prohibere, ne naturæ instinctum sequatur, quin ulli eam legi subdat, non est ie delirium actæ legislationis, quo nullus ad irritandum animum acrior excessus; est hæc sapientiæ & rationi apprime consentanea prohibitio, atque adeo absolute necessaria prohibitio, ut utriusque sexus personæ in officio contineantur, earumque animi brutales impetus adhibito freno cohibeantur. Facile proinde intellectu est, uter desipiat delireтque, isne qui conjugia cordatis legibus subdit, ut perturbationes sistat, & brutalem instinctum qui utriusque sexus personas ad coeundum fert, moderatur; an qui eas, tamquam immundiores belluas, sibimet ipsis & naturæ instinctui relinquit.

At Rex in suo supremo consilio sedens, quæstionem finiit per arrestum an. 1776. 25. Octobris die in D. Alexandri Pontii, Vernuxiensis sedis procuratoris, contra Joannem Jacobum Pontium, uxoris fratrem, causa editum. Cum Maria pontia, Alexandri Pontii uxor, (ambo protestantes erant) ab annis duodecim nupta, suo universim hærede instituto viro, an. 1773. Octobris 8. die obiisset, Joannes-Jacobus Pontius, defunctæ frater, ejus testamentum impugnavit, quod in Nemausensis Senescalli curia, itemque in Tolosæ senatu bonum & validum declaratum fuit. A Tolosana sententia ad supremum Regis consilium appellavit Hermandus Clerius, Jacobi Pontii defensor; hanc sententiam, Aprilis die 2. an. 1776 pronuntiatam & quicquid eamdem secutum erat, per diei 28. Octobris ejusdem an. 1776. arrestum, in suo consilio sedens Rex abrogavit; & contestationes super quibus se contigaret, revocavit, mandavitque, ut super iisdem, adjunctis effectisque, ie ejus consilio e forma per sanctionem lata partes agerent, ut ita, quod e re foret, statueretur.

En, inquit D. Marsius, auctor ephemeridis tribunalium, n. 43. an. 1776., en paucia præcipue adjumenta per D. Hermandum Clerium, Jacobi Pontii defensorem exhibita.

Spectato matrimonio tamquam civilium contractuum gravissimo, ad christianam tantum religionem pertinet, illud, ut sacramentum, in suæ primitivæ institutionis dignitatem restitutum, insolubile reddere; ejus formam una & unica utriusque conjunctim potestatis auctoritas firmare potest; & quamvis hujus vinculi fundamentum sit mutuus partium consensus, hunc tamen consensum non alia quam ad scandalum facta conjunctio sequitur, nisi eam celebratio validam efficiat.

Per celebrationis igitur actum formis consonum, quas regni leges præscribunt, statuitur ea juris præsumptio in eorum gratiam qui tamquam vir & uxor convixerunt, ea publica possessio quæ civilis status vocatur, quæque præsumere sinit eam a legitime regulisque consentaneo titulo ortum traxisse.

Alexander Pontius, ut Mariæ Pontiæ largitiones colligeret, legalium sui matrimonii probationum loco, exhibuit, 1. contractum diei 16. Novembris an. 1761. 2. actum sponsalium, a domino Peyrotte, protestantis religionis ministro enuntiatum. En ergo titulos quibus, quoad eum utitur, viri status, quibusque permota Tolosæ curia judicavit Alexandrum & Mariam Pontios matrimonium iniisse civilibus effectis utrique firmandis idoneum. Nihilominus, quia in Galliis una tantum religio est, cultus unus, una item forma est ad matrimonium ibidem recepta. Civilis contractus nihil est aliud quam proposita in posterum associatio quæ non nisi per sacramentum existit & vi pollet. Jam vero Alexander Pontius nullum a forma Gallicis legibus præscripta celebrationis proferre potuit; se tantum tueri potuit actu clandestinæ benedictionis ab homine collatæ, cujus in Galliarum regno existentia capitale delictum est; illegitima ergo conjunctio, quæque eam firmet, abusiva sententia est.

Ad fulcienda rationum momenta hæc, D. Hermandus Clerius attulit celebre edictum quod revocat Nannetense, declarationem diei 15. Junii an. 1697. alias an. 1715. & 1724. earum denique legum seriem, quæ omnem religionis quam reformatam dictitant, exercitationem vetant, rotundisque verbis enuntiant eos qui per acta mutuo edita se conjugatos contenderint, *civilibus effectis omnibus, cujuscumque tandem generis fuerint, impares fore.*

Adjumentis a D. Hermando Clario in medium allatis addemus ea quæ leguntur in consulendo monumento, Massiliæ, an. 1774. Millis typis edito, pro Joanna Rubelie, a Nemausensi urbe, contra ejusdem urbis negotiatorem Henricum Ruxium, super matrimonii protestantem inter & fœminam quæ recens ab errore recesserat, redintegratione.

„ In Gallia, laudati monumenti verba sunt, civi-
„ les & religiosæ institutiones ita a legislatore jun-
„ guntur, ut segregari non possint, suntque æque ad
„ legalem matrimonii vim necessariæ, propterea quod
„ ibi una tantum, quæ Principis totiusque ditionis
„ est, probata religio locum habet. Cum enim Nan-
„ netense revocatum edictum, protestansque religio
„ proscripta fuerit, omnis ejusdem religionis usus prohi-
„ bitus fuit, &, quod inde fit consequens, etiam
„ matrimonii forma protestantibus peculiaris, tamquam
„ eorum cultus pars, eorumdemque religionis actus,
„ quia in id nempe suorum ministrorum operam adhi-
„ bent. “

Per sententiam, Februarii die 25. an. 1777. in Delphinatus senatu editam, Dominus *Bermondus* ad damna & lucra erga *Begonam* nomine, quam seduxeret, damnatus fuit; vel, ad curandam matrimonii redintegrationem, quod cum ea contrahere visus erat, cum nullum & illegitimum esset; illud enim non a loci parocho celebratum, sed a ministro protestante benedictum voluerent.

PRUDENTIA. Virtus hæc nullius in religione momenti est, si impio fides; at, si veritas quæritur, est prudentia in religione tam utilis, ut tamquam cæterarum virtutum regula commendetur; eas enim reapse moderatur, in ordine & intra certos fines continet, ne quid præsumant, impedit, & ad singulis propositum finem per legitima adjumenta ducit. Docet prudentia, quid in omnibus rebus faciendum, quid evitandum sit, ut ne quis ad extrema abeat, sed æquum inconcussus medium teneat, quæ est virtutis sedes. Non ergo veræ religioni extranea, sed amica potius & per excellentiam dilecta est, quandoquidem una & unica vera religio genuinas perfectasque virtutes novit; atque adeo virtutes quæ suapte natura cæteris præstant, ad perfectionem referri nequeunt, nisi eas

pru-

prudentia, & christiana quidem prudentia, ducat & instituat.

R

RATIO. Philosophi theologis exprobrant, qui maxime, si quid aliud, rationem contemnant; quæ sane calumnia est. In naturæ ordine Deus nullum ratione opulentius, pretiosius, utilius donum largitus est. Hæc scilicet omnis religionis, seu secundum naturam, seu supra naturam sit, basis & fundamentum est, quippe nobis ostendit supremum Ens qui fecit omnia & a quo pendent omnia; existentiam, conservationem, vitam, felicitatem respirantium rerum omnium, & imprimis hominis, præcipui nempe divinarum ejus manuum operis. Est ipsa proinde ratio quæ hominem docet suo creatori cultum præstare, ejus & leges servare, & subsidia implorare, & gratias petere, & punitiones timere, & remunerationes expectare. Ratio exhibet homini, quæ primitiva & fundamento sunt, erga auctorem suum, erga se ipsum, erga sui similes officia, &, quod inde consequitur, toti humano generi utilitati communi est. Id christiana religio a ratione sentit & docet; sed illud addit, emolumenta hæc haud satis esse, ut super suis omnibus officiis hominis animus cumulate illustretur; inobscurata enim fuit, infirmata & e gradu dejecta ratio; ut ad ea proinde, quam late patent, cognoscenda, &, prout Deum & hominem ipsum decet, obeunda opus habeat superaddito divinæ revelationis lumine. Neque ita quidem everritur deleturque ratio, sed in pristinum statum restituitur, suisque veris muneribus redditur, ut nempe nos per infirmi quod ei reliquum fuit, luminis semitam veluti manu ducat ad christianæ supraque naturam positæ religionis januam, ubi residet apprime ad salutem utilis illustratio quæ nobis ostendit quicquid hominem, ut salvus æternum sit, & scire & facere oportet.

RELIGIOSI, & RELIGIOSÆ pag. 167. col. 2. lin. 53. & seq. hujus Analysis Conciliorum Tom. IV. dicitur ad ingressum in religionem dari posse immobilia bona quæ pensionis loco sint. Animadversione dignum erat, in Gallia, post an. 1749. prohibens edictum, id non amplius licere.

Ibid. pagin. 168. lin. 81. Pii V. bullæ adde duas alias uno eodemque anno 1742. a Benedicto XIV. editas.

RELIGIO. *Doctrina agendique rationis a Deo ipso inventum systema est*, scribit celebris quidam *puerilium* fabularum inventor. Minime vero; non est e divinitatis inventione religio; Deus, quantumvis omnipotens, eam, si, quod esse nequit, vellet, delere non posset, quippe quæ non ab eo pendet, utpote nixa essentiali seu simpliciter dicto rerum ordine qui necessarius est, in se ipso immutabilis, omninoque entium naturæ congruus. Ex hoc ordine, impedire non potest Deus, ne per religiosum cultum honoretur ab homine; nec potest homo, quin Deo, tamquam per excellentiam enti, omnibus perfectionibus insignito, a quo quicquid homo ipse est, & quicquid habet, ab uberrimo veluti & unico fonte dimanat, hunc religiosum cultum exhibeat; propterea quod ejusmodi cultus ipsa Dei & hominis natura seu essentia necessario nixum officium est. Deus non amplius Deus esset, nisi honorari deberet; & homo desineret homo esse, intelligens scilicet creata res, & Dei opus, si posset non teneri religiosum cultum eidem præstare; quia, in hac hypothesi, Deus & homo id omitterent, quod intime & quoad essentiam, utrumque constituit, ut nempe Deus honoretur, quippe cui infinitæ perfectiones suppetunt suapte natura honore dignæ; & has infinitas perfectiones honoret homo, quia facultatibus ad id omnino factis pollet, iisque adorandis perfectionibus se totum debet. His jam positis meridiana luce clarioribus & ineluctabiliter a sana ratione dictatis veritatibus, judicetur, quid de homine sentiendum, qui scribere non erubescit mere arbitrarium & e divinitatis inventione systema, ad sacerdotum bonum, religionem esse.

RESIGNATIO. Hujus nostræ Conciliorum Analysis Tom. IV. pag. 172. col. 2. lin. 12. dicitur, beneficiarios, criminum, quorum causa pleno jure vacant beneficia, ut hæreseos, raptus, spiritualis incestus, simoniæ, reos resignare non posse. Ad hæresin quod spectat, dicendum, posse hæreticum per resignationem antevertere, quamadmodum tertio ejusdem Operis Tomo, pag. 52. num. 16. dicitur. Quoad raptus autem & spiritualis incestus crimina, id tum solum est absolute certum, cum spiritalis incestus adulterium conjunctum habet. In hac facti specie, e Parisiensis senatus decreto, an. 1626. edito, resignare non potest. Quod demum ad simoniam pertinet, hæc sententia, cum de beneficiis cæteroquin canonice acquisitis agitur, impugnatur.

Ibid. pag. 173. col. 2. lin. 59. notarios ab Episcopis recipi & examini subdi oportere dicitur. Olim ita se res habebat; at id moris hodie non amplius obtinet, ex quo scilicet notarii apostolici regiis notariis conjuncti fuere, quemadmodum ejusdem Tomi pagina ibid. dicitur.

RESURRECTIO Christi Domini. Quicquid dicere possit incredulus, nullum unquam factum magis ad critices exactum regulas, pleniusque ac firmius demonstratum extitit, quam Christi Domini resurrectio. Sepulcri custodiæ præpositi Romani milites illud per miraculum a divinitate apertum referunt, miraculum hoc Apostoli discipulique, diu increduli, nec tandem nisi conjunctis suorum oculorum, suarum aurium, suarum manuum testimoniis cedentes prædicant ubique gentium, suamque, effuso sanguine, prædicationem consignant. Mulieres quæ Christum Dominum, postquam resurrexerat, conspexerunt, eumque allocutæ sunt, deceptioni non magis obnoxiæ quam viri erant, quia nec aliæ aures, nec alii oculi iisdem inerant, & ad ejusmodi factum firmandum auribus tantum & oculis opus erat. Quod si huic testimonio addantur tum veteris tum novi Testamenti vaticinia, quæ Christi Domini resurrectionem, &, quæ hanc consecuta est, universi terrarum orbis, catholica recepta fide, mutationem annuntiant; factis omnibus, rejecta ratione, fidem negari, aut hoc tamquam omnium certissimum firmissimumque admitti oportebit.

At, inquiet aliquis, cur Christus Dominus judæis peculiariter, sacerdotum principibus, magistratibus, scribis, pharisæis, &c. non apparuit? Quid ita? Quia nec necessarium id nec utile erat, & quia tam perversi homines suismet oculis non credidissent, ii scilicet, qui dæmonum principi Beelzebud miracula tribuebant, quæ Christus Dominus, dum viveret, perpetraverat; qui Lazarum a Christo ipso Domino ad vitam revocatum occidere voluerunt; qui Romanos milites seduxerunt, ut edicerent, ejus corpus, se dormientibus, a discipulis sublatum fuisse; qui male habebant Apostolos qui ejus resurrectionem nuntiabant, quamvis ejus nomine, & ut ipsius resurrectionem firmarent, miracula ederent. Hujus indolis homines Christi Domini resurrectionem non credidissent, siquidem iis apparuisset, atque hac sane gratia prorsus indigni erant. At si hanc ipsam a Christo accepissent & credidissent, qui nunc temporis se spiritus fortes dictitant, non proinde minus increduli essent. Heu! Qua de causa crederent potius Jerosolymorum judæi qui Christi tempora in vivis erant, quam Ægypti & deserti homines qui vivebant Mosis tempore, quique omnes fuerant illustrium complurimque prodigiorum oculati testes, quæ magnus is thaumaturgus, iis præsentibus toties edidit? Quicumque non credit quingentis testibus qui se jugulandos tradunt, ut Christi Domini resurrectionem propugnent, quique eam persuadent universo terrarum orbi qui credit & resipiscit, ne toti quidem Jerosolymæ, Christi tempore existenti crederet, quantumvis huic miraculo testimonium redderet. *Quare* MIRACULA, superque Christi Domini resurrectione, vide eximia Opera duo, quorum unum inscribitur: „ Christi Domini resurre„ ctionis testes examinati judicatique e fori regulis; „ responsi loco ad Woolstonii aliorumque nonnullo„ rum auctorum objecta; “ ex Anglici sermonis editione sexta Gallice redditum editumque Parisiis apud Tilliardum, an. 1753. alterum vero hunc titulum præfert: „ Animadversiones super historia superque pro„ bationibus resurrectionis Christi Domini “; opus Anglice scriptum, & e quarta editione ab equite Gilberto Westio Gallice redditum & Parisiis an. 1757. ejusdem Tilliardi typis impressum.

ROMANI. *Magni nominis populus qui acquisitionis jure se reddidit mundi dominum, & in cujus jura successit sacerdos qui Europam per argumenta acquisivit*; suam ita mentem aperit argumentantium miserrimus, quoties in id se conjicit, ut super christiana religione ratiocinetur, seu potius jocetur & nugas agat; at ejus confessio mihi suppeditat in ipsum arma. Si Europam, &, quod majus est, mundum sacerdos per argumenta acquisivit, argumenta ergo quæ ad ejusmodi acquisitionem adhibuit, apprime perspicua, victricia, peremptoria, atque adeo plusquam humana, supra naturam, divina fuerint, necesse est. Heu! ita sane, ita; id vere est, quod universum terrarum orbem subegit, quem scilicet ad sacerdotis, ex alto virtute induti, tamquam primi divinitatis ministri pedes prostravit; quod ei nationas in religioso & morali ordine, quoad æternam salutem, subdidit; idque unice per

ejus omnino cæleste verbum, Romanorum gladio, qui mundi celebres domini fuerunt, acutius vehementiusque.

S

SACERDOTIUM. *Eorum* (Sacerdotum) *in hoc mundo functio ea demum est, ut de alio mundo nobis loquantur*, inquit immisericors sermocinator. Malene igitur agunt sacerdotes, dum nobis de alio mundo loquuntur, ex hoc mundo ipso? Essetne de futuro mundo verba ad nos faciendi tempus, cum ad eum pervenerimus, in eodemque immutabiliter firmata erit nostra sors? Quod autem ad rationis abrogationem, speciosarumque historiarum inventionem attinet, quæ iis imputantur, quid fabulosius? Minime vero; rationem sacerdotes non abrogant; eam, ne aberret, impediunt, eur ab erroribus revocant, dirigunt, colunt, elevant, perficiunt; nec magis excogitant speciosas historias, quibus venditandis, non sine oblectatione ac voluptate credulos animos fallant; eo se redigunt, ut historias extra omnem dubitationem positas nuntient, quæ ad christianorum fidem excitandam, formandosque mores facere possint. Cæterum, si qui forte sacerdotes occurrunt, qui in eo sibi placeant, ut fabulas inveniant & venditent, hos sacros, seu potius sacrilegos fabulatores Religio damnat. *Vide* RATIO.

SANCTI. Impii & licentiores homines quibus haud satis animi est, ut sanctos in cælis cum Christo regnantes imitentur, iis crudelia & sanguinolenta placita per apertam exsecrandamque calumniam exprobrant. Nimirum in philosophorum libris occurrunt effata quæ turbas, seditiones, cædes inspirant; nihil horum exhibent sanctorum sensa, mores, opera, quos Ecclesia tamquam suos heroas veneratur, suisque ad exemplum filiis proponit. Eorum mens fuit semper pacis, conjunctionis, concordiæ, suavitatis, humanitatis, charitatis mens quam ipsam maxime barbaris etiam efferatisque nationibus scite, solerter, feliciter indiderunt, mollitis earum moribus, iisdemque ad humanitatem, justitiam, beneficentiam, societatem perductis. Hæc scilicet emolumenta sunt, quæ christianæ religionis heroes humano generi compararunt, quæque conficiunt, ut iis tamquam Dei amicis, hominumque benefactoribus honos merito deferatur.

SCIENTIA. Profani pseudo-sapientes christianam religionem arguunt, quæ scientiam pertimescat. Quam turpe mendacium! Ea quidem scientiam tam parum metuit, ut hanc potius, edita lege, ad sacerdotium adspiranti cuique præcipiat; ut, quo quisque præstantioribus dignitatibus est insignitus, eo amplioribus & copiosioribus cognitionibus imbutum esse necesse sit. Nihil timet aliud christiana religio quam ignorantiam, seu scientiam quæ specie tenus ejusmodi est, quæ temeritatem & arrogantiam redolet, quæ cum cogitandi ratione apud homines universim recepta pugnare cernitur; quæ communibus, omniumque menti a natura inditis notionibus obluctatur; quæ sine intermissione illud ipsum generatim naturale lumen impugnat, quod judicio additum efficit, ut rite ac recte ratiocinemur, veritatemque & mendacium, virtutem & vitium, quod licet honestum est, & quod se aliter habet, quod humanæ intellectioni congruit accommodatumque est, & quod eam longe multumque superat, quod denique ad physicum ordinem pertinet, quodque alterius multo superioris ordinis est, facile discernamus. Ejusmodi est scientiæ genus quod religio aversatur & respuit, quippe quæ miscet, confundit, invertit omnia, quin, ad dogmata quod spectat, quicquam aliud quam absurdos infinitumque in modum perniciosos errores doceat, prædicet, obtrudat.

SCHOLASTICUS. In theologiam universim, eamque peculiariter quæ scholastica theologia dicitur, e re quidem prorsus, irruunt & stylum acuunt increduli; sed eorum furor nihil demum probat aliud, quam extremam utilitatem omninoque singularem vim in hac divinæ scientiæ parte positam, quæ notionum præcisione, distinctione, puritate, styli præcisione, invictarumque quas semper dialectices accuratioribus regulis subdunt, ratiocinationum æquitate ac robore, sanam, quoad ejus omnia & singula capita, doctrinam statuit, tueturque contra omnem ejusdem hostium impetum, quos refellit, exagitat, perturbatosque ita ad inopias redigit, ut non aliter quam per incondita & crassas injurias, fatuasque nugas ac deliramenta quibus eorum ignominia, perturbatio, pudor augetur, respondere possint.

SCRIPTURA SANCTA. Quærit incredulus, quorsum tam multa super sacris litteris commentaria? Respondemus, id factum de causis pluribus, quarum aliæ rationi consonæ & laude dignæ, aliæ plus minusve criminosæ, absonæ, execrandæ sunt; nec sane possumus, quin utriusque generis aliquas afferamus.

1. Sacra Scriptura, pluribus in locis, profunda est, augusta, sublimis eam ipsam ob causam, quod habet auctorem Deum, estque ejus verbum ipsum. Mirumne ergo est eam commentariis opus habere, & iis quidem, quæ ejusdem majestatem, sublimitatem, altitudinem facultati humanæ mentis, quoad fieri potest, accommodent?

2. Sunt in sacris codicibus legales, historici, sapientiales seu morales, prophetici denique libri; atque bis subest sensus multiplex, litteralis, spiritalis seu mysticus, allegoricus, moralis seu tropologicus, & anagogicus. Quis potest in dubium vertere, quin ad hos singulos libros, eosque multiplices sensus quos iidem pati possunt, explicandos necessaria sint ad prudentiæ regulas exacta doctaque commentaria?

3. Quam multa occurrunt in sacris libris, ut & in aliis, historiæ, chronologiæ, geographiæ, topographiæ, &c. capita discutienda!

Hæ discussiones non sunt ex earum rerum genere, quæ promiscue se habent; sua iis inest utilitas; nec, quicumque sapit, meritas laudes negare potest compluribus doctis viris qui suas vigilias iisdem dicarunt; verum enim vero:

4. Utilibus discussionibus quam multas futiles, audaces, temerarias, periculosas vana curiositas & sciendi intemperantia, non minus enormibus quam insipidis & fastidiosis voluminibus in lucem editis, admiscuerunt!

5. Incredulorum inscitia & mala fides nonne & ipsæ sunt uberrimi fontes duo tot super sacris litteris commentariorum de quibus tanta cum acerbitate conqueri non eos pudet, dum ipsi occasionem præbentes efficiunt, ut eadem prodeant? Id genus homines expromunt quicquid obtinent mentis, perspicaciæ, sagacitatis notitiarumque, ut in sacra Scriptura insolubiles difficultates, impervias obscuritates, anachronismos, ineptias, absurditates, falsitates, repugnantias comperiant; an vero mirari debent ex omni classe doctos viros volumina voluminibus addere, perficiendi consilio, ut in suas hallucinationes, suas oscitantias, suos errores, suam denique in unoquoque genere ignorantiam perspiciant, quasique digito tangant? Grammaticen dico, logicen, moralem doctrinam, physicen, metaphysicen, historiam veterem recentioremque, chronologiam, geographiam, numismata, inscriptiones, criticen, philologiam, diplomaticen, medicinam, astronomiam, &c. Inter innumera quæ congerere possemus, pauca quædam in id exempla afferamus.

6. Tam veteres quam recentiores increduli difficultates, prope dixerim, infinitas super iis omnibus excogitarunt, quæ in sacris litteris continentur; ut exordiamur ab his primis Geneseos verbis; *In principio creavit Deus cælum & terram*; negarunt primi hominis lapsum per originale peccatum ad Adæ posteritatem transmissum; constructionem & capacitatem arcæ Noe, universalitatem diluvii, Dei ad Abraham de danda terra Chanaan, promissionem, præexistentiam urbium quinque Sodomitici lacus loco, Ægypti plagas, rubri maris per Israelitas, duce Mose, prodigiosum transitum, nebulæ columnam eos in deserto ducentem, non minus prodigiosum per eos ipsos Israelitas Jordanis transitum, Palæstinæ fertilitatem, Magorum stellam, innocentium infantium cædem, &c. Si has & innumeras alias super rebus in sacra Scriptura occurrentibus difficultates increduli non confinxissent, necesse non fuisset multiplicari libros, ut ita satis haret; doctusque *Bulletus* eo se adactum non comperisset, ut decies centenis librorum millibus, qui nobis super sacris codicibus prælo sunt, eum adderet, cui titulus: *Ad plures super peculiaribus sanctorum librorum locis difficultates a recentioribus incredulis propositas critica responsiones*; excellens opus, in quo magnæ doctarum linguarum cognitioni ratiocinationis vis & eruditionis amplitudo additæ perspiciuntur. Ejus Tomus primus prodiit Parisiis, apud Bertonium, an. 1773. in 12. & alter an. 1774.

SIGNUM CRUCIS. Iidem increduli iidemque sectarii qui tam indigne ineptèque benedicti panis usum impugnant, haud minore audacia abrepti in eum qui quoad crucis signum obtinet, invehuntur; et eumdem intrepidum hujus quoque sacri salutis signi ultorem comperiunt, theologiæ doctorem, strictioris Præmonstratensium observantiæ canonicum regularem, R. P. Collietium scilicet, cujus nobis opus præsto est, cui titulus: *Tractatus de crucis signo quod manu editur; seu catholicus super hujus signi usu purgatus religis; Opus historicum & morale*; Parisiis, apud Demonvillium, an. 1775. Hunc tractatum tribuit auctor in partes duas, quarum prima de crucis signi, manu edi-

nu edi-

nu editi usu, altera de miris per illud aditis effectis agit.

Capita quindecim complectitur prima pars, & totidem altera. Primæ partis caput primum multiplicem rationem qua supra nos ipsos, alterum peculiarem modum pertractat, quo supra alios superque res alias crucis signum conficimus. Referuntur in tertio capite, crucis apud christianos signi veteres figuræ plures; probaturque in quarto, hujus signi usum ex Apostolorum traditione ad nos venisse. Ostenditur in quinto capite, crucis signum ex usu veteri super aliis personis aliisve rebus confectum eadem vi ac primum pollere; & in capite sexto palam & illud fit, semper crucis signum in ecclesiasticis functionibus, potissimum vero in sacramentorum cæremoniis adhibitum fuisse; septimum & octavum capite enumarant temporum & locorum adjuncta plura quorum ratione habita, crucis signum edere possumus, ut cum nos lavamus, cum nos induimus, cum sedem sumimus, cum domo egredimur, cum domum redimus, edimus, bibimus, iter suscipimus, &c. In quatuor quæ sequuntur, capitibus id statuitur in terroribus, sub mortis articulum, contra dæmones, eorumque technas & tentationes, &c. ad crucis signum cum utilitate confugi posse. Demonstratur peculiariter in decimo tertio capite, crucis signo uti ad salutem prodesse; & in quarto decimo, eum qui omittit se hoc salutari signo munire, in eadem pericula se conjicere, quibus se miles exponit, qui per hostiles regiones inermis incedit. Decimum quintum primæ partis idemque postremum caput dispositiones continet, quæ requiruntur, ut crucis signum cum fructu cumque successu fiat; ejusmodi sunt, inter alias, fides, observantia, Dei timor, pietas, humilitas, fidentia, animi & conscientiæ puritas.

In secundæ partis capitibus quæ & quindecim numero sunt, fuse describuntur effecta quæ in invasiones, aggressiones, insidias, tentationes, idola, præstigia, maleficia, fascinationes, possessiones, obsessiones, illusiones dæmonum, in morbos aut infirmitates, & in feroces belluas aut venenata animantia, & in aquam, ignem, fulmen, grandinem, procellas, &c. crucis signum in usu positum edidit.

In hoc porro R. P. Collinii didactico, polemico, historico moralique tractatu, perinde atque in eo qui de benedicto pane agit, perspicitur alta & exquisita eruditio cui adduntur experrectæ mentis æquitas, ratiocinationis vis, anecdota, perquisitiones, argumenta denique ad fideles edocendos, Catholicamque religionem a falsis omnibus impiorum hæreticorumque accusationibus purgandam & in tuto ponendam idonea, quoad pietatis exercitationes quas suis hæc ipsa religio filiis commendat.

SPECTACULA. In hujus Conciliorum Analysis Tom. IV. a pag. 194. ad usque pag. 196. de spectaculis egimus; & ad ejus articuli calcem, inter alia quibus spectacula impugnantur, opera; illud laudavimus, cujus a D. Desprezio de Boissy concinnati jam quarta Parisiis apud Butardum editio prodierat. Hujus excellentis operis editio sexta quæ nuper e Boudetii, viduæ Desentiæ, Noyoni & Morini typis in lucem venit, occasionem admodum naturæ consonam nobis suppeditat, ut illud magis magisque notum faciamus, ejusdemque & meritum enuntiemus & lectionem commendemus, genuinæ utilitatis ergo, cujus hinc animo percipi debet haud dubia spes, quoad religionem & mores, extremæ gravitatis argumenta duo quæ sibi D. de Boissy suo in opere nunquam ex oculis alabi sinit. Editio sexta quæ se modo in conspectum dat, majoris etiam momenti est utiliorque, quam aliæ quinque quæ ei præiverunt; in hac enim occurrunt historiæ & litteraturæ gravissima plura specimina, potissimum vero novæ auctoritates, nova testimonia, principia & ratiocinationes quibus soliditatis plurimum inest; omnis demum generis arma quorum firma vi lectores se ab omnibus jaculis tueri valeant, quæ audacior & impudentior impietas magisque effrenis licentia ad fidei penes Christianos puritatem morumque sanctitatem vitiandas, illuvionis veluti cujusdam in modum, profundere nunquam desistunt. Religionis ergo & virtutis vexilla secutus militat auctor noster cujus universum opus eruditione ac sollicitudine refertum est; ut proinde non possit, quin sibi summopere eos omnes devinciat, quibus adhuc aliqua erga utramque amoris scintilla reliqua est.

T

TRINITAS. In nostræ hujus Conciliorum Analysis Tom. IV. pag. 215. lin. 53. col. 1. legitur: persona est rei substantia; *lege*, subsistentia.

V

VINDICTA, ULTIO. Vindictæ seu ultionum Deus. Incassum vellent impii his loquendi formis quæ in sacris Bibliis occurrunt, ad suum ipsorum præsidium uti. Nos quidem jam diximus, nec necesse habemus hoc loco repetere, bibliorum textus qui vitia seu præposteras cupiditates, ut indignationem, vindictam, &c. divinitati tribuere videntur, non ad litteram, sed metaphorica significatione accipiendos esse. Hoc posito principio quod omnium qui sapiunt, & æqui rerum æstimatores sunt, confessione consensuque firmatur, ira, indignatio, ultio, e sacris locutionibus, unice divinam justitiam ejusque effecta significant. Loquuntur ergo sacri Scriptores ad homines humano sermone, ut iis se præbeant intelligendos. Nonne ita se gerunt ipsi Philosophi nostri? Astronomiæ apprime peritus quisque firmiusque convictus tellurem soli immobili circumvolvi, nonne pulcrum hoc astrum sit singulis diebus oriri & occidere, &c.

UNIO Ecclesiarum beneficiorumque. In hujus Conciliorum Analysis Tom. IV. pag. 223. lin. 78. ad beneficiorum uniones sufficere dicitur, ut collator, ecclesiasticus Patronus, Titularis & Parochiani, cum de sæcularis beneficii unione agitur, appellentur. Addendum erat, in Gallis collatoris quidem Ecclesiasticique Patroni necessarium consensum esse; at his abs re abnuentibus, judicium supplementi loco obtineri.

UNITAS ECCLESIÆ: *In necessariis unitas, in dubiis libertas, in omnibus charitas*. Ejusmodi est catholicæ Ecclesiæ nota quoad ea quæ credi jubet, aut asseri sinit, seu cujusque sententiæ & opinioni relinquit; credi jubet dogmata, articulos scilicet, quos suorum filiorum fidei tamquam revelatos proponit; & super hoc capite una est Ecclesia, perinde atque unus est Deus; quia, quoad hanc rem, ea quidem nullam divisionem, nullam partitionem patitur; quicumque non ut ea sentit, ejus fidei unitatem infringens, eum ipsa expellit, a suoque sinu absque venia amputat; *in necessariis unitas*. En Ecclesiæ unitatem; atque hæc unitas certo probat Dei digitum evidensque subsidium quod suæ ipse Ecclesiæ concedit semperque concedet, quippe qui non patietur unquam, ut hactenus non est passus ab ea errorem ullum fidei moribusve contrarium adoptari, aut recipi & approbari, quæcumque tandem vis eidem inferri possit. Dei digitum nonne perspicue aperte tam constans patrocinium indicat, quod catholicæ Ecclesiæ præ ceteris omnibus Christianis Ecclesiis peculiare ac proprium est? Quoad opiniones porro, sententias, placita quæ nec fidem nec mores lædunt, haud ægre fatemur Ecclesiam super hoc capite non unam esse, suisque filiis liberum & integrum velle, ut, quæ propius ad veritatem accedere judicaverint, amplectantur, (*in dubiis libertas*) dummodo opinionum duarum alterutram adoptantes, ex animo parati sint ejus judicio se subdere, siquidem eas definire voluerit, & interim sedulo caveant, ne prorsus attingant pretiosa pacis, concordiæ & charitatis vincula, quibus omnes & singuli tamquam fratres ejusdemque matris filii consociari & contineri debent: *in omnibus charitas*.

USURA. Nostrum ad Conciliorum Analysin Supplementum jampridem absolutum fuerat, nec subibat animum cogitatio fore, ut ad usuræ argumentum reverteremur, cum in publicam lucem emissum vidimus opus cui titulus: *De usura & emolumentis Tractatus, auctus defensione tractatus, ac nonnullis animadversionibus super scripta quæ eum impugnarunt*; Lugduni, apud Petrum Bruyset-Ponthum, an. 1776. Harum animadversionum aliquæ articulum seu dissertationem efficiunt, quæ ad verbum USURA, Tom. IV. hujus Conciliorum Analysis, pag. 227. occurrit. Auctor cujus ingenium & meritum non sine voluptate perspicimus, nos invitat, seu potius provocat in hæc verba: «*Audetur e converso P. Richardum ipsum provocare, ut bona fide in ejusmodi assertione persistat, si solum ei lubeat id sibi curæ sumere, ut, quod modo scriptum est, legat, & animo reputet*, pag. 81. & 82. defensionis tractatus de usura & emolumentis.

Ea nobis est bona fides, ut fateamur, 1. nos minus acute cernere, mentemque nostram brevioribus esse terminis circumscriptam, quam ut attingamus perspiciamusque rationum vim quæ, provocationis auctore judice, tam aptæ ad nos impediendos sunt, ne in sententia persistamus; 2. in ea nos eo firmius perstare, quod rationum momenta quibus auctor & in suo de usura tractatu, & in hujus tractatus defensione utitur, nobis videntur ad speciem tantum fucum-

que

que faciendum obducta figmenta & incassum demulcentia remedia, ut malum obtegat dissimuletque quod propugnandum suscipit. Audemus ita nobis blandiri, ut in eam spem erigamur fore, ut, discussis ejus rationibus defensionisque adjumentis, id ostendamus; at non sine omni suavitate, moderatione, amœnitate etiam quæ expeti in scriptore potest, qui studet non adversarium vincere, sed veritati triumphum quærere, ad eorum bonum, quorum interest eam nosse, quibusque ejus triumphus prodesse debet.

Quæstionis status, & difficultatis nodus, qua de agitur in præsentia, eo rediguntur, ut palam fiat, an commercii mutuum, quoad negotiatorem qui pecuniam, ut sibi sit utilis, mutuam dat, satis firmum fundamentum mutuatori sit, ut a mutuatario fœnus exigat ob summam quam ei mutuam dedit, adeoque fœnoris summa superadditi perceptio permissa & ab usura exempta sit. Id contendit auctor tractatus de usura & emolumentis; nos contrarium asserimus. Lectoris ab omni partium studio alieni est de eo & me judicare. At ut de nobis judicet, nos audiat, oportet; & ut nos audiat, rationes ab auctore ac defensore tractatus de usura propositæ cum nostris ad eas responsionibus ob ejus oculos ponantur, necesse est; quod statim præstamus.

PRIMA RATIO AUCTORIS

TRACTATUS DE USURA.

Commercii mutuum non minus legitimum est, quam triplex cum eadem persona contractus, cum nihil sit aliud quam ejusdem rei aliis verbis enucleatio. Jam vero triplex contractus est apprime legitimus, &, quod inde consequitur, commercii mutuum ejusmodi & ipsum est.

RESPONSIO.

Antequam respondeatur, sciatur, oportet, in quo sit positus contractus triplex, & quomodo inter contrahentes duos perficiatur; est autem hujusmodi: *Meam tibi pecuniam trado*, inquit sortis dominus, is nempe qui negotiatori pecuniam dat, *ut tecum in tuo commercio lucrum percipiam*. Primus societatis contractus.

Tibi cedo lucri partem quæ mihi provenire deberet, modo tutam mihi meam sortem reddas. Secundus sortis in tuto ponendæ contractus.

Tibi cedo probabilis hujus lucri partem alteram, &, quicquid ad me deveniret, pro quoque centesimo ad quartum redigo, quod mihi perinde ac summam solves. Probabilis lucri venditi contractus tertius.

Triplicem contractum ita expositum respondemus illegitimum esse, quia societatem destruit, nec nisi simplex mutuum inter contrahentes constituit.

1. Societatem destruit; quid enim est in contractus negotio societas? Et quænam conditiones necessariæ sunt, ut eadem permissa sit? Societas est conventio quam simul ineunt duæ pluresve personæ, quæ suam aut pecuniam aut industriam, quarumve una pecuniam, altera industriam conferunt junguntque, eo animo, ut inter se lucrum inde perceptum partiantur. Tres necessariæ conditiones sunt, ut ejusmodi societates permissæ sint. Necesse primo loco est, ut, qui pecuniam, merces, animalia, aliasve pretio æstimabiles res suppeditant, nec de præcipua sorte, nec de ullo fœnore certi tutique sint. Necesse est secundo loco, ut omnes associati contribuant, aliquid in societate ponantve, pecuniam, merces, laborem, industriam, &c. Est necesse loco tertio, ut inter se æqualitatem servent socii, videlicet, ut expensæ, damna, jacturæ, emolumenta communia, &, prout in societate quisque posuit, divisa sint. Porro triplex contractus suam jactatorum sociorum alteri sortem, certumque quoddam superadditum emolumentum in tuto ponit; societatem ergo omnesque quibus ejus vis & ratio continetur, conditiones de medio funditus tollit.

2. Non conficit itaque nisi simplex mutuum, utpote qui a societatis contractu qui specie seu ore tenus ejusmodi est, efficit prorsus alium, purum scilicet ac simplex mutuum.

II. AUCTORIS RATIO.

Minime vero gentium, reponit de usura tractatus auctor; *fieri enim non potest, ut contractus in id mutetur, quod non est, in id nempe, quod clausulæ quibus est oneratus, minime dicunt*. (pag. 196.)

RESPONSIO.

Auctor certe non cogitabat, dum scribebat *fieri non posse, ut in id quod non est, contractus mutetur*. Se res habet omnino contra. Fieri nequit, ut res in id mutetur quod est; ac si mutatur, necessaria prorsus consecutione fit, ut in id abeat quod antea non erat, & in id quod evasit per mutationem quæ eidem contigit. Cum Christus Dominus in Canæ nuptiis aquam in vinum vertit, non eam profecto mutavit in id quod erat, bene vero in id quod non erat, in bonum vinum scilicet; idemque prorsus in morali genere faciunt jactati socii de quibus agitur: *meam tibi pecuniam trado*, inquit ad negotiatorem sortis dominus, *ut tecum in tuo commercio lucrum percipiam*. Recta quidem hactenus; initio saltem hic societatis contractus est; & ut perfectus fieret, id unum addendum erat: *& ut jacturæ non minus quam emolumenti particeps sim*. At non est hæc ejus mens, qui sortem dat; addit enim e vestigio: *non ero tuarum jacturarum particeps, sed nec periculi; meam mihi sortem, & præterea fœnora tuta reddes*. Hui! Id vitiat seu mutat omnia, quippe quod societatis initialem & apparentem societatis contractum in verum absolutumque mutui contractum vertit.

At clausulæ contractui appositæ non id dicunt. Non id sane dicunt, subdolæ! nec dicere curæ est; at id, ne uno quidem expresso verbo, per eas agitur; ac negotii finis hic omnino, ad apicem, finis est. Certum e sua pecunia emolumentum percipere vult sortis dominus; eam negotiatori mutuam hoc animo dat; at saltem speciem servari, fingique proinde necesse est, cum eo societatis contractum confici, qui verbis tantum ejusmodi est, re autem vere purum & simplex mutuum fallaci sub imagine seu larva celat. Libenter equidem quærerem, an qui hominem necet, dicere necesse habeat ei se necem inferre, an vero sufficiat, ut lethiferum ensem, qui eum reapse occidit, in sinum immittat.

III. RATIO.

Sortis dominus qui pecuniam præbet, aperte vult ejus proprietatem retinere, quæ ei tribuit ad lucrum jus; pars altera contrahens in id consentit; ita ergo nec est, nec esse potest translata proprietas hæc; depositum est quod nec mutuum evadit, nec evadere potest; remanetque necessario quod est; adeoque propositio hæc, *contractus abit in purum putumque mutuum*, est constanter falsa.

RESPONSIO.

Non potest licite velle sortis dominus qui pecuniam suppeditat, ejus proprietatem sibi servare, quin ullum periculum subeat, quia ejusmodi voluntas perspicue injusta est & societatem evertit; ac proinde nullum afferre potest ad utilitatem jus, quæ ex arrogata societate contingit, cum apparens tantum societas sit, eamque sortis dominus funditus diruat, ob id nempe ipsum, quod pecuniæ proprietatem extra omne periculum positam, & ab omni detrimento tutam sibi servatam vult. Nec refert in id contrahentium partem alteram consentire; ejus consensus nequit efficere, ut contractus, conditionibus ad societatis essentiam & constitutionem necessariis destitutus, vere societatis contractus sit: est igitur æque vanus, nullus & injustus consensus hic, seu liber seu coactus sit, nostra parum interest; & quod inde fit consequens, ad proprietatem quam sibi arrogat sortis dominus, firmandam ineptus; quæ cæteroquin proprietas non est depositum, ut eam auctor nuncupare audet.

Depositum est contractus, per quem datur ad custodiam res, ea conditione, ut depositarius qui custodiendam accepit, qualem accepit, reddat, non solum quoad speciem, sed etiam quoad individuum, quamprimum deponens qui fortuitorum casuum periculis subest, eam repetierit. Jam in contractu de quo quæstio est, sortis dominus nulli periculo subest: stato solum tempore pecuniam repetere potest; eamque negotiator nec ante id temporis, nec quoad individuum reddere necesse habet. Non ergo contractus hic depositum est, sed purum putumque mutuum; & propositio quæ id affirmat, est constanter vera.

IV. RATIO.

Etiamsi contractui huic non inesset depositi vis & ratio, nec sortis dominus pecuniæ proprietatem servaret, sed eam negotiatori ad condictum tempus cederet;

deret; eam saltem annui fœnoris pretio ultra sortem vendere poterit; atque hujus editæ venditionis aut cessionis vi, annuum fœnus percipiet, ob lucrum quod afferet pecunia quam cessit.

RESPONSIO.

Sortis domino nihil juris est, ut pecuniæ proprietatem vendat, annua ultra sortem fœnora, probabilis emolumenti ratione habita, quod e pecunia cujus proprietatem cedit, derivabitur; idque ob ea quæ sequuntur, rationum momenta.

1. Annuum fœnus, præter præcipuam sortem, exigens sortis dominus commutativam justitiam lædit, quæ contractuum qui ad onerosum titulum sunt, basis æque ac regula est, quæque *rei ad rem æqualitate* continetur. Ex hoc inconcusso principio, is æqualitatem servat, qui suæ pecuniæ proprietatem ad annum cedens, statu tempore summam quam cessit, exigit; at si plus quam summam exiget, liquido constat ab eo æqualitatem, &, quod inde consequitur, commutativam justitiam lædi.

2. Intuitus aut spes probabilis lucri quod edet pecunia quam cedis, haud tibi potest fundamento esse, ut annuum fœnus exigas ultra sortem, seu quia tu quidem amittendæ sortis nulli periculo subes, adeoque nullum inde emolumentum percipere debes, ex hac æquitatis regula, *ubi periculum, ibi lucrum, & ubi nullum periculum, ibi nullum lucrum;* seu quia sperati lucri, si contigerit, non alia erit efficiens causa quam negotiatoris industria, qui cæteroquin omnia pericula subit, & ita quidem, ut sæpe numero jacturam faciat, nedum lucretur.

V. RATIO.

Negotiatoris lucrum non ejus tantum industriæ tribuendum est, cum certum sit, pecuniam quæ ei cessa aut tradita fuit, ad id & ipsam, tamquam fructiferum fundum conferre; & in mercibus collocatam usu non absumi; mutatur ea tantum aliisque in bonis subsistit ejusdem valor. Quo plus ergo lucri pecunia hæc in commercio posita mercatori attulit, eo potiore jure sortis dominus esse debet lucri particeps, quod ejus pecunia protulit, saltem partim, seu ejus proprietatem servaverit, seu hanc ad tempus mercatori cesserit aut vendiderit; in fructiferæ enim rei venditione vel cessione ad certum tempus, non solum præsens & intrinsecus valor, sed ad illud ipsum tempus etiam usus el pretium statuit; ita scuta mille ad decennium cessa valent initio quidem scutis mille, deinde vero fructibus quos eorum usus per id temporis edere poterit; res enim tandem quæ lucri aliquid effert, pluris valet, quam quæ nihil; gallina, ut exemplum proferam, quæ diebus singulis ova parit, pluris valet, quam quæ nunquam, (pag. 171. Tractatus de usura, & 81. Animadversionum super nonnullis operibus).

RESPONSIO.

Antequam gallinarium ad quod nos auctor ducit, ingrediamur, ut ibidem gallinæ ova parientis exemplum quod affert, ad trutinam revocemus; ad hujus quintæ rationis, seu, quod ajunt, instantiæ peculiares articulos, quæ sequuntur, responsa facem præferent, necesse est.

1. Ut verum esset pecuniam negotiatori cessam, tamquam fructiferam rem, ad lucrum conferre; non esset minus verum eam mercatori tantum ipsi fructuosam & utilem fore, quippe qui unus eam impendit, ejusdemque periculis subest, tamquam unus fundi dominus, quo ejus commercium utitur: *res fructificat domino.*

2. Falso pecunia dicitur lucrum edere, aut tamquam fructifer fundus ad illud conferre. Est ea vere sterilis natura sua; ac si in commercio posita, fructifera avadit, ad lucrum conferens, non aliter se habet atque utensile seu instrumentum in operarii manu, qui illud adhibet. Non ergo potest sortis dominus a sua pecunia lucrum exigere, prætexens negotiatorem cui eam cessit, eadem cum fructu usurum esse; eadem prorsus ratione qua instrumentum non potest carius vendi, obducta causa, quod eo utens emptor lucrabitur, quia scilicet in utraque facti specie ex operarii aut negotiatoris industria lucrum oritur.

3. Cum per usum non absumi pecunia dicitur, potest id quodammodo verum esse, quoad negotiatorem scilicet, qui eam in commercio ad lucrum ponit; non item quoad mutuatorem, quippe cui seu in commercii fundum, seu in mutuatarii laborem & industriam nil juris est. Quamobrem cum mutuator suam negotiatori pecuniam cedit, ejus & proprietatem & usum ad condictum tempus per eumdem actum vere in eum transfert; eique proinde per hunc ipsum actum reapse pecunia absumitur, nec aliud jus remanet, quam ut statuto tempore aliam, suæ loco, pecuniam recipiat. Falso ergo dicitur pecunia hæc ei tantum mutari, quandoquidem vere consumitur. Id etiam, quoad negotiatorem, stricto jure, falsum est; is enim emit pecunia sua, emptionisque contractus a permutationis contractu differt.

4. Lucrum non pecunia parit, sed ejus usus per idoneæ peritiaque negotiatoris industriam in quam pecuniæ mutuator nullum jus obtinet. Itaque ovíparæ gallinæ exemplum ab auctore allatum nihil prorsus ad rem facit. Huic gallinæ physicum ovorum quæ in singulos dies ponit, germen inest; cum pecuniæ nullum sit seu physicum seu morale lucri germen, quod ea utens in commercio mercator edit; est ea mere passivum in ejus manibus instrumentum, ut penicillum penes strenuum pictorem, scalprum penes sculptorem, penes phrygionem seu phrygii operis artificem acus, penes scriptorem calamus. Dicine bona fide potest variis his instrumentis physicum aut morale fructuum germen inesse, quos artifices ipsi percipiunt? Si ita res habet, erit ergo justitiæ apprime consonum, ut mercatores qui penicillum, scalprum, acum, calamum vendiderunt, suam sibi partem vindicent a picturæ, sculptoris, phrygionis, scripturæ emolumentis & fortuna, qui scilicet, seu penicillo, seu scalpro, seu acu, seu calamo non mediocriter lucrati fuerint, bonorumque multum congesserint, quoniam varia instrumenta hæc non minus juris in artificum, quam pecunia in negotiatores fructuosum sui usum tribuunt.

VI. RATIO.

Commercii mutuum non est veri nominis mutuum; est aliquid instituto genuinæque societati ex æquo respondens, quod alienari ad certum quoddam emolumentum potest.

RESPONSIO.

Commercii mutuum est verum & proprie dictum mutuum, nequaquam autem societas, qua tantum abest, ut mutuator & mutuatarius, seu locator & locatarius, dans & accipiens, sortis dominus & negotiator societatem statuere velint, ut potius aperte significent pronuntientque se nullam ullam inter se societatem fore; primus quidem, dum nullum suæ sortis periculum subire vult, alter vero, dum ne ipse quidem vult ullam sui commercii rationem reddere. Commercii ergo mutuum est proprie dictum mutuum, nulloque pacto societatis contractus; aut, siquidem lubet id nominis eidem tribui, est, quod ait celebris D. Potherius, *simulatæ societatis contractus*, non alia de causa ad hanc formam redactus, *quam ut, obducta larva, tegeretur usurarium mutuum quod mercatori tribui in animo erat.* (Tractatus de societatis contractu, pag. 23. 24.)

Dicetur quidem, quandiu libuerit, emolumentum a locatore non ob mutuum exigi, sed ob fundum quem ad commercium suppeditet, ex alioque parte negotiatorem in id assentiri, ut certum quoddam lucrum locatori cedat. Respondetur, locatorem non præbere commercii fundum nisi meri mutui titulo, ac proinde non posse nisi hoc ipso titulo percipere fructuum partem, qui inde proveniunt, quod usurarium est, fatentibus ad unum omnibus.

Ad jactatum mercatorum consensum quod attinet, respondetur eos assentiri se summarum fœnora, quas mutuas accipiunt, soluturos, quia eas aliter obtinere non possunt; &, siquidem eorum omnino liber consensus esset, eumdem tamen nec magis legitimum, nec minus nullum minusque legibus quibus prohibetur, contrarium fore: *pacta quæ contra leges constitutionesque, vel contra bonos mores fiunt, nullam vim habere indubitati juris est.* Leg. 6. cod. *de pactis.* Porro leges & sanctiones regni super hoc negotio adeo expressæ sunt, solemnes & in omnibus tribunalibus accurate servatæ, ut, si qua fœnus indicans syngrapha, etiam mutui specie, ad commercium, apud judices proferretur, usuraria statim & injusta, mutuatarii consensu nihil obstante, declararetur.

VII. RA-

VII. RATIO.

Quoniam fundi locator perficere potest, ut tum hic, tum emolumenta qua sperat, ab extraneo sibi tuta reddantur; quidui posset idem requirere ab accipiente, qui in id consentit, qui id sibi utile comperit, & cui formalis societas, & commercii mutuum prorsus æquales res duæ sunt? Ac fieri qui demum potest, ut societatis, assecurationis seu cautionis fœnorum & sortis contractus tres, cum seorsim sumpti, singuli permissi sint, per conjunctionem illegitimi & injusti fiant?

RESPONSIO.

Fundi locator & hunc & qua sperat, emolumenta in tuto sibi ab extraneo posita velle potest, quie cum nullem cum hoc extraneo societatem inierit, eam per hos duos cautionis contractus destruere non potest; at eam qui iniit accipiens, statim per condictam certi cujusdam emolumenti sortisque cautionem destruit. Ergo formalis societas & commercii mutuum æquales duæ res accipienti esse non possunt, cum una permissa sit & altera vetita. Nec difficile, quoad cætera, intellectu est, quomodo contractus tres sejunctim liciti, copulatim illiciti evadant ejusdem personæ ratione, quorum eodem tempore simulque ineuntur; certum quippe est locorum, temporum, personarum, numerorum, quantitatem, &c. adjuncta influere in moralem actionum vim, ut earum bonam, malam aut promiscuam naturam reddent; & actionem quæ bona aut promiscua est ipsa per se, malam evadere, si certis quibusdam positis adjunctis fiat. Rem illustrabunt exempla. Prex ipse per se bonum opus est; at si quis preces ita multiplicet, ut eum impediant, quominus sui status officia peraget, hæc precum multiplicatio mala & illicita evadit. Unam duasve vini ampullas bibere, non est in se malum, quoad personam quæ nil inde incommodi sentit, nec in rationis usu turbatur; at si prioribus duabus addita ampulla tertia incommodum aut ebrietatem afferat, hæc ampulla tertia aliis duabus addita peccatum evedit, quia in eo qui inebriatur, sobrietatis virtutem evertit. Ita prorsus cautionis contractus duo, quoad eamdem personam simul additi societatis contractui, per hanc ipsam conjunctionem illiciti evadunt, propterea quod justitiæ, æqualitatis & societatis virtutes destruunt.

VIII. RATIO.

Sanctus Thomas, 2. 2. *Quæst.* 78. *art.* 2. *ad* 5. definit, eum qui mercatori vel operario, societatis in modum, pecuniam tradit, pecuniæ suæ dominium in eos non transferre, sed retinere, ejusdemque periculis obnoxium fieri; ex quo fit, ut lucri partem, quod inde provenit, exigere licite possit. Verum quidem est, inquit anonymus, pag. 108. nondum hoc loco nisi itineris dimidium facere.... At in posteriori opere, quod septuagesimum tertium *de usuris* opusculum est, super usura peculiariter additum, maxima cum animi contentione, idem sanctus Doctor alterum itineris dimidium conficit, principium nempe statuit, quod hunc cautionis clausulam evidenter in tuto ponit omninoque purgat; ut sit portento simile tanti momenti rem tam parum perspectam esse.

RESPONSIO.

Id sane longe majori admirationi esse debet, auctorem Tractatus de usura sibi, boni hominis instar, imaginari sanctum Thomam in suæ Summæ laudato loco itineris dimidium agere, ut ad ejus sententiem accedat, & in opusculo 73. dimidium alterum.

In Summæ appellato loco angelicus Doctor apprime perspicue solideque statuit; eum qui mercatori aut operario pecuniam credit, ex ea non posse lucrum percipere, nisi quatenus suæ pecuniæ dominium servat, ejusdem pericula subit, & cum eo mercatore eove operario societatem init: *ille qui committit pecuniam suam vel mercatori vel artifici, per modum societatis cujusdam, non transfert dominium suæ pecuniæ in illam, sed remanet ejus; ita quod cum periculo ipsius mercator de ea negotiatur, vel artifex operatur; & ideo sic licite potest partem lucri inde provenientis expetere tamquam de re sua.* Evertit ergo funditus sanctus Thomas ejus systema, qui commercii mutuum propugnat, at ex ejus textu compertum fit; ergo prorsus ab eo recedit, nedum viæ dimidium conficit, unove tantum gradu ad illud accedit; nisi forte dicere velit systematis auctor, lineas duas quarum ex diametro opposita directio est, quarumque una ad orientem fertur, ad occidentem altera, peragere singulas viæ dimidium, ut mutuo accedant conveniantque. En primum viæ dimidium quod conficit sanctus Thomas de usura tractatus auctori obviam pergens; videamus alterum.

Illud auctor hic in septuagesimo tertio *de usuris* opusculo sibi compertum putat. Ignorat ergo, mirum! septuagesimum tertium opusculum hoc S. Thomæ opus non esse. R. P. Turonius illud optimo jure expungit in capite VII. libri VI. cui titulus: *Opera supposita seu falso adscripta sancto Thomæ*, eique, quoad opus hoc & alia nonnulla: „ satis habebimus hoc „ loco admodum strenui Mediolanensis doctoris, in „ S. Thomæ operum lectione apprime versati judi„ cium afferre. Theologus hic a P. Seraphino Gabal„ lio, FF. Prædicatorum Generali an. 1571. rogatus, „ ut ejus opuscula sedulo expenderet, suamque su„ per iis sententiem mentemque aperiret; id ille per „ scriptum præstitit, quod paucis verbis id conti„ net, quod sciti viri de iis ipsis tractatibus univer„ sim sentiunt.... *In septuagesimo tertio*, inquit do„ ctus auctor, quod de usura & usurariis contracti„ bus est, nec sancti Thomæ methodus nec stylus „ occurrit, multoque minus ejus doctrinæ puritas: „ *Degenerat ab Aquinate, sive methodum, sive stylum,* „ *sive doctrinæ qualitatem respiciamus* “. Vide P. Turonium in S. Thomæ Aquinatis vita, pagin. 634. & 635.

Ita scilicet angelicus Doctor itineris dimidium conficit, per quod omnino ad mutui in commercio positi apologistam accedit; hoc est, longo post se tempore, per viam ei prorsus contrariam, quam ipse tenuit, incedere sinens ineptum simium qui eum frustra nititur adulterare.

IX. RATIO.

Triplicem contractum, &, quod inde consequitur, commercii mutuum approbavit doctus Papa Benedictus XIV. in Tractatu *de Synodo diœcesana*, & in Epistola encyclica an. 1745.

RESPONSIO.

Triplicem contractum hic doctus Papa in suo *de Synodo diœcesana* tractatu, & in laudata encyclica epistola non modo non approbavit, sed aperte damnavit. In ejus operis libro septimo, cap. 50. aliorum pro & contra triplicem contractum sententias exponit, suamque deinde profert in hæc verba: *Hæc sane præcipua rationum momenta quæ in utramque partem adducuntur; neque apostolica sedes priori opinioni, etsi minus congruere videatur Sixtinæ Constitutioni, ullam hactenus censuram inussit; a qua proinde eidem infligenda debet Episcopus abstinere. Ad usum vero quod attinet, tuta potioris contractum trinum quem etiam ejusdem patroni periculosum fatentur, pro viribus impedire, atque ab eo ineundo suos subditos deterrere; quod a plerisque Episcopis in suis diœcesanis synodis sapientissime factum referunt Genett. & Natal. Alexander.*

Encyclica seu circularis epistola quam Papa Benedictus XIV. Kal. Novembr. an. 1745. ad Italiæ Episcopos misit, eo spectet, ut Calvini, Dumoulinii, & Salmasii super usura errorem impugnet; ad ejus porro probe tenendam vim remittit lectorem Pontifex ad ejusdem theologicum commentarium quod P. Daniel Concina, Dominicanus, is doctus theologus, adeo super usura æque ac super cæteris argumentis doctrinæ acri sedulitate notus elaboravit. Evidens ergo est Benedicto XIV. ejusque commentatori P. Concinæ non id curæ fuisse, ut æquis oculis usuram spectarent, eive faverent, quam in hæreticis & in auctore tractatus de schedulis seu syngraphis potius impugnant; atque adeo P. Concina in tres, de quibus loquimur, contractus stylum acuerat, per opus inscriptum: *Usura contractus trini, dissertationibus historico-theologicis demonstrata*; & Benedictus XIV. in suo tractatu de Synodo, an. 1748., triennio post ejus encyclicam epistolam, primum impresso pronuntiat trino contractui refragari, prudentis & sapientis esse.

Quo igitur fundamento nixus anonymus doctum Pontificem suo systemati favere contendit? Eo nempe, quod postquam mutui in commercio positi usuram damnavit, subdit „ non ire se tamen inficias es„ se contractus suapte natura e mutuo prorsus alios „ per quos suam quispiam pecuniam impendere sæpe „ potest, vel ut annuum sibi censum comparet, vel „ ut ad licitum negotium & commercium eadem uta„ tur, atque ita honestum & legitimum emolumen-

„ tum

„ tum percipiat: *alios diversa prorsus natura a natura* „ *mutui*. " Jam vero, nos quidem reponimus, demonstratum est triplicem contractum nihil reapse aliud esse quam purum & simplex mutuum. Eum ergo damnat solummodo in modum Benedictus XIV., ne dum ulla ratione eidem favet. Contractus ergo de quibus verba facit, sunt, genuinus & verus societatis contractus, cautionis item contractus qui regulis congruit, mutuum ad utramque fortunam, commutationes, &c.

X. RATIO.

Universitates Trevirensis, Coloniensis, Ingolstadiensis, Salmanticensis contractus tres de quibus agimus, approbarunt.

RESPONSIO.

1. Exterarum universitatum veris aut jactatis suffragiis opponimus Sorbonæ sententiam, quæ semper in suis veteribus principiis firma, ad hanc usque diem triplicem contractum, ac proinde commercii mutuum damnavit. *Vide* inter alias super triplici contractu consultationem, 20. Julii die an. 1759. Sorbonæ datam, cui DD. Marcier, de Culture, Mahieu subscripserunt.

2. Iisdem opponimus etiam auctoritatem summorum Pontificum Episcoporumque, & singillatim Episcoporum Galliæ, & inter alios D. Cami, Gratianopolitani Episcopi, ac deinde cardinalis; D. Grimaldi, Aquensis Archiepiscopi & Cardinalis; Archiepiscopi Arelatensis, Adhemari de Montail de Grignan; Episcoporum Alectensis, Agathensis, Apamiensis, Divona Cadurcorum, &c.

3. Opponimus regni leges & jurisprudentiam, Blesensisque constitutionis ducentesimum secundum articulum qui, gravibus indictis pœnis, vetat, ne mutui nummi seu merces ad lucrum & fœnus dentur, quantumvis id publici commercii specie fieret. Huic Blesensi sanctioni concinit arrestorum jurisprudentia, quemadmodum D. Denisartius in *sua novarum decisionum Collectione*, cujus septima an. 1771. prodiit editio, *verb.* Usura, animadvertit.

In tractatu de beneficentiæ contractibus, c. 1. pag. 216. & att. eadem est D. Potheri animadversio, qui subdit: „ Cum regni leges non sinant exigi lucratoria in ullo mutuo, quacumque sit ejus conditio „ cui mutuum datur, id satis est (etiamsi fœnora „ hæc, quemadmodum per legem divinam, damnata „ non essent), ut ne mercatoribus quidem mutuum „ ad fœnus tuta conscientia dari possit; obligant enim „ in conscientiæ foro civiles leges. "

Harum omnium auctoritatum eadem profecto est, ne quid amplius dicam, atque exterarum universitatum vis ac pondus; & siquidem solum excitandæ, legitimum necne sit commercii mutuum, dubitationi inservirent, haud licitus esset ejusdem usus; in dubio enim tutior pars eligenda, ab iis scilicet abstinendum, qua licite necne sint, merito dubitatur.

Statuamus ergo tandem commercii mutuum, cujusmodi expositum cernitur in Tractatu de usura fœnoribusque, omnibus legibus, naturali, divinæ, humanæ, seu Ecclesiasticæ, seu civili adversari, &, quod inde consequitur, injustum & illegitimum esse, quoscumque speciosos colores vafri fautores eidem suppeditare nitantur, ut ejus fœditatem obtegant, illudque publicæ indignationi surripiant. Quæcumque rationum momenta, ut ei fulcro sint, congeruntur, totidem fragiles arundines sunt, quæ vel leviter tactæ se ipsæ frangunt, & vana demulcentia remedia quorum vis eo redigitur, ut larva quadam induant horrendum usuræ malum quod exsecrabantur ethnici ipsi qui ad quadrupli restitutionem usurarios adigebant.

Nobis ergo, dum huic articulo finem imponimus, id unum superest, ut auctorem tractatus de usura cohortemur, oculos ut tandem operiat super abyssi profunditate, quo eum veluti invitum sua animi bonitas præcipitem egit, eumque rogemus, ut, si quando, eum impugnantes, hilaritatis aliquid exhibuimus, id a nobis putet propterea factum, quod non aliter nos melius probare posse censuimus, non id nobis consilii fuisse, ut vel eum confutantes tristitia afficeremus, vel perficientes, ut veritas triumpharet, ipsi excandescere videremur.

USURA. *Hujus æque ac furti veniam dederat Judæis Deus*, si D. de V.... fides. Mirari vehementer subit auctorem cujus adeo multiplices fusæque notitiæ sunt, divinitatis jura dominiumque, ut & furti usuræque naturam tam parum nosse. Eum ergo, quod nescit, aut nescire se simulat, doceamus, Deum, utpote omnium utendi bonorum absolutum dominum, hæc, citra omnem injustitiam, ab una ad aliam manum transferre posse; &, quod absque ejus venia furtum & usura esset, cum hac venia id esse desinere. Potuit ergo judæos sinere furari mutuumque ad usuram dare, donum scilicet quod e suis ipsius bonis in eos conferebat, accipere; judæi quippe, in iis circumstantiis, furantes & ad usuram dantes, non nisi, sinente atque adeo donante Deo, sibi bona sumebant, quæ ipse in exterarum gentium manibus deposuerat. Libenter equidem scirem, ulluşne vel minimus D. abbatem Bernerium scrupulus deterreret, ne summam e regis arca decerperet, ad quam sibi tollendam genuinum ei legitimumque Principis diploma suppeteret? Qui doctum abbatem norunt, haud ita religiosum ac timidum suspicantur; & qui fuere, quin eum nossent, satis ad patientiam facti, ut ejus manualem theologiam, & alia rem multa quæ ex ejus calamo prodierunt, opera legerent, nunquam sibi persuadebunt eum sua solius sensa huc asperitatis deferre. Porro usurarii peragendi commercii singulare privilegium quod idem auctor clero tribuit, inter ea non occurrit, quæ sibi illustris hæc atque adeo de suis justis immunitatibus sollicita societas vindicat; quod certo probat in suarum immunitatum numero illud ab ea non poni.

Z

ZELUS. Homo religionis expers, aut qui quoad omnes religiones promiscue se habet, veri christianis zelo sacræ febris dicam impingere non veretur: minime vero; non febris, zelus, sed cæterarum omnium virtutum, & imprimis amoris Dei & proximi, qui universas antecellit, elyxirium veluti quoddam est. Quicumque omnis omnino generis virtutibus ad prodigium usque, si fieri possit, excelleret, quin ulla zeli scintilla eidem inesset, is quidem sibi tantum ipsi bonus, aliis autem prorsus inutilis foret. In gradu positus, quem auctoritas & inspectio supra multitudinem consequeretur, eam sineret agere pro lubidine, quin quicpiam faceret, quo eam intra honestatis æquitatisque limites contineret, ad eosve aberrantem redigeret, abusus fortiter reprimens, seque improborum conatibus tamquam æneum murum objiciens, prout officium ab eo postularet. Committantur, e converso, munia prudentibus sapientibusque tantum æque ac genuino zelo animatis viris; patres & matres, domini dominæque, omnes denique in quovis statu superiores præclara hac flagrent prudentis perinde atque illustratæ, non minus suavis humanique quam firmi validique zeli flamma; tum vero nihil non in officio se continet, aut ad illud suapte velut sponte redit; nullus amplius abusus, nulla perturbatio, nihil demum quod non tranquillæ beatæque cælorum societatis anticipatam in hac ipsa quæ in terris est, imaginem referat.

Verus igitur zelus, vere christianus zelus nec sacræ, nec profanæ febris nomine dignus est. Invisum hoc nomen, omni dubio procul, meretur ea mentis effervescentia, ea furens insania, ea frenesis, qua eorum tam multi qui se fortes spiritus eo trahuntur, ut maxime horrendum in modum blasphemiis Deum ejusque sanctam religionem impetant; ut in potestates duas, ad hominum regimen a Deo statutas æque invehantur; ut omnes leges aversentur & respuant; ut clariores veritates negent; ut crassiora absurda perfricte propugnent; ut sanctiora & obsequio digniora mysteria derideant; ut nihil non ad contemptum jocumque traducant prope misera æternitatis formidandam abyssum ipsam, ad quam furentium cæcorum instar properare cernuntur, & in quam secum trahere conantur omnes omnis conditionis homines, quos ad tumulum usque verbo tenus, & ultra per venenata & virulentia scripta seducere student. Id sane pestiferæ febris nomen meretur, non medicorum quos ad eam sanandam in imperiorum bonum totiusque terrarum orbis salutem, officium & status adigunt, zelus, in agendo vis, vigilantia, indefessa sollicitudo.

ZELUS. Videremur ipsi nobis nostro erga religionem, mores, regimen civile ipsum officio studioque deesse, si illustrati & elogio digni zeli qui hujus metropolis magistratus ad religiosarum & civilium legum custodiam, ad societatis tranquillitatem, ad altari & solii defensionem excitat animatque, memorandum in omne tempus exemplum silentio prætermitteremus. Dicere est animus de castelli, ad consueta scilicet Parisiorum judicia loci celebri, die 9. Septembris an. 1775. lata sententia qua per carnificis manum ad flammas damnat opus inscriptum: *De natura philosophia*, tamquam *impium*, *blasphematorium & seditiosum*, *tendens ad populos in religionem & regimen incitandos*, *ad omnia*

omnia publica securitatis & honestatis evertenda principia, & ad subditos in Regis auctoritatem sollicitandos.

Rationes hæ quæ justitiam provocarunt, ejusque omnia trexere fulmine in pestiferum opus de quo agitur in præsentia, non minus genuinæ solidæque sunt, quam graves & ex omnium re. Ut in id probationes ad absolutissimam demonstrationem ferantur, satis fuerit propositionum nonnullas, quæ in hoc veneni pleno libro passim disseminantur, ob oculos ponere.

„ Humius, inquit auctor (t. I. cap. 5. *de morali instinctu*) Huchetsonius & Robinetius, philosopho„ rum primi, naturæ legum fundamentum ad mora„ lem instinctum retulerunt; instinctus hic est enimi „ facultas quæ sine ratiocinationis subsidio morale bo„ num malumque discernit; sextus quidam sensus est, „ præstantissimus cæterorum; quippe qui, inquit phi„ losophus qui omnium optime super natura scripsit, „ humanum genus salvum & incolume servat, cum „ individua tantum servent cæteri quinque. Certum „ est mi, dum amico vitam servo, sinere, naturali „ impulsione, non ratiocinationis vi meipsum trahi, „ Scio equidem naturalis instinctus mechanismum in„ explicabilem esse “. (pagg. 75. 77.)

Textus hic censoria virga non una de causa dignus est. 1. Instinctus qui moralis nuncupatur, quique sextus quidam sensus cæterorum præstantissimus esse dicitur, aut spiritalis aut mere animalis est. Si spiritalis, quorsum sextus sensus appelletur, eumque recipi quid prodest? Nonne id est, quod logici dicunt, entia sine necessitate multiplicare? Opusne habet animus hoc sexto novæ creationis sensu, ut morale bonum malumque cognoscat?

Sin hic sextus sensus mere animalis est, qua demum ratione potest naturæ legibus quæ omnes spiritales sunt, fundamento esse? Quomodo est ipse animi facultas, distinguens bonum malumque morale, quorum neutri ulla animalitatis seu corporeæ rationis species colorve inest? Instinctus nihil est aliud quam naturalis, cæcus, involuntarius, indeliberatus motus quo fertur animal ad id quærendum quod ei convenit, fugiendumque quod eidem contrarium est. Nihil is ergo cum spiritu commune habet; ergo sublimium operationum per quas spiritus justum ab injusto, vitium a virtute discernit, principium & regula esse non potest. Ad spiritalem tantum facultatem pertinet tam exquisita discretio; nec posset instinctui mere animali tribui, quin læderetur ratio, destrueretturque rerum essentie.

2. Quamvis sextus hic arrogatus sensus spiritalis esset, adhuc immerito naturæ legum fundamentum appelleretur; solum esset animi veluti organum, oculus, fax, cujus ope cerneretur ipse in æternæ legis libro legere, ut ei, quid liceat, quid vetitum sit, indicaret; in eo scilicet libro qui naturæ legum, humanarumque actionum moralitatis verum fundamentum est.

3. Haud facile mente percipi, qui demum sextus sensus humanum genus servet, quin servet ejusdem generis individua, & qui reliqui sensus quinque servent individua, quin servent genus ipsum.

4. Agi potest & reapse quotidie agitur rationis vi, quin per ratiocinationem agatur. Agere rationis vi, est se ad actionem ferre rationis animo inhærentis virtute influxuque, sed rapide, & sine lentis iis omnibus momentorum discussionibus, quæ ad determinationem facere possunt; agere ratiocinationis vi, est actioni nos ipsos addicere, postquam animadvertimus, discussimus, expendimus momenta plura quæ nos ad agendum movere, vel ab agendo amovere possunt. Video amicum mergi, ei statim manum porrigo; longæ quidem ratiocinationis consecutio non est actio hæc, eadem tamen e ratione derivatur, quæ meam illico manum urget, pulchrum esse monens amicum servare, qui mergitur, efficiensque, ut hujus actionis pulchritudo, veluti fulgor, interno mentis oculo affulgeat. In hac ergo facti specie, agit ratio, & eo quidem modo qui in ente intellectu præstantissimus percipi potest, per evidentiam nimirum, claram intuitionem simplicemque respectum objectæ rei, qui nec sollicitudinem, nec laborem, nec animadversionem, nec inductionem, nec ratiocinationem consequitur, sed hæc omnia antevertit. Ratiocinatur ea, si ita libet, ejusque ratiocinans, verum adeo simpliciter, exquisite, delicate, supraque quam percipi potest, ut nec ratiocinari videatur, ejus ratiocinatio, si qua est, ad practicæ veritatis proximam perceptionem, seu claram visionem, quacum se miscet confunditque, atque unum idemque fit.

At ad extremum, seu ratiocinetur animus, seu nec explicite nec implicite ratiocinetur, non erit proinde minus ridiculum absurdumque, boni malique moralis ab eo editam discretionem dispositioni mere organicæ, sextique sensus quinque reliquis omnino similis puræ putæque impulsioni tribui. Quid! Perciperet animus morale bonum malumque, justum injustumque, virtutem vitiumque, mere spiritalia omnia & singula, nullaque ex parte sensibus obvia, quemadmodum album & nigrum, dulce & amarum, durum & molle percipit? Corporeum organum operationes ederet, quæ maxime spiritales sunt? Posset bonum malumque morale discernere? Sine clara inesset immutabilium quoad mores regularum perceptio, quæ id statuunt, quod in humanis actionibus morale est? Fierine ergo potest, ut effecta sine causa, & media sine ulla ad finem ratione sint?

„ Si quis unquam populus in terris fuit existima„ tione & observantia dignus, ii sunt qui *Guanchii* „ dicuntur. Dum nationes feræ omnes moralem instin„ ctum vili superstitionum congerie præfocabant, na„ turam, & hanc quidem adorabant unam Canarie„ rum insularum incolæ. “ (pag. 93.)

Si per *naturæ* vocabulum philosophus noster, ut vulgo, & apud Robinetium quem paulo ante laudavit, singillatim sonat, rerum in oculos incurrentium aggeriem, mundi massam intelligit, perspicuum est *Guanchios*, eo Canarienses homines nihil aliud fuisse quam rudem indigestumque sacrilegorum idololatrarum gregem, qui apud nos contemptu, nedum observantia digni sunt.

„ Renuunt (Quacqueri) ulla prorsus ratione sibi „ manus intingere ac fœdare hominum sanguine; vel„ lent ii quidem nos ad naturæ primitivam æquali„ tatem redigere.... Nunquam dimicant, non jam „ quod ignavi sint, sed quod tigres non sunt. Auda„ cia sunt principia hæc; at non nisi per Hobbesii „ sophismata, & e regum plerisque editos apologeti„ cos refelli possunt. “ (pag. 133.)

Facillime refelli possunt ostentata principia hæc, non sophismatum adminiculo, sed rationum vi, quæ tam claræ ac peremptoriæ sunt, ut iis Quacqueri ipsi, si vel tantillum cordati ingenuique sint, non possint non acquiescere. Mentis ii lumen & sacrorum codicum auctoritatem recipiunt. Jam vero secundum purius mentis lumen non omnis effusio sanguinis vituperatione digna est; sed ea tantum quæ sine satis gravi causa, aut privata auctoritate fit. Nonne licitum est atque etiam jussum, ut totum corpus servetur incolume, iure infectum membrum secari? Quidni ergo liceat ad reipublicæ salutem scelestos homines morti addici? Nonne id principibus præcipit Deus? Nonne gladium in id ferunt? E præcipuis eorum officiis nonne illud est, ut mundum furibus, latronibus, omnibus denique criminum reis purgent, quæ morte digna per leges censentur? Ita postulat universi commune bonum, gladiumque princeps quem ad bonorum præsidium fert, semper in vagina tenere non potest, quin in nequam hominum manibus arma firmet, iisque, per crudelem indulgentiam, animos addat, suorum ut fratrum cruore se ingurgitent. Non omnia bella injusta sunt; licita, vel & necessaria non desunt; ea improbare indiscriminatim omnia, est sacram Scripturam damnare, & in tigres leonesque vertere longe plurimos magni nominis viros quos ea nobis tamquam totidem heroas exhibet. Primitiva, tantopere a sophistarum nonnullis ostentata naturæ æqualitas non nisi chimæra est. Universi secundus homo non fuit æqualis primo, ita natus est, ut alteri subesset ab eoque penderet. Patria potestas & potestas regia e naturæ institutione sunt; primi familiæ capite fuere patres regesque simul.

„ Problema existentiæ Dei haud illud quidem in „ datis est; discrimen ignorantem inter doctumque „ qui illud explicare volunt, in eo totum est, quod „ unus est stolidus, alter nebulo. Natura nobis pri„ mæ causæ existentiam persuadet; at non item nos „ super ejus attributis illustrat. “ (pag. 171.)

Nebulo quidem certe stolidusve sit, oportet, quis quid sibi gloriæ tribuerit, ut Dei essentiam & attributa percipiat & explicet; ea nempe videat, pervadat, cumulateque cognoscat, eorumdemque perfectam aliis notitiam præbeat. Infinitum cognoscere & clare explicare non potest nisi intellectus qui illud exæquet. Nobis tamen insunt essentiæ & attributorum Dei satis aptæ notiones, ut ea cognoscamus ipsi, imperfecte quidem & prout humana natura fert, aliisque eorumdem cognitionem nostræ similem suppeditemus; nisi enim ejusmodi notiones nobis inessent, de iis omnino, quin ineptiremus, nec cogitare ipsi, nec aliis loqui possemus; ac ne fieri quidem posset, ut quicquam de Dei existentia diceremus.

„ Quæ igitur audacia est, Deo tribui quæ hominis „ sunt,

„ sunt; quæque vitia in eodem essent? “ (pagg. 172. 173.)

Theologia Deo nunquam humana tribuit; in eo non agnoscit nisi attributa supra humanam naturam posita prorsusque divina, quibus aliqua est cum quibusdam humanis qualitatibus, sine harum tamen imperfectionibus, similitudinis species.

„ Qui ergo ei adscripta fuere attributa quæ nos extollunt, at eum deprimunt? “ (*ibid.*)

Quid! Deumne deprimit & gradu dejicit, qui eum dicit esse omnino sapientem, omnino bonum, omnino sanctum, omnipotentem, ipsamque sapientiam, bonitatem, sanctitatem, potentiam per essentiam; sapientiamque, bonitatem, sanctitatem, potentiam illimitatam, infinitam, invariabilem, indefectibilem, & sine defectus umbra, sine ullo imperfectionis vestigio! Suntne attributa hæc ad deprimendam divinitatem, an vero ad ejus nobiliorem sublimioremque notionem nobis exhibendam accommodata?

„ Per quod absurdum crimen creavit Deum homo? “ (*ibid.*)

Tu quidem e communi sensu responde, nobisque dic, an non tibi jugulum petat ejusmodi quæstio; dic nobis, an non potius absurdum crimen sit proponere Deum creari, cum ejus divinis attributis obsequium præstatur?

„ Nos dicimus: Deus est sapiens, Deus est justus, „ Deus est intelligens; & cum nostram imaginationem exhausimus, ut ejus sublimem notionem exhiberemus, tum demum non nisi perfectus homo a „ nobis efformatus perspicitur. “ (*ibid.*)

Falleris tu quidem, aut fallere vis. Dum Deo infinitas perfectiones omnes tribuimus, quæ ejus essentiam constituunt, ostendimus, quin efformemus, Ens homine infinite superius, ejusque Deum creatoremque. Haud renuas, quæso, id experiri: dic tu de homine, quicumque fuerit, quod theologi de Deo dicunt; teque tamquam delirum blasphematorem exsufflatum videbis: hæc ipsa de Deo dicito, rursusque videbis, sine ut purus putusque homo accipiatur.

„ Est Deus Ens intelligens, at intelligentiamne percipimus sine organis quæ eam se enucleare & explicare sinant? “ (*ibid.*)

Ita sunt; ejusmodi intelligentiam percipio. Addo & illud, me quoque cognoscere intelligentiam nostram, seu nostrum intelligentem animum longe explicatiorem suisque in operationibus liberiorem fore, cum suo e corpore solutus erit, quam in præsentia, dum ejusdem corporis organis ad agendum indiget; ejusmodi enim est animi cum corpore conjunctionis lex, e creatoris libera voluntate, minime vero ex animi essentia; quasi vero animus qui, suæ essentiæ vi, actio, ut ita dicam, omnino est, esset suapte natura ad agendum ineptus absque organi eum inter ejusque actionem intermedii subsidio. Hæc quidem omnia perfecte novi; at illud omnino non novi, qua demum ratione conciliem quod tu hoc loco ais, cum vero genuinoque spiritus & materiæ discrimine, quod ipse, Tom. III. pag. 217. fateris & recipis in hæc verba: *non habent animam belluæ, quia materia cogitat; sed cogitant, quia animam habent; atque ita spiritus essentialiter a materia distinguitur.* Potest ergo sine ea agere & cogitare. Deus ergo potest meum corpus extinguere, meumque animum cum suis omnibus facultatibus activis agentibusque servare.

„ Bonus est Deus; at bonitas nihil est aliud quam „ ejus sensus quo nostra natura afficitur, consecutio. „ Jam vero non potest attributis esse præditus Deus, „ quæ ab animi corporisque conjunctione pendent, „ quin corporalis sit; adeoque si bonus homo est, „ ejusmodi non est Deus. “ (pag. 173. 174.)

Falsum est hominis bonitatem non nisi sensus quo ejus natura afficitur, consecutionem esse. Bonitas est ad bene agendum propensio, facultas, vis, &, quod inde consequitur, bona animi affectio quæ a nullo prorsus pendet naturæ sensu, quæque ratione & officio nititur. Cum me ratio movet & religio, ut veniam donans inimicum amplectar, quem, siquidem meæ tantum naturæ sensum sequerer, rabidis districtisque dentibus devorarem; hic bonitatis actus nihilne aliud in me est, quam is sensus ipse? Sit, per me licet momento temporis; fietne consequens eam id unum in Deo esse, qui purus putusque spiritus est, cujusque tranquilla bonitas nihil est aliud quam ipsa suprema ratio? Suo igitur modo bonus est homo, suo pariter bonus Deus; est bonus, ut Deo congruit; & quemadmodum Dei bonitas non eam arcet, quæ hominis est, ita hominis bonitas, non eam removet, quæ Dei propria & peculiaris est; inter utramque quoad nonnulla capita convenit, & quoad alia plurimum differt.

„ Si Deus sa suæ naturæ necessitate determinet, desinit esse liber; sin rerum vi, desinit non pendere. “ (pag. 174.)

Deus ad exterius agendum nec naturæ necessitate, nec rerum vi se determinet, sed sua ipsius supremum in modum libera voluntate.

„ Infinitum nonne quicquam est aliud quam finiti „ negatio? At negatio nil prorsus est. Quamobrem, „ cum, ex infirmæ intellectionis nostræ lumine, dicimus: Deus est infinitus, aut absurdi aut blasphemi „ sumus. “ (pag. 175.)

Infinitum simplici negatione finiti non continetur, Deique infinitas in eo est posita, ut omnes, quæcumque esse possunt, perfectiones supremo gradu possideat. Nobis inest hæc omnibus Dei notio, eamque nostris in mentibus suo ipse digito impressit. Finitum non nisi per infiniti ideam cognoscitur, quemadmodum tenebræ non nisi per lucis ideam, cujus privatio sunt, cognoscuntur. Jam omnium supremo gradu perfectionum possessio haud profecto simplex finiti negatio est, quod philosophus noster contendit. Is ergo unus se uno eodemque tempore & absurdum & blasphemum prodit; absurdum quidem, dum infinitum nihil esse aliud quam finiti negationem, adeoque nihil esse pronuntiat; blasphemum vero, eumque apertum declaratumque, dum infinitas perfectiones Deo surripit, quæ ejus essentiam constituunt.

„ Inintelligibilia vocabula quæ ad inintelligibilia attributa exprimenda adhibemus, aut nostræ rationis „ delirium, aut nostram ad antropomorphismum propensionem detegunt & patefaciunt. “ (pag. 176. 177.)

Vocabula quibus utimur, ut divina attributa significemus, & hæc ipsa attributa haud prorsus inintelligibilia sunt; ac nos quidem utraque satis percipimus, ut eorum genuina, licet imperfecta suppetat nobis notio. Secus, nihil super iis enuntiare possemus, nunquamque de Deo ejusque attributis loqueremur nisi revere psitacorum instar, qui verba quæ proferre docentur, minime intelligunt. Dicere voces ad Dei essentiam & attributa exprimenda adhibitas, perinde atque hanc essentiam & hæc attributa ipsa intelligi omnino non posse, est, necessaria rerum consecutione, dicere utraque inania esse & succi expertia; nihil significare; ad nihil referri; nullam iis notionem subesse; dicere vero voces divinam essentiam ejusque attributa exprimentes nihil innuere, est aperte divinitatem de medio funditus tollere. Atque in hunc demum funestum scopulum impingit jactata profana philosophia, jactatusque naturæ philosophus. Ita sane, mi bone vir, solemnibus licet speciosisque verbis enunties eum te esse, qui primum motorem, summam intelligentiam, supremum Ens, uno verbo, Deum profitearis, tibi fidenter coram edico & propugno pugnantia te loqui, dum subdis, *Deum & vocabula quæ eum exprimunt, intelligi omnino non posse, nihilque significare;* sensus expertia esse, *nihilque habere propositum; nullam ideam offerre, quia non possunt existere idea ulla verbis addicta, quæ nihil dicunt, quibusque more litteralis objecta res est arrogatum Ens, sed adeo transcendens, adeoque supra hominum cogitationes omnemque perceptionem elatum, ut omnino nec ipsum exprimi, nec ejus notio ulla confici, nec ejusdem ulla, quantumvis levis & imperfecta ponatur, cognitio obtineri possit.* In hunc modum cogitare & loqui, est, una id manu destruere, quod specie tenus altera struitur; est perfringere ac diruere divinitatis aram, cui thus adoleri fingitur; est demum efficere, ut Deus non sit nisi vanum nomen, chimæra, phantasma, nihilum, impietate mendacia addita. Sane id cujus nulla prorsus idea haberi potest, nihil est; evidens est id & per se constet. Porro e naturæ philosopho, & Robinetio, libri auctore, qui inscribitur *de Natura*, quam is laudat, cujusque sententiam adoptat, pag. 176. nulla Dei idea haberi potest; ergo, eorum judicio, Deus non est aliquid, sed purum putumque nihilum est. *Vide* opus inscriptum: *Natura cum religione & ratione pugnans*, opusve cui titulus: *DE NATURA, in fidei bonique sensus tribunali damnatum*; Parisiis, apud Pyre, in via S. Jacobi, an. 1773.

„ Habet, dubio procul, attributa Deus; at mea nimis limitata intellectio est, quam ut ei pretium sta„ tui possit; non est Deus sapiens, sed plusquam sa„ piens; non est sanctus, sed plusquam sanctus; non „ est intelligens, sed plusquam intelligens; uno ver„ bo, est Deus; ac si ego quidem ejus essentiam per„ vadere possem, ei pararem, & is non amplius exi„ steret. “ (pag. 185.)

Est hæc mera plebeji sermonis nugacitas, & vere deliræ philosophiæ blateratio, non minus ipse per se falsa, quam obscura, insidiose funestaque divinitati. Alicui rei pretium statuere, est eam æstimare, prout

valet, & post accuratam notitiam, ejus omne pondus ac vim designare. Rem pervadere & intima penatrare, ast eam perfecte cognoscere, & quanta est, nudam, ut ita dicam, videre. Verum inter banc perfectam notitiam & notitiæ nihilum, ast aliquid medium, imperfecta nempe cognitio, sed ea tamen ipla sufficieos, ut nobis exhibeat rerum ideam, & ad alias ab aliis distinguendas nos ipsos comparet. Ex eo ergo quod perfecte Deum non cognoscimus, interri non potest, a oobis omnino eum non cognosci; & ejusmodi conclusionem deducere, ast divinitatem extinguere ad nihilumque redigere. Est ergo Deus vere sapiens, bonus, sanctus, intelligens, sed tam eminenti gradu, ut comprehendi oon possit. Hæc une conclusio ex Dei attributorum infinitate deduci potest.

TOMUS II. Pag. 8. & 9.

„ Quomodo tranquilla erit societas .... si patri filius impune potest anathama dicere; si sponsus se a sponsæ sinu amplexuque abstrahit, ut ei maledicat Dei nomioe, qui eos conjunxit? "

Patris quidem filius, & sponsæ sponsus errores damnare possunt, quin sociatatem perturbent. Posset etiam sponsus se a sponsa sejungere, si ei per leges licaret, sine ullo incommodi periculo, quod tam vehementer philosophum percellit ac tarret. Divortium quod usui penes heb æos & romanos erat, easne respublicas duas ad excidium traxit, perniciosa lethalique perturbatione iisdem illata? Necesse ergo esset, rumoris turbarumque metu, omnes ad onam, quæcumque tandem esse aut fingi possunt, religiones, ne exceptis quidem maxime impiis, afferatia fatuisque, etiam theologice, tolerari.

„ Etiamsi religio qua nostra felicitas continetur, „ deceptionis tantum & mendacii fructus est, adhuc „ eam tamen philosophus vereri, errorisque humano „ generi utilis tenebras molesto veritatis lumini præ„ ferre deberet. " (pag. 143.)

Falsa est hæc minimeque philosophica cogitatio. Nihil pulchrum & observantia dignum est nisi verum. Mendacium & fallacia nonnisi odium contemptumque merentur. Una & unice veritas homini felicitatem efferre potest; ac si deceptionis tantum fructus religio esset, eam quidem ex hoc terrarum orbe, tamquam pestem, ad eum solummodo inficiendum comparatam extrudi oporteret. Christiana ergo religio iis omnibus falsis ridiculisque suppositionibus omnino non indigat, ut sibi observantiam conciliet; duplici veritatis & divinitatis sigillo munita atque obsignata, satis habet se ejusmodi ostendere, cujusmodi est, ut æquas omnes mentes tuto lucretur, æquosque omnes animos subigat.

„ Se diligit homo, & legitima quidem diligit; id „ ejus morali doctrinæ fundamento est. " (pag. 153.)

Minime vero; sui ipsius vel legitimus amor haud homini moralis doctrinæ fundamentum est; sed essentialium intimarumque rationum congeries, quibus cum Deo, ejus existentiæ auctore, secum ipse, cumque sui similibus devinctus est. Quia est Dei opus, Deo suo creatori se totum debet; eum adoret, diligat, laudet, precetur, eidemque obediat, oportet; hæc sunt ineluctabilia hominis erga creatricem divinitatem officia. Quia intellectu & libertate prædita est, suas ipsas actiones suasque abditiores cogitationes quibus nullus in societatem influxus est, ad supremam rationem, eam primitivam scilicet morum regulam conformare. Quia est ad civilem & socialem vitam a natura factus, ad subsidium peculiaribus societatis membris, prout indiguerint, afferendum promptus sit semper expeditusque, & se erga eadem justum, rectum, sincerum, fidelem, beneficum exhibeat, oportet. Sua ergo intimæ cum creatore suique similibus rationes, essentialis inter ejus facultates & officia proportio, sua inter acta legesque, quæ moderetrices eorumdem regulæ sunt, ab eo ponenda habitudo, hominis moralis scientiæ fons & origo sunt. Ejusmodi est homini moralis doctrinæ fundamentum; hac veluti basi nititur, quicquid in omnibus ejus actis morale est; non ergo fulcrum hoc homini est sui ipsius amor.

„ Est valde probabile sentientem plantam non alia „ quam existentiæ voluptate affici, & hæc una vo„ luptas ad eam eidem servandam sufficit.... Distin„ guitur vulgo voluptas duplex, intellectus una, sen„ suum altera; at si, prout philosophum decet, ac„ curate loqui volumus, non existit posterioris gene„ ris voluptas, quia voluptatis vim sensumque una „ tantum anima recipit. " (pag. 168. 169.)

Est ergo probabile, nostro quidem auctore judice, sentientem & intelligentem animam plantæ inesse, cum ea voluptatem agnoscat, nec nisi spiritales proprie dictæ voluptates sint, quæ proinde solum ab ejusdem generis anima cognosci possunt. Huic auctoris sententiæ robur addit quod ab eo subditur, pag. 178. *sonicam vim tiliis ac similis inesse, quia hæc entia duo vivunt, & vivere sentire est.*

At si vita & sentiendi facultas in tiliis ut in similis occurrunt, & si spiritalis seu intelligens anima tantum vere vivere & sentire potest, hæc ergo tam sublimis anima, vivendique & sentiendi sola capax tiliis & similis inest.

„ Nostræ animæ unitas non æque facile atque ejus „ simplicitas ostendi potest. Et sane, inter sentiendi „ & ideas copulandi facultates analogiæ tam parum „ cernitur, ut ipsius naturæ vi suarit suspicioni lo„ cus in nobis esse principia duo..., Intellectio non „ est sensibilitas, & sensibilitas non est corpus; „ at harum trium substantiarum conjunctio quasique „ concentus constituit inexplicabile illud ens quod ho„ mo appellatur. " (pag. 244. 45. 46. 47.)

Postquam obiter animadvertimus apertam repugnantiam ad dicendum adigere, sentientem animam spiritalem esse, nullamque tamen analogiam inter sentiendi ideasque conjungendi facultates existere; pronuntiabimus, si hæc auctoris ratiocinatio justa esset concluderetque, consequens fore, nostras ipsorum animas multiplicari oportere pro variis nostrarum mentium, iisque disparatis aut contrariis operationibus, cujusmodi sunt, perceptio, judicium, imaginatio, volitio, reminiscentia, prævidantia, &c. Anima ergo est *una natura, virtutibus & facultatibus multiplex*, quemadmodum Deus ipse est *unus essentia, & attributis multiplex*, quæ reapse distincta non sunt ab essentia, quæ cum unam tantum eamdemque rem, unam tantum eamdemque divinitatem conficiunt.

„ Voluntatis essentia in agendi potestate posita est, „ & hujus potestatis usus est id quod nuncupatur li„ bertas. " (pag. 253.)

Minime vero gentium; libertatem non constituit potestatis ad agendum exercitatio; sed vero activa voluntatis ad volendum aut nolendum indifferentia; electiva potestas, agendi scilicet vel non agendi, unamque potius rem quam aliam efficiendi facultas.

„ Anima per cogitationem libera est. " (pag. 255.)

Si per cogitationem libera est anima, ergo libertatis essentiam constituit cogitatio; si ita res habet, non eam constituit potestatis ad agendum usus seu exercitatio, ut auctor paulo ante dixit.

Estne philosophi tam crebro, eodemque momento temporis secum pugnare? Eum jam audiamus problemata proponentem, quæ putat insolubilia.

PRIMUM PROBLEMA.

„ Quoniam casus primum principium esse non pos„ set, quidni, quicquid existit, est necessarium? "

SOLUTIO.

Quia Deus, prima omnium quæ existunt, rerum causa, est in suis operationibus perfecte liber, quæ externæ nuncupantur, quia eæ res Deo ipsi externæ termini loco sunt, & quia eædem res, si essent necessariæ, Deus ipse essent, quoniam essent independentes existenteque absoluta suæ ipsarum naturæ necessitate.

II. PROBLEMA.

„ Fierine ergo non posset, ut ens cui natura orga„ norum plus quam homini tribuisset, magnæ machi„ næ rotas & trochleas cerneret, cujus nos operatio„ nes tantum videmus? "

SOLUTIO.

Utique, esset id prorsus adiaton enti ipsi, quod decies centies millies pluribus quam homo, organis instructum esset, quia ei præterea opus esset artificis mente, qui mundi machinam condidit; ac tu quidem scis, philosophe mi, id omnino fieri non posse.

III. PROBLEMA.

„ Potesne metaphysicus immensum intervallum quod „ genuinam inter & nominalem rerum essentiam in„ terest, computare? "

SOLUTIO.

Minime, siquidem de pervadendis introspiciendisque rebus agitur; at consequensne inde fit metaphysicam

ficen ſuper nominibus vocabuliſque ſignificationis expertibus tantum verſari, eidemque, ſeu quoad Deum, ſeu quoad puros putoſque ſpiritus, ſeu quoad humanum animum ne imperfectam quidem notionem ullam ineſſe?

IV. PROBLEMA.

„ Probaturne, rationis vi, exiſtere puros putoſque „ ſpiritus? "

SOLUTIO.

Ita ſane, quandoquidem Deus eſt purus putuſque ſpiritus, ejuſque exiſtentia rationis vi demonſtratur.

V. PROBLEMA.

„ Ineſtne entibus omnibus intima ſuæ ipſorum exi„ ſtentiæ conſcientia? "

SOLUTIO.

Nequaquam, quia intime propriæ exiſtentiæ conſcientia intellectionem, aut ſaltem ſenſationem conſequitur, omnia autem entia non ſunt in ſentientium & intelligentium rerum numero.

VI. PROBLEMA.

„ Quid deſignat animæ nomen principio impoſitum „ quod nos animat?.... Suntne genuina entia & re„ ipſa exiſtentia, quæ poſſint anima nuncupari? "

SOLUTIO.

Omni dubio procul, exiſtunt id genus entia. Viventi cuique homini ſuppetit ejuſmodi ens, quod apprime genuinum eſt, optimoque jure *anima* dicitur, hoc eſt, ſubſtantia ab omni materiæ concretione ſecreta, partium expers, rationis compos, immortalis, a Deoque creata, ut hic in terris humanum corpus ad ſtatum tempus animet & regat.

VII. PROBLEMA.

„ Percipitne melius ratio humana animam e cor„ pore ſeparatam, quam mare ſine aqua, & horolo„ gium ſine rotis? "

SOLUTIO.

Infinitum in modum melius; neque enim omnino mare ſine aqua, aut ſine rotis horologium percipio; at ſpiritum probe optimeque percipio, qui, e corpore ſejunctus, in ſe ſubſiſtit, ſuæque intellectionis vi, eo ampliores ſublimioreſque operationes exerit, quod ea per minutula corporis organa non coarctentur.

PROBLEMA.

Quid per naturæ vocabulum auctor intelligit? Univerſumne, an vero creatorem Deum ab univerſo diſtinctum, quemadmodum artifex ſuo ab opere diſtinctus eſt? Si per naturæ vocabulum intelligit univerſum, eritne univerſum, quod ſe ipſum formaverit? Si per naturæ vocabulum intelligit ſupremum Ens ab univerſo diſtinctum, quemadmodum a ſuo artifex opere diſtinctus eſt, Deus ne ergo, ſupremum Ens, naturæ abſolutus dominus, nunquam niſi unum & unicum prodigium edidit?

Expectatur ſolutio.

TOMUS III. *De Memoria.*

„ Internorum ſenſuum primus ſtatuendus eſt mora„ lis ſenſus, ea ſublimis facultas.... & per quem, „ etiamſi non eſſemus intelligentes, adhuc eſſemus „ virtute præditi. "

Moralis ſenſus chimæram jam confutavimus; ſatiſque nobis fuerit hoc loco dicere nullam ſine ratione & ſine libertate virtutem, nullamque rationem & libertatem ſine intellectu eſſe.

„ Imperitorum ſummus eſt inæqualitatis triumphus; „ et publicæ rei commutatio omnes homines ſuum in „ ſtatum reſtituit; at interim eſt humanitati triſte ſuo „ in ſolio Reges vacillare oportere, ut politicus ho„ mo avedat homo naturæ. " (pag. 107. & 108.)

Secundum principia hæc, licet homini inſtinctum naturæ ſequi; eumque inſtinctus hic ad ſibi reparandam æqualitatem fert, in qua ab ea creatus fuerat; omnes homines naſcuntur æquales. Ut ergo ſe dignum naturæ, ſuæ dulcis matris filium oſtendat, ejuſque votis reſpondeat, recte aget homo ſibi locum repetens, in quo eum, dum in mundum protulit, natura poſitum voluit, neceſſe licet in id foret ſolia ſubverti, ditiones obrui, imperia everti, bellicorum tormentorum effuſique ad rivulos ſanguinis vi ac rumore a lethargico ſomno excitata, qui inæqualitatis triumphus eſt.

„ Optarem equidem nunquam ex animo excidere, „ his duobus magni momenti principiis naturam niti, „ ſupremam intelligentiam exiſtere, ſpiritumque a „ materia, ſuapte eſſentia, diſtinctum eſſe. Si quem „ tum quidem prurigo teneret, ut hoc in opere de „ aliqua repugnantia ſuſpicaretur, ſatius ei foret il„ lud iterum legere, quam ejus auctorem abſurdum „ putare. " (pag. 215. & 216.)

An ſex de naturæ philoſophia voluminum altera lectio durior pœnitentia futura eſſet, aliis judicandum relinquo; at fidenter aſſero, ſiquidem ea vicies relegerentur, tam multarum lectionum non aliam vim fore, quam ut repugnantias quibus ſcatent, in intelligentis lectoris animo altius imprimerent. Earum alia palmaria exempla duo, finem faciens, cæteris addo.

„ *Natura*, inquit philoſophus noſter, nihil agit „ aliud, niſi duas rotas movet, cum una tantum ei„ dem ſufficiat " (pag. 25. & 252.). Cur ergo ipſa ſextum quemdam moralem ſenſum admittit? Eane de cauſa, quod ad boni malique diſcretionem haud ſatis homini ratio eſt?

„ Natura, ſplendidiore notione facem præferente, „ nihil eſt aliud quam Deus ipſe " (pag. 352.). Recte admodum. At ſi natura nihil aliud quam Deus eſt, cur ergo Deum a natura diſtinguit auctor, tamquam res duas quæ ſummopere inter ſe differunt, ita ſcribens: *verus logicus non ſibi proponit niſi ſtudii argumenta tria, Deum, hominem & naturam; Deum, ut eum ſilens adoret; hominem, ut utilis eidem ſit; & naturam, ſui ut intellectus vacuitatem occupet* (pag. 297.). Si Deus, homo & natura tres ſunt diſtinctæ res quæ logico trium ſtudii generum materiam ſuppeditant; non ergo Deus & natura ſunt una & eadem res. Quæ ergo hæc duo confundit & in idem redigit, haud ſplendidior notio eſt; ſed e converſo maxime opaca, obſcura, abſurda, repugnans, certuſque omnium errorum graviſſimi erroris fons, in eo poſiti, ut non alius agnoſcatur Deus quam natura, rerum ſcilicet hæc univerſitas quæ ſub oculos noſtros cadit.

Haud nos quidem abſurdos errores & repugnantias quibus de naturæ philoſophia ſex volumina inſerta ſunt, (multo longiore opera opus eſſet) exhauſimus; qui plura ſcire cuperent, conſulere poterunt libellum inſcriptum: *Nova philoſophia delirium*; opuſque cui titulus: *Contradictiones libri inſcripti:* DE NATURÆ PHILOSOPHIA. Videri etiam poteſt conſulendum monumentum D. Chriſtiani, cenſoris regii, accuſati, qui approbaſſet opus inſcriptum: *De natura philoſophia.*

F I N I S.

TABULA CHRONOLOGICA
CONCILIORUM

Quæ in hoc Tomo V. continentur,

Con-

Roma-

Bene-

Ta-

Oxo-

T A B U L A

Rerum quæ in hujus Quinti Tomi Parte altera continentur.

Pœni-

EDITORIS MONITUM.

Iis quæ de Gratia *disserit Auctor Tom. IV. pag. 12. & seqq. subnectenda sequentia ex novissimis additamentis ejusdem Auctoris.*

GRATIA. *Gratuitum donum quod Deus tribuit cui tribuendum censet.*

Ex hac gratiæ notione inferunt increduli, injustum Deum esse, dum eam denegat cui vult, & nihilominus eos punit quibus eam propterea denegat, quod malum egerint, aut bonum omiserint, quod ea destituti non poterant, quin agerent, aut omitterent. Ad ostendendum, quam parum gravi fundamento nitatur contentio hæc, non est necesse distinctim discutienda suscipi varia systemata quæ super gratia Catholicos Theologos dividunt. Possunt hæc conspici ad hoc *Verbum*, nostræ hujus Conciliorum Analysis Tomo quarto; sat nobis fuerit in præsentia conciliationis caput exponere, de quo eos inter omnes & singulos convenit; videlicet:

1. Deus, cum summe justus & ipsa per essentiam justitia sit, neminem unum, qui ita meruerit, punire potest, ex præclaro S. Augustini effato hoc: *Sub Deo justo miser esse quisquam, nisi mereatur, potest.*

2. Quod esse fierive nequit, non jubet Deus, seu, quæ Tridentinæ Synodi verba sunt, *Deus impossibilia non jubet, sed jubendo admonet & facere quod possis, & petere quod non possis, & adjuvat, ut possis.* Sess. VI. can. 11.

3. Quoniam neminem, qui is meruerit, punit Deus, nec jubet eorum quicpiam, quæ fieri non possunt; necessaria ergo consecutione fit, ut rationis compotes & eadem utentes substantias quas punit, inflictas ab eo pœnas sua ipsarum culpa meruerint, easque, præcepta quæ positiva dicuntur, servantes, & ab iis violandis quæ negativa nuncupantur, abstinentes, cum perspecta quidem haberent, vitare potuerint.

4. Quoniam ratione præditæ eademque utentes substantiæ quas Deus punit, inflictas ab eo pœnas sua ipsarum culpa meruerunt, easque vitare potuerunt, si nempe illius præcepta, cognita quidem, tum positiva servassent, tum negativa nequaquam violassent; iis proinde præsto fuerit, necesse est, proprie dicta utrique nominis seu proxima seu remota facultas qua præcepta, nota sane & perspecta; positiva quidem servare, negativa vero non transgredi possent.

5. Quoniam his ipsis substantiis præcepta quæ nota habuerunt, positiva servandi, & negativa non violandi reapse proxima vel remota potestas fuit; necesse propterea est, ut acceperint, aut accipere potuerint, siquidem voluerunt, a Deo gratias quarum ope præcepta tum priora perficere, tum posteriora non violare possent.

6. Quoniam substantiæ rationis compotes acceperunt aut accipere potuerunt, si voluerunt, a Deo gratias per quas poterant præcepta positiva servare, negativaque non violare; factum est igitur ipsarum culpa, ut eas gratias vel non reciperent, vel iisdem receptis obsisterent.

7. Si substantiæ ratione præditæ gratias ad præceptorum executionem & non violationem necessarias propria culpa vitioque non acceperunt; ergo eorum alia non exequentes & alia violantes ipsæ se criminosas reddiderunt.

8. Si eædem substantiæ harum rationum alterutra vel utraque criminosas ipsæ se reddiderunt; divinam igitur punitionem sua ob crimina meruerunt.

9. Si substantiæ de quibus loquimur, suorum criminum causa dignæ evaserunt, quas Deus puniret; is ergo eas puniens justus est.

10. Ad extremum, si justus est Deus, homines ob ipsorum errata puniens; cum ergo calumniis execrandum in modum impetit lacessitque Abbas Bernerius, tamquam injustum & immaniter crudelem Deum exhibens, qui nempe, prorsus immerito, innoxias substantias punit, quibus præcipit impossibilia, seu quæ fieri omnino non possunt, dum iisdem omnia subsidia, omnes gratias, omnia adjumenta denegat, quibus opus est, ut, quæ præcipit, evadant possibilia, seu esse fierique possint.

F I N I S.

REGII CENSORIS
APPROBATIO.

Domini qui a sigillis est, jussu, *Conciliorum Analysis* Quintum Volumen legi; in eoque nihil comperi, quod impedire, quin typis tradatur, possit.

Parisiis, die 4. Augusti an. 1777.

RIBALLERIUS.

APPROBATIO.

Eminentissimo nostro Reverendissimo PATRE GENERALI mandante, manu scriptum Codicem legi, cui titulus: *Ad Generalium & Particularium Conciliorum Analysin Supplementum*, a Reverendo *Patre Ricardo*, nostri Ordinis Religioso elaboratum; in quo nihil equidem fidei & bonis moribus contrarium animadverti. Eo potissimum spectat Supplementum hoc, ut corrigat errata plura quæ seu quoad Conciliorum numerum adscriptumque tempus, seu quoad aliquas jurisprudentiæ ac disciplinæ definitiones in Operis corpus irrepserant. Auctor præterea complures alios articulos, utpote Conciliorum menti atque adeo verbis analogos superioribus addendos censuit, ut Altare ac Solium a contumeliis vindicaret, quibus in dies impetuntur ab audacium Scriptorum turba, qui ea impugnare non desinunt.

Parisiis, Maji die 25. an. 1777.

F. PETRUS CODRONIUS,
Dominicanorum Novitiatus Prior,
Theologiæ Doctor & Professor.



